
IHS

Emman. de Concep.
Serm. Quadrag.

R. P. F.

EMANVELIS DE CONCEPTIONE

ORDINIS EREMITARVM S. AVGVSTINI SS. THEOLOGIÆ Professoris, & Regij in Lusitania Concionatoris.

SERMONES QVADRAGESIMALES

Quibus Paßio D. N. Iesu Christi præcipuè explicatur & elucidatur.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus Gerhardi Greuenbruch.

ANNO CIↃ IↃC XIV.



REVERENDISSIMO AC PRAENOBILI DOMINO, DOMINO Gebhardo à Ruilf, Abbati nobilis Monasterij S. Michaelis Archangeli in monte Segor, Domino in Siegberg, Stralen, Guils ac Evvenheim, Domino suo gratioso.



PLatonici Philosophi, *Reuerendißime Præsul, gratiose Domine*, in æthereis illis corporibus quendam veluti florem, in hisce inferioribus quandam veluti fęcem esse dicebant. Id sane nos multo meliori iure de Theologia dicere possumus: nimirum in ea rerum omnium cognitione dignarum florem, in aliis scientiis fæcem contineri. De mundi ortu, Deum immortalem, quam multæ ac variæ, atque inter se dissidentes Philoso-

losophorum opiniones fuerunt? quas omnes Theologia vno verbo iugulat ac refutat, dũ nos docet, huius vniuersitatis auctorem esse atque effectorem Deum, qui quo tempore ipsi placuit, Mundũ hunc & quæcunque eius ambitu continentur, nutu ex nihilo condiderit, eademq; adhuc contineat, regnat ac foueat. Iam de anima eiusq; immortalitate quæ immo quæ non delirarunt Philosophi? quantis contentionibus inter se decertarunt? Omnia verbo soluit Theologia, dum demonstrat nobis animam hominis simplicem quandam & indiuiduam esse naturam, ad exemplar diuinitatis expressam, licet ortus participem, interitus tamen expertem, quæ corpore soluta, si Christum agnouerit

uerit, ac ſe pie ac pure geſſerit, Dei beneficio æternam adeptura ſit felicitatem; ſin infidelis fuerit, & inexpiabilibus cupiditatibus corrumpendam ſe dederit, ad inferos numquã deſituris damnanda ſuppliciis, ſit deſcenſura. Hæc deprauatas impuriſſimis opinionibus hominum mentes de integro velut interpolat: hæc diſtractos variis falſorum deorum cultibus homines in vnius veræ religionis ſocietatem conuocat: hæc magiſtra eſt morum ac diſciplinæ: hæc ſalutare illud ſidus eſt, quod exortu ſua non modo tenebras diſpellit, ſed & tempeſtates animorum omnes ſedat: hęc cynoſura illá eſt, ad quam omnis nauigationis, id eſt, vitæ noſtræ curſus eſt dirigenpus: hæc ignis ille cæleſtis eſt,

quem Christus Saluator noster, verus Prometheus in terras attulit, sine quo vita constare non potest: vitæ tranquillitatem largitur, & mortis terrorem tollit: hæc deniq; earum rerum scientiam profitetur, quarum cognitio cum opere coniuncta, beatitatem: ignoratio æternum exitium hominibus pollicetur.

Etsi vero quę diximus, de Theologia generatim intelligẽda & accipienda sint; magis tamen ista pertinẽt ad eam partem, quę non nudam tantum docet scientiam, sed quæ in opere posita, homines & in viæ salutis cognitione instruit, & saluberrimis præceptis dirigit, atq; exhortationibus ad cultum Dei ac pietatem excitat atq; inflammat. Vnde facile intelligi po-

poteſt, quanti faciendi ſint illi quorum omnis labor in hoc verſatur. Concionatores intellige: quorum voce imperiti erudiuntur, praui corriguntur, errantes reducuntur, frigidi inflammantur, mortui deniq; velut ad vitam rurſus excitantur.

His ego ſi harum, concionum auctorem adſcribam, immo inter præcipuos conſtituam, nihil ſane, omnium bonorum ac doctorum iudicio, errem. Hiſpanus eſt natione; cui genti ſcriptores omnes ſingularem ingenii acrimoniam tribuunt: quæ & in hoc auctore mirifice elucet, vt legenti cuiuis facile apparebit. De doctrina dicam? cuius aliquid ſupra humanas vires ſapientis, vbique

clarissima vestigia exstant. Iam quo ille zelo, quo ardore auditores ad diuinum amorem inflammat? Vt profecto plus quam ferreus sit, cuius animus ad hanc incudem fractus ac mollitus, non Dei amore colliquescat.

Has vero Conciones, inde è Lusitania vsque petitas, quum edere statuissem: Reuerendissimæ Vestræ Dominationi dedicare eas visum est. Quanto enim zelo erga Catholicam religionem ea affecta sit, quum omnibus qui eam norunt, tum mihi etiam optime constat: vti & illud, eam nihil omnino quod ad tanti Præsulis officium spectat, prætermittas. Quare fieri non posse putaui, quin libri huius le-

ctio,

ctio, quo & ad veram & Catholicam pietatem tam erudiuntur quam excitantur homines, & pręcepta ad omnes vitæ partes recte instituendas saluberrima traduntur, grata tibi futura sit. Sed & insignis illa Reuerendæ Vestræ Paternitatis humanitas, quam non semel expertus sum, & in me collata beneficia, memoriam aliquam atq; agnitionem à me postulare videbantur: quam hoc veluti publico monumento consignare volui:


Quem meum affectum ac conatum vt Reuerendissima Vestra Dominatio beneuolo animo accipiat, demisse rogo: Deumque precor, vt eam omnibus bonis cumulatam quam diutissime

nobis incolumem conseruet. Coloniæ Agrippinæ, XII. Septembris MDC XV.

Admodum Reuerend. V. Dominationis

humilis cliens

Gerardus Greuenbruch.



PROLOGVS.



Nescio equidem quo spiritu impulsus opus hoc ingrauescente iam ætate sim aggressus. Sexagesimum sextum annum ago, & in concionandi munere triginta & septem annos iam peregi, tanta aßiduitate, vt neq; grauißimis officiorum occupationib. in Religione præpeditus illud vnquam intermiserim. Si aliqua cum auditorum beneuolentia, & vtilitate alii iudicent. Hoc vnum fateor, quod licet multoties ab amicis sim persuasus, vt ex tot concionibus aliquas euulgarem, (quamplurium doctißimorum virorum vestigia sequens, qui conciones suas sermone, vt in plurimum, patrio ad omniam vtilitatem quotidie in publicum edunt) ego tamen eorum persuasionis adulationes potius iudicans, non adduci poteram, vt furfur nostrum inter electißimam præclarißimorum concionatorum saliginem (impudens meo iudicio) immiscerem. Nunc vero nullo porsuadente has conciunculas in latinum conuersas edere, sum ausus: sic tempora mutant mores. Attamen facti rationem palam, & verißime reddam.

Postquam præpositorum meorum permissu in hoc eremitorio, atque paruo cænobiolo Deiparæ Virgini dicato (de Penha de franca vulgo dicitur pauper quidem, & nullis poßeßionibus loclupletatum, sed diui-

piuinis beneficiis eiusdem Virginis Sanctissimæ interuentu obtentis aßidue nobilitatum) commorandi facultatem sum adeptus, cum ab omnibus occupationibus liberum, & in amœnißimo, atq; quietissimo loco me constitutum viderem, ne otio torperem; cœpi sermones aliquot de Passione Domini in latinum vertere (Decem enim, & nouem sermones de Dominica Passione in die Parasceues vsque ad annum 1611. in conuentu nostro Vlixbonensi ad populum habui.) Hac occupatione delectatus; nonnullos deinde alios sermones ad tempus quadragesimale pertinentes traducendos curaui: qui cum ad eum numerum peruenissent, vt ad iustum volumen sufficere mihi viderentur, tunc in mentem subiit eos vulgare. Quam cogitationem superioribus meis, & aliquibus amicis patefaciens, ipsi, (bono, vt existimo animo) ad opus perficiendum, & executioni mandandum excitarunt. Qua cohortatione permotus in publicum prodire sumausus.

Si quæras cur patrio sermone relicto, quo sermones ipsi fuerunt perorati, ad latinum me conuerterim, præsertim parum in latina eloquentia versatus; dicam libenter & duas potissimnm extitisse causas exponam. Primo quidem illud me vehementer permouit, quod experimento compertum habeam sæpe euenire, vt cum ex concionibus vernaculo sermone impressis Concionatores alii excerpunt aliqua, quæ suis concionibus inter prædicandum interserunt, si qui adsunt seu viri, seu mulieres (& multi frequenter intersunt) à quibus conciones illæ impressæ sunt

per

perlectæ, prædicatores ipsos paruipendant, veluti ipsi sint inhabiles, & parum studiosi, vt qui de alienis plumis gloriam captare satagant. Ego vero, qui in eorum prædicatorum præcipue gratiã, hæc prælo committere duxi, quibus nec est magna librorum copia, neq; sepissime tempus suppetit ad sanctorum Patrum libros euoluendos, cum per obedientiam siue charitatem continuis prædicationibus occupentur, illis has conciunculas offero, stylo licet rudi, & impolito, vt & facilius mens mea percipiatur, & vnusquisq; quæ sibi placuerint propriis verbis exornet. Et ne ob styli humilitatem à proposito deterrerer, Sanctissimi Patris Augustini exemplo sum corroboratus, qui licet esset eloquentissimus, & grandiori stylo præclarus, vt plurima eius opera declarant, cum tamen ad populum vel ad fratres suos intra monasteria verba faciebat ita stylum deprimebat, vt tam impius Erasmus, quam plurimi etiam pii viri ansam inde arripuerint plurimos sermones veluti supposititios à numero eorum, quos minime negare poterat, reiicere. At ipsummet P. Augustinum libet in medium afferre causam reddens cur ita stylum attenuaret, & barbare ad populum verba faceret. Aug. in Ps. 36. *Quid ad nos, inquit, quid grammatici velint? melius enim in barbarismo nostro vos intelligetis, quam in nostra disertitudine vos diserti eritis. Et alibi: Melius est vt reprehendant nos grammatici, quam non intelligant populi.*

Alia deinde fuit causa (& præcipua quidem) cur has conciones latinas reddiderim. Patres atque fra-

tres

tres nostri Ordinis eremitarum Sancti Augustini Belgicæ prouinciæ summo amore prosequor, & amplector, non ad id impellente tantum fraterna charitate eiusdem professionis atque voti vinculis alligata, sed & ob illorum maximam vitæ regularis obseruantiam, morum integritatem, fidei catholicæ zelum, religionis nostræ amplificandæ studium, multasque alias præclaras virtutes, quibus sine reprehensione in medio nationis prauæ atque peruersæ lucent sicut luminaria in mundo verbum vitæ continentes ad Ecsiæ S. Catholicæ, & Apostolicæ nostræque religionis gloriam in die Christi. Ab aliquibus igitur ex illis Patribus aliquando fui rogatus, vt si quæ essent conciones etiam in nostro idiomate, ipsis mittẽdas curarem: inter quas & nostras annumerabãt. Ipsi namque religiosissimi Patres tractatum illum Itineris Illustr. & Reueren. DD. fratris Alexii de meneses Archiepiscopi Goensis Indiarum Primatis, nũc vero Regis Catholici beneficio ad Bracharensem Primatiam euocati, (quando scilicet ipse Illustr. Præsul tot emensis maris terræque laboribus, & periculis magnis superatis diuino numine fauente tantam ouium Christi multitudinem per deserta hæresum errantem, & à Sanctæ matris Ecclesiæ Romanæ fide, & obedientia segregatam ad Domini ouile reduxit) ex nostro Lusitano idiomate, in quo erat compositum, in Gallicum summo labore traduxerunt, & impressum per omnes illas septentrionales regiones diuulgarunt in magnã & Ecclesiæ Romanæ gloriam, & hæreticorum confusionem. Hanc ob causam eisdem Religiosissimis atque aman-

amantissimis Patribus paruum hoc munusculum mittendū decreui: attamen vt eos à traducēdi labore liberarem, has conciones latinitate donaui. In quibus si quid inuenerit ad commune commodum proficiens, tunc prælo, vti sibi visum fuerit, committant: ego enim non aliud inde emolumentū requiro, quam Patres ipsos de mea hac mutua charitate certiores reddere, & fratribus mihi dilectissimis primos laborum meorum fructus communicare. Namque iuxta P. SS. Augustini regulam, quam profitemur, ita inter nos omnia debent esse communia, vt nemo sibi aliquid operetur, sed omnia opera nostra in vnum fiant, maiori studio & frequentiori alacritate quam si nobis singuli propria faceremus. In communem igitur fratrum meorum vtilitatem opusculum hoc confero, interim eos deprecans, vt non ad operis exiguitatem, sed ad animum præclara desiderantem respicientes laborem hunc benigne suscipiant ipsique ad maiora edenda excitentur. Quibus si gratum opus fuerit, aliud volumen de festiuitatibus Domini atque Deiparæ Virginis, & Sanctorum edendum curabo. Quæ omnia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & superiorum iudicio corrigenda, & approbanda subiicio, &c.



SERMONES PRO FERIIS QVINTIS QVADRAGESIMÆ, habiti Olysipone in Conuentu Beatæ Mariæ de gratia, Ordinis Eremitarum, Sancti Augustini. Anno 1591.

In quibus agitur præcipue de operibus Sex dierum Creationis: accommodati ad ea, quæ in Euangelijs feriarum continentur.

PRAEFATIO.



VONIAM MVLTIS ABhinc annis in hac celeberrima Ecclesia fundata est insignis Confraternitas sub titulo sanctæ Resurrectionis Domini nostri Iesu Christi (quæ etiam præcipue circa cultum, & venerationem sanctissimæ Eucharistiæ occupatur) ideo statim ab ipsamet fundatione ea consuetudo seruatur, vt in Quadragesima singulis quintis ferijs sermo ad populum habeatur, quia nimirum hæc dies huic sanctissimo Eucharistiæ sacramento est peculiariter dedicata, in qua à Christo Domino in vltima cæna fuit institutum. Cum autem mihi iam bis vel ter hoc munus fuerit demandatum, nunc vt auditoribus aliquid noui desiderantibus pro me à virili parte satisfacerem, illud explicandum suscepi in ijs septem ferijs, quod Moyses in duobus primis capitulis Geneseos enarrauit, à primo videlicet die creationis vsque ad septimum quietis. Et ex ijs, quæ sancti Patres, & Ecclesiæ doctores deducunt ad nostram eruditionem, aliqua excipiam, quæ Euangelicæ lectioni in singulis ferijs decantatæ inseruiant: indeque etiam aliquid deducere conabor in laudem Diuinissimi Sacramenti. &c.

FERIA QVINTA.

De Centurione.

Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus. Matth. cap. 8.

Primus dies creationis



AEternus ille atque omnipotens Deus, cuius esse initio caret, cuius gloria, diuitiæ, quies, abundantia, vniuersaque beatitudo est ille ipse sibimet, cum nulla re extra se ipsum indigeret, sua tamen bonitate ductus, tempore per suam infinitam sapientiam definito, vi, & efficacia omnipotentiæ suæ ex nihilo mundum hunc, tam visibilem, quam inuisibilem creauit, & creatis rebus primum essendi principium dedit. Hæc est vera, ac firma fideĩ nostræ professio, destruens omnia Philosophorum figmenta, quam spiritu sancto inspirante Moyses mundo patefecit illis primis totius sacræ scripturæ verbis inquiens: *In principio creauit Deus cœlum & terram.*

Ante hanc mundi creationem solummodo Deus erat, & in eo tanquam in primo principio, primaq; rerum omnium causa, erant omnia creata, ad eum modum, quo in mente artificis sunt exemplaria & ideæ eorum operum, quæ fabricare constituit: quare omne quod extra Deum habet esse, antequam à Deo fieret, ex se nihil erat. Quicquid igitur est, à Deo habet vt sit, atque etiam vt in eo esse permaneat. Quantum autem nostra intersit cognoscere hoc nostrum (vt ita dicam) nihil, ex eo coniici potest, quod vt euidenter ante oculos omnium versaretur, quomodo totum esse rerum ab ipso sommo Deo dependet,

det, voluit ipſemet, vt ſacer hiſtoriographus Moyſes in ipſo ſtatim initio totius diuinæ ſcripturæ perſpicuis verbis exponeret (quantum ſufficit ad intelligendum) Deum ipſum omnium fuiſſe creatorem. At vero peculiares creationis circumſtantias, rerumque in principio productarum producendi modos per ea verba ſpiritus ſanctus explicare iuſſit, quæ Eccleſiæ doctoribus negotium faceſſerent, & intellectum acuerent: vnde & factum eſt, vt de ijs operibus ſex dierum tot fere ſint expoſitiones quot ſunt expoſitores: vt patet perſpicue in expoſitione horum verborum, *Cælum & terram,* non enim inter omnes conuenit quid per cœlum & terram in principio creata intelligatur. Omiſſa tamen opinionum varietate, quæ ad ſcholaſticas exercitationes inſeruit, eum exponendi modum ſequemur, qui facilior & ad moralem doctrinam aptior videbitur.

Ea igitur, quæ Dominus Deus in principio ſimul ex nihilo creauit, & per cælum & terram explicantur, fuerunt primo, Cælum illud, quod empyreum dicitur (in eo ſimul creati ſunt omnes Angelici ſpiritus per ſuas hierarchias atque ordines diſtincti, ibique ſedes beatorum collocata: quod cælum ſua fere immenſa amplitudine vniuerſam mundi machinam complectitur, & vndique circundat) terram deinde tanquam totius operis fundamentum & huius ſphærici corporis centrum, eamque vndequaque immenſa aquarũ abyſſo circumcinxit, quæ totum illud ſpatium vſque ad empyreum cælum replebat. Ex eo autem terra dicitur fuiſſe innanis, & vacua, quia illo plantarum, animalium, atque hominum ornatu carebat, quorum pulchritudine poſtea fuit exornata. Illum vero ſpiritum, qui ſuper aquas ferri dicitur, ego cum communi Patrum ſententia ſanctum, ac viuificum ſpiritum eſſe intelligo, tertiam in Trinitate perſonam, & hunc eſſe literalem ſenſum exiſtimo ex eo, quod euidentiſſime conſtat ſpiritum illum non potuiſſe eſſe ventum ſeu flatum aliquem, quia nimirum aquæ totum illud ſpatium occupabant, nec erant ad-

huc terrestres euaporationes, ex quibus venti seu vapores procreantur. Rectissime autem spiritus sanctus super aquas ferri (vel, vt alia habet litera, aquis incubare) dicitur, vt significaretur bonam Dei nostri voluntatem, beneficumque amorem causam esse præcipuam tum essentiæ, tum bonitatis rerum creatarum, cum ipse spiritus sanctus per candemmet diuinam Patris filijque voluntatem procedat, sitque ille amoris nexus, quo se mutuo ab æterno atque omnia complectuntur. Erant insuper tenebræ super faciem abyssi, quia videlicet cum aquæ ex se lucis percipiendæ essent capaces, nondum tamen creata erat lux: quare dixit Deus, *Fiat lux, & facta est lux.* Cuiusmodi autem fuerit hæc lux à Diuo Basilio existimo optime explicari, cum innuit creatam fuisse à Deo qualitatem illam, quæ est lux, non tamen ab aliquo luminoso corpore, dependentem, sed ab ipsomet Deo procedentem, licet per se existeret separata, mediante qua luce Deus ipse mundum illuminauit illis primis tribus mundi diebus, antequam solare corpus crearet, cui eandemmet lucem adhærere fecit. Cùm igitur lux à Deo mirabiliter mota rotundam illam aquarum abyssum circumiret eodemmet modo & cursu, quo postea sol per circuitum girat vniuersum orbem, in ea parte, quam præsentia sua illuminabat, dies erat, in aduersa autem nox: vnde sumitur illa diuisio lucis à tenebris, quia videlicet tenebræ erant illius lucis absentia, & priuatio. Nec mysterio vacat, quod statim atque Deus produxit creaturam lucis capacem (aquam nimirum) lucem illico creauit, & hæc est prima eius vox, quam in sacris literis habemus, *Fiat lux,* vt ostendat, inquit Hugo, se non amare opera tenebrarum, quæ in tenebris fiunt, quoniam mala sunt: quia omnis, *qui male agit, odit lucem.* At cum omnia, quæ ipse Dominus erat facturus, bona futura essent, & bona valde, fecit primum lucem, vt viderentur in luce. Ideo lucem appellauit diem, quia est causa diei, & tenebras noctem, quia ab ipsis quodammodo caussatur. Et cum de die loquatur Moyses ex communi v-

Basilius.

Hugo de S. Vict.

ni vſu,& modo loquendi,ideo dicit, *Factum eſt veſpere, & mane dies vnus*: dies namque vſualis veſperè, & mane conſtat. Nunc iam ſpiritualia quæramus.

Formauit Deus ipſe omnipotens minorem alium mundum, Hominem ſcilicet, in quo & ex nihilo fecit cælum, Animam videlicet rationalem, quæ in ſua naturali perfectione cælo ipſo Empyreo, & purior, & excellentior eſt, cum ſit ſpiritualis ſubſtantia ad imaginem Dei facta: fecit etiam terram, humanum ſcilicet corpus ex terra. Eſt etiam in hoc mundo, licet paruo, profundiſſima abyſſus tenebris ex ſe, & profunda obſcuritate plena. Quænam autem hæc abyſſus ſit declarat Diuus Auguſtinus, inquiens, ſi profunditas eſt abyſſus, putamus quod cor hominis abyſſus eſt. Quid profundius hoc abyſſo? loqui homines poſſunt, videri poſſunt, & audiri in ſermone, ſed cuius cogitatio penetratur? cuius cor inſpicitur? quid intus gerat, quid intus poſſit, quid intus agat, quid intus diſponat, quid intus velit, quid intus nolit, quis comprehendit?] Hæc vero abyſſus cordis noſtri profunda & alijs hominibus impenetrabilis adeò ex ſe ſine Dei lumine eſt obſcura, & tenebris obſita, vt nec ipſummet Deum, qui lux eſt, valeat debite cognoſcere, ſi ipſe in humani cordis penetralia lucis ſuæ radios non effuderit, ab eoque ignorantiæ tenebras depulerit. Quod vt fieret, Deus miſericors, in Eccleſia ſua ſancta lumen fidei conſtituit, cuius lucis beneficio Deum ipſum in hac vita cognoſcimus & ea omnia credimus, quæ ad ſalutem animæ nobis ſunt neceſſaria. Hæc eſt illa lux, inquit Lugdunenſis Eucherius, in prima die creata, quia prima eſt in conuerſione Fides, ſine qua omnia ſunt tenebræ. Vnde Paulus poſtquam aſſeruit, quod ab animis eorum, qui fide carent, Chriſti Domini lux quamlongiſſime abeſt, addit, Deus, qui dixit de tenebris lumen ſplendeſcere (quando dixit Fiat lux) *ipſe illuxit in cordibus noſtris ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei in facie Chriſti Ieſu*, id eſt, per Chriſtum. Hinc effectum eſt, vt cum in illo Centurione, de quo hodiernum Euangelium agit, quam plurimæ

August. in Pſal. 41. & 134.

Eucher.

2. Cor. 4.

extiterint virtutes commendatione dignæ,& illæ pręsertim, quæ in illis verbis declarantur, Domine non sum dignus &c. fidem tamen præcipue Christus Dominus extollit, in exemplum tacitamque repræhensionem eorum,qui visis tot signis minime credebant. *Non inueni*,inquit,*tantam fidem in Israël*. Cum enim fides sit illa prima lux,quæ nos in Dei ac Domini nostri cognitionem veram,& certã inducit, qui hoc fidei lumine sunt destituti quid aliud sunt quam tenebræ, vt Diuus Paulus ait, Eratis aliquando tenebræ,eo scilicet tempore quo fide carebant. Nonne hoc satis perspicuum redditur ex illis populis, & nationibus tam præteritis quam præsentibus,in quibus vera Ecclesiæ fides non emittit radios suos, vel vt potius dicam,quæ (proh dolor) tantæ luci oculos claudunt, imo & resistunt,& suas densissimas tenebras lucem arbitrantur? quorum corda ideo in profundissima ignorantiæ nocte sepulta iacent, quia ab hoc certissimo fidei lumine sunt prorsus aliena.

Ephes. 5.

Si autem quæras quænam sit huius lucis natura, & quonam pacto hunc paruum mundum abyssumque profundam (cor humanum) illuminet, id erit perspicuum, si illum modum consideremus, quo illa creata lux in principio mundum illustrabat. Appellauit Dominus lucem diem: dies autem ille ex vesperi, & mane componebatur, vt videre licet ex ijs quæ latissime docet Diuus Pater Augustinus. Iam autem experimento constat quod quamuis vesper sit pars diei, & ex eadem luce participet, illa tamen lux in ipso vespere est aliquantulum subobscurior quam sit in mane, cadunt namque de montibus vmbræ. Vnde & illi duo discipuli quibus Dominus in ipso resurrectionis die se comitem in via, qua Castellum Emaus pergebant, coniunxit, & ab illis non est in itinere agnitus, eum se longius ire fingeret, cogentes eum dicebant: *Mane nobiscum, quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies*. Ad hunc igitur modum se habet hæc fidei lux, quam Dominus in animas credentium infundit vt in hac vita eam cognoscant: est quidem lux certa,

August. de gen. lib. 4. cap. 9.

Luc. 24.

ſecura, & infallibilis, diemque huius vitæ conſtituens, non tamen clara omnino, & euidens: veſpertina lux eſt, & vmbras habet. In illo ſupremo cælo Empyreo, in quo Deus glorioſus beatorum ſedem collocauit, ſicut nunquam fuerunt tenebræ, ita ibi non erit veſpere, ſed ſemper mane: quia ſpiritus beatorum à Deo gloriæ lumine illuſtrantur, quo deitas ipſa ſicuti eſt videtur, & ea omnia, quæ nunc fide tenemus, clare, conſpiciuntur, at in hac vita certiſſime ea omnia fide ſuffulti profitemur, & hac ſubobſcura luce illuſtrati toto corde amplectimur. *Videmus nunc*, inquit Diuus Paulus, *per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam ſicut, & cognitus ſum.* Audierat quidem Centurio Chriſti Domini quamplurima miracula, quæ fideli pectore ſuſceperat, conſpiciebat, oculis hominem illum, ſummam licet auctoritatem in vultu repræſentantem, at in multis alijs humilitatem & paupertatem referentem, cum & pedeſter incederet, & pauperculos piſcatores ſocios haberet. Vmbræ erant hæc omnia, lucem veſpertinam demonſtrabant: cum ab illa obſcura luce dies illa cognitionis incæpit, qua certiſsima fide illuſtratis ſub illa humanitate, & abiectione, diuinitatem Chriſti Domini, omnipotentiam, & in omni loco præſentiam perſpicue confeſſus eſt, cum dixit: *Tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus.* Patet hoc ex ijs quæ D. Auguſt. ait ſuper illis verbis, *Dixit Deus fiat lux, & facta eſt lux: & vidit lucem, quod eſſet bona.* Quid conuenientius, inquit, de Deo dicitur quantum inter homines dici poteſt, quam cum ita ponitur, Dixit, factum eſt, placuit. Ita vt in eo quod, dixit, imperium eius intelligatur: in eo quod factum eſt, potentia: in eo quod placuit, benignitas. Hunc loquendi modum Centurio ſecutus eſt, inquiens, Dic verbo, eius poſtulans diuinum imperium voluntatis, à quo omnia dependent, vt habeant eſſe. *Quoniam omnia, quæcumque Dominus voluit, fecit in cælo, & in terra.* Et ſanabitur: hic eius potentiam confitetur, cui omnia vbique ad nutum obediunt:

1. Cor. 13.

Auguſtin.

Pſal. 134.

Puer meus : eius benignitatem non obſcure commendat, quia ſcilicet ſeruo eius non dedignaretur opem ferre, eumque ab ægritudine liberare.

Inter cætera Chriſtianæ fidei myſteria diuinum Euchariſtiæ ſacramentum quaſi per antonomaſiam myſterium fidei ſpecialiter nuncupatur, quia in illo, & maiores videntur vmbræ, & plura velamina, quæ fides ſola penetrat. Magnus quidem fuit ille actus fidei Centurionis, quem expoſuimus, quo occultam Domini diuinitatem ſub illa quam oculis ſolum videbat humanitate, & cognouit, & adorauit, & inſuper latentem diuinam omnipotentiam ſub humana fragilitate, & ſublimitate illa corporis locatione illimitatam vbique præſentiam palam confeſſus eſt. At in hoc mirabili ſacramento non ſolum latet diuinitas, ſed latet etiam, & humanitas ipſa ſub illis panis & vini ſpeciebus mirabiliter occultata. Diuinis tamen

1. Cor. 11. verbis indubitanter cum Diuo Paulo aſſentimur, *Ego enim,* (inquit ille) *accepi à Domino, quod & tradidi vobis : quoniam Dominus Ieſus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit : Hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem.* Credimus nanque, & certiſſima fide tenemus, quod eademmet vi & efficacia diuini verbi, qua ex nihilo facta ſunt omnia, efficitur hæc panis, & vini in Chriſti corpus, & ſanguinem tranſſubſtantiatio. Hac enim efficaciſſima ratio-

Ambr. lib. 4. de Sacram. ne reſpondet diuus Ambroſius cuilibet quærenti, quænam ſit hæc tanta vis illorum Chriſti verborum, quibus hoc diuinum ſacramentum conficitur, vt poſt illorum prolationem à legitimo ſacerdote ſtatim deſinat ſub illis ſpeciebus eſſe ſubſtantia panis, & vini, & ſit realiter præſens ipſiuſmet Chriſti Domini corpus & ſanguis : Quis ſermo Chriſti? ait Ambroſius, Nempe is, quo facta ſunt omnia. Iuſſit Dominus, & factum eſt cælum (& ſic cætera omnia.) Vides ergo quam operatorius ſit ſermo Chriſti? ſi ergo tanta vis eſt in ſermone Domini Ieſu, vt inciperent eſſe quæ non erant, quanto magis operatorius eſt, vt ſint quæ

grant, & in aliud commutentur?] Licet autem hæc certiſsima fides in omnium fidelium animis ſemper habit aliter exiſtat, prima tamen præparatiua diſpoſitio ad dignam tanti ſacramenti ſacramentalem ſuſceptionem eſt actualis & moroſa huius fidei noſtræ myſterij conſideratio: hinc enim proueniet reuerentialis ille timor, & profunda humilitas, quæ ad tanti ſacramenti participationem requiritur. Vnde, quæſo, effectum eſt, vt Centurio hic Romanorum militum dux, in Romana elatione, & arrogantia enutritus (quæ omnem orbem deſpicere ſolebat) ſe indignum iudicaret, vt Chriſtus Dominus in domum eius introiret (qui & humiliter incedebat & pauperum domos ſæpe ſæpius ingrediebatur, vt ægrotis opem ferret) niſi ex ea diſcurſiua conſideratione, quam primo animo concepit, deinde verbis explicauit inquiens, *Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites, & dico huic vade & vadit, & ſeruo meo, fac hoc, & facit.* Ita nanque diſcurrendo infert, ſi ego, qui homo tantum ſum, & homo ſub poteſtate ſuperiorum meorum conſtitutus, quia tamen ſuperior ſum cum ijs militibus, qui ſub me militant, tum etiam ſeruis meis, quorum miniſterio vtor, meæ dignitati indecens eſſe iudico, ea per me efficere, quæ per ipſos poſſunt fieri: vnde & equum præparare iubeo ſtabulum non ingrediens, milites ad nocturnas vigilias præcipio abire, & in lecto dormiens quieſco, & omnes ad vnguem imperata exequuntur: Tibi Domine, qui omnium es Dominus, & cui omnia ad nutum obediunt, vt à puero meo omnem ægritudinem depellas, perfectamque ſanitatem concedas, non opus eſt, vt ad eum accedas, neque domum meam ingrediaris, ſed ex hoc loco dic verbo & ſanabitur. Magnus quidem, & vere magnus actus fidei ab illa fide elicitus, quam Dominus ipſe iam in Centurionis animam infuderat: attamen ad hunc actum eliciendum diſcurſus ille plurimum fecit, & illa conſideratione mediante in tam fidelia verba prorupit. Vt igitur diuiniſsimi Euchariſtiæ ſacramenti excellentiam, & dignitatem aliqua

 ex par-

vnde illa pars quæ quibuſdam eſt Oriens, erit Occidens contrariam incolentibus partem, & vice verſa. Ego tamen in ea ſum ſententia, vt exiſtimem illam partem, quæ in ſacra ſcriptura Oriens dicitur, naturaliter ſibi illum locum vendicate, & in ea primum creatam fuiſſe lucem: quod quidem ex effectibus conijcere licet. Perſpicimus enim in illis orbis partibus, quæ Orientales dicuntur, res precioſiſſimas & odoriferas atque ſaluberrimas procreari, quæ in alijs orbis partibus minime reperiuntur: quod quidem euidens ſignum eſt lucem ipſam, qua mediantes Dominus vt naturæ ſupremus auctor in mundum influit, ibi primum radios emiſiſſe, operandique virtutem exercuiſſe. Hinc effectum eſſe arbitror, vt Chriſtus Dominus in quamplurimis ſacræ ſcripturæ locis Oriens appelletur: quia videlicet cum ipſe, vt Diuus Paulus ait, ſit noſtræ fidei & auctor, & conſummator, Hebr. 12. mediante hac fidei luce cætera bona gratiæ, charitatis, ac reliquarum virtutum in animas fidelium diuinus hic oriens infundit. Eccleſia vero catholica eſt hæc Orientalis regio, ab ipſo Oriente Chriſto Ieſu illuſtrata, & ex eo omnium ſpiritualium bonorum abundantiſſima.

At quæſtionem hanc de ſitu materialis Orientis Aſtrologis & Philoſophis relinquentes, Chriſti Domini verba expendamus, habent enim magnam vim, timoremque conſiderantibus incutiunt. Namque illis ſignificare voluit, quod quamuis illi Iſraëlitico populo à ſanctiſſimis Patriarchis Abraham, Iſaac, & Iacob deſcendenti, ſub figura & vmbra Terræ promiſſionis, præcipue ſit promiſſa cæleſtis hæreditas, ad quam poſsidendam ſumus procreati, & ob hanc promiſsionem filij regni peculialiter fuerint Iſraëlitæ ipſi cognominati (quæ promiſsio mediante fide in Chriſtum ipſis patribus promiſſum, erat adimplenda) Cum tamen illi ſponte ſua oblatum & præſens hoc lumen reſpuerent, quod ab ipſis gentibus, ex quibus Centurio erat (quamquam à Iudæa longiſsime diſtarent, & remotiſsimas Orientis atque Occidentis

ium arbitrantes propriæ voluntatis ſubiectione promereri deſpexerunt, ab ipſo cælo Empyreo & regni æterni ianua in ignem æternum ſunt deturbati; nos, qui ex terra geniti, & qui terrenis actibus implicamur, qua ſpe, qua fiducia regni cæleſtis poſſeſſionem nobis pollicemur ſolis diuinis promiſſionibus freti, cum parum aut nihil pro ea adipiſcenda laborare ſtudeamus? Perſpicimus ſane quomodo Deus omnipotens, qui lucem illam primo die creauit, eamque diem appellauit, ea mediante ex tunc vſque modo mundum illuminare non deſtitit, vniuerſum ſingulis diebus ambiens ; circumiens : & ſic vſque in finem mundi perdurabit, illi tamen, qui ſe domi concludunt, oſtia & feneſtras, & oculos claudunt, lucem hanc minime intuentur, & in tenebris voluntarie verſantur : ita in hoc ſpirituali mundo euenire ſolet : licet namque Chriſtus Dominus, qui eſt lux vera, quæ ex ſe illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.] Ioan. 1. ſemper ſuæ lucis radios emittat, & tam fide quam etiam gratia ac charitate hominum animas illuſtrare ſit paratus, non tamen huius diuinæ lucis ſunt participes niſi illi, qui obicem propriæ voluntatis non opponunt, ſed ſe ab illa luce duci ſinunt, non vero ij, qui diuinæ gratiæ deſunt.

In illo autem verbo *Recumbent*, conuiuium deſignari putant & Pater Auguſtinus, & Origenes : recumbere nanque proprie ad menſam ſedere ſignificat : in quo datur intelligi quanta ſit futuræ gloriæ tum abundantia, tum quies. Eſt ibi cibus, & pabulum Deus ipſe, qui cum ſicuti eſt videatur, beatorum mentes in æternum ſatiabit : de quo loquitur Dauid, cum dicit, *ſatiabor, cum apparuerit gloria tua.* Quia verò, Catholica Eccleſia adhuc in præſenti vita dicitur etiam regnum cælorum, ſuam quoque habet menſam ſacrumque conuiuium, in quo Chriſtus ſumitur : quare eodemmet pane Eccleſiæ filij in huius menſæ, circuitu recumbentes ſatiantur, qui beatis in cæleſti regno miniſtratur, licet diuerſis & modis, & conditionibus. Illic enim manifeſte deitas ipſa videtur, nec non &

Auguſt. Origin. Pſal. 16.

ſacra

sacra Christi humanitas gloriosa, at hic vtrumque velatum: Illic sine periculo vel timore amittendi possidetur, hic non quotidie tantum, sed singulis vitæ momentis de ipsa æterna vita gratiæ, & gloriæ periclitamur: illic nullus recumbit, qui non sit filius Regni: hic sæpe sæpius ad sacram Eucharistiæ mensam sedere præsumunt, qui perditionis sunt filij. Est tamen inter has mensas similitudo, quia sicut in illo æterno beatitudinis conuiuio, tantum quisque percipit, quantum fide per charitatem operante in hac vita promeruit: ita in hoc sacrosancto Eucharistiæ sacramento, tantum vnusquisque spiritualium bonorum percipiet, quantum se actibus fidei, charitatis, & humilitatis ad recipiendum disposuerit.

In tenebras exteriores. Non incongrue per has tenebras exteriores, infernales tenebras cum Caietano intelligi posse existimo: quæ quidem dicuntur exteriores, respectu ad interiores mentis tenebras, in quibus eorum animæ iacent, quæ peccatis sunt infectæ: & ob hanc causam peccatores ipsi quam diu in peccatis fuerunt, à Diuo Paulo tenebræ dicuntur (vt iam superius diximus) *Eratis,* inquit, *aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Quapropter qui sine debita peccatorum pœnitentia ac remissione ex hac vita exeunt, ab ijs interioribus tenebris in illas inferni exteriores conijciuntur, vt ibi perpetuo torqueantur. Si ea, quæ de principio creationis retulimus, vobis memoria non exciderunt, illud aduertere potuistis, quod cum dixerit Moyses, *Et tenebræ erant super faciem abyssi,* non tamen dicit Deum omnium opificem tenebras creasse, sed solum, *diuisit,* inquit, *lucem à tenebris.* Tenebras igitur Deus non creauit, quia tenebræ non habent esse, cum sint priuationes lucis. Sciendum est, inquit Pater Augustinus, quod Deus, & species, & naturas ipsas rerum facit & ordinat, priuationes autem specierum defectusque naturarum non facit, sed ordinat tantum. Vnde dicit, Fiat lux, & non fiant tenebræ: horum vnum fecit, alterum non fecit, vtrumque tamen ordinauit cum diuisit lucem à tene-

Caieta.

Ephes. 5.

August. in Genes.

tenebris, ne vel ipsæ priuationes rerum non haberent ordinem suum ipso auctore regente. Sicut enim in cantu figurato pausationes illæ, in quibus aliquæ voces tacent, ab ipsamet arte musices ordinantur ad musicum concentũ, & in pictura vmbræ à pictoribus interponuntur, quæ non specie sed ordine placent: sic vitiorum nostrorum non est auctor Deus, sed ordinator, cum eo loco peccatores constituit, & ea perpeti cogit, quæ merentur. Ita & ipso faciente pulchra sunt singula, & ipso ordinante pulchra sunt omnia.] Cum igitur nec interiores peccatorum tenebræ, nec interiores inferni, in quantum sunt tenebræ, à Deo bonorum omnium effectore sint productæ, quæ tamen vt sapientissimus gubernator disponit, & ad suam gloriam ordinat, illi qui sponte sua perfidiæ, & malitiæ tenebras diligunt, ac à vera fidei luce oculos auertunt, diuina in illis iustitia exaltabitur, cum ad æternas inferorum tenebras fuerint amandati, vt ibi sine fine torqueantur. Infernus namque ipse & tartari spiritus cæteraque damnatorum turba diuina dispensatione ad pulchritudinem vniuersi inseruiunt, & licet inuiti & repugnantes, diuinæ iustitiæ æquitatem manifestant: sicut in supremo illo Empyreo cælo & in electorum sempiterna beatitudine ineffabilis, & immensa Dei bonitas ac munifica liberalitas elucet. Quapropter, fratres charissimi, vos in huius sermonis fine oro vehementer, & exhortor, vt hoc vnum attenta consideratione perpendatis, quod scilicet vnusquisque nostrum, velit nolit, Deo inseruire eiusque gloriæ manifestandæ instrumentum fieri debet, vt vel in iustissima peccatorum punitione eius æquitas & iustitia resplendeat (sicut Iudæis euenit, qui propter summam eorum duritiam, & mentis cæcitatem, qua verum, Christi Domini lumen respuerunt ad æternas inferorũ tenebras meruerunt ablegari) vel vt summa eius misericordia exaltetur, quando peccatoribus in animo contrito, & humiliato venientibus liberalissime veniam concedit: sicut Centurioni contigit, quando ab ore Domini, audiuit, *Vade & sicut credi-*

dist

disti fiat tibi. Et cum insuper Deus ipse, qui omnia ex nihilo in principio produxit, lucisque & auctor, & conseruator extitit, semper & in omni nostro euentu idem maneat in se immobilis, æternus, gloriosus, eiusque gloria super cælos exaltata, in nobis vero solum atque in nostram vel perniciem, vel commoditatem hæ fiant mutationes: toto animi conatu contendamus Deum ipsum omnipotentem intime venerari, eius mandata diligenter exequi, operibus lucis eum
Rom. 13. colere, & vt Paulus ait: *Sicut in die honeste ambulemus.* Vt tandem ab hac subobscura fidei luce, gratia & charitate exornata, ad lucidissimum gloriæ lumen transeamus, æterna Dei visione fruituri. Quam nobis donet ipse Deus. Amen.

FERIA QVINTA.

De Cananæa.

Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum, &c. Matth. 15.

Secundus dies Creationis.

PRocreatis primo die Cælo Empyreo, terra, aqua, & luce, & ipsa aquarum abysso, totum illud magnum spatium à terra vsque ad ipsum cælum occupante, cum secundus dies aduenisset, *Dixit quoque Deus, Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, diuisitque aquas, quæ erant sub firmamento, ab ijs, quæ erant super firmamentum: &*
Basil. Ambr. *factum est ita.* Sanctorum Basilij, Ambrosij, & aliorum plurium sententiam sequentes hac die creasse dicimus Deum ex aquæ materia reliquos cælos, ignemque simul, & aërem, quæ omnia vno nomine firmamentum appellauit, vel (vt alij legunt) expansionem.

nem. Illius namque aquæ, quæ medium occupabat, aliquam partem diuina virtus rarefecit, ac dilatauit, ex illaque materia tenuiſsima cæleſtia corpora efformauit, quæ ſubtilitate ignem aëremque excedunt, eaque corpora ſuper omnia alia extenſa mundum ambiunt, & veluti fornices circuiunt, & vndique cooperiunt. Dicuntur autem Firmamentum cum propter naturæ ſuæ incorruptibilitatem, tum etiam propter firmum & perpetuum ordinem, quem ab initio in ſuis curſibus ſeruant, qui nulla humana vi poſſunt immutari ſeu impediri. Vnde dicit Eliud apud Iob, *Tu forſitan cum eo fabricatus es cælos, qui ſolidiſſimi quaſi ære fuſi ſunt.* (Vel quaſi ſpecula, aut alia habet litera) quibus verbis cæleſtium corporum, & ſplendor & fortitudo declarat? Nouem tantum eſſe cælos hos conſtans eſt pro maiori parte, tum Philoſophorum, tum Aſtrologorum ſententia, quamuis Ptolomæus decimum addat: ſed cum ſine euidenti neceſsitate res non ſint multiplicandæ iuxta omnium Philoſophorum placitum, & ad omnes curſus peragendos nouem ſufficiant, hunc numerum veriorem arbitror: quod ex eo etiam mihi perſuadeo, quia cum ſint nouem Angelorum chori in cælo Empyreo collocati qui per ſpirituales quaſdam influentias, & à ſuperioribus ad inferiores illuſtrationes miro ordine gubernantur, conuenientiſſime illis reſpondent nouem materiales cæli influentias ſibi inuicem communicantes, quibus hæc inferiora ſubijciuntur, ſi à primo & inferiori cęlo aſcēdendo numeremus, inueniemus in ſeptem primis ſeptem eſſe planetas collocatas; in octauo Stellæ omnes continentur: nonum primum mobile appellatur. Sunt inter ſe miro modo contigui, ita vt nihil medium interiaceat: vnicuique adeſt Angelus, qui illud mouet, eumque ordinem ſeruant, quem Deus in principio ſtatuit. Primum mobile ab Oriente in Occidentem naturaliter & rapidiſſimo curſu mouetur, indeque iterum ad orientem redit circuiens omnia, quæ infra ſunt, vnius diei naturalis ſpatio: reliqui

Eliud. Iob. 37.

verò octo natura sua ab Occidente ad Orientem gradiuntur, at primum mobile, tanta vi ac velocitate mouetur, vt cæteros post se trahat, & eundem diurnum cursum simul peragere quadammodo cogat: qui tum paulatim proprios cursus conficiunt in maiori vel minori temporis spatio, secundum quod à primo mobili distant. Hoc firmamento, & magna nouem cælorum mole diuisit Deus illam aquarum abyssum, partimque earum super eos collocauit, infra Empyreum, partim verò super terram dimisit, vndique eam ambientes. At quænam sint aquæ illæ super nouem cælos collocatæ non satis compertum est: quidam namque doctores cum difficilimum, & multis contradictionibus implicatum arbitrentur, aquas liquidas, & eiusdem naturæ cum inferioribus eo in loco esse sitas, in ea sunt sententia, vt existiment cælum aliud ex illis esse confectum, & veluti gelu condensatum, quod cum Cristalli speciem referat, Cristallinum cælum dici potest. Ego verò sapientissimum Ambrosium sequendum duco, qui multis ostendit illas aquas veras, liquidas, & naturales existere, ea potissimum ratione ductus, quia simplicissimis & perspicuis verbis sacra scriptura refert Deum diuisisse aquas, quæ erant sub firmamento ab aquis quæ erant super firmamentum, & ita factum est: quare ergo æquiuocationem concedemus in nomine aquarum vtrobique, & vnico contextu positum? Id ipsum, inquit, multis alijs locis sacræ scripturæ reperimus claris & apertis verbis significatũ, quæ non sine grauiori incommodo ad alios sensus detorquere conuenit: cum præsertim negandum non sit, Deum per suam omnipotentiam, id efficere potuisse, licet omnes nostræ rationis & intellectus discursus excedat. Quod sanctus Doctor ex illo Psalmi efficaciter probat, *Laudate eum cæli cælorum, & aquæ quæ super cœlos sunt laudent nomen Domini.* Quid euidentius, inquit Ambrosius, dici potuit? ac quoniam intellectui nostro, vt debili, & infirmo multæ circa hoc difficultates se offerre debebant occurrit, sanctus Dauid inqui-

Ambros. | Psal. 148.

inquiens; quia ipse dixit, & facta sunt; ipse mandauit & creata sunt] vt ea effici ab illo credamus, quæ omnem superant intellectum. Quare hoc secundo die easdem met abyssi aquas per firmamentum ex illarum materia procreatum in duas illas partes diuisit, & ipsum in medio constituit: superiorem partem super cælos ipsos collocauit, ad eum effectum, quem ipse solus nouit; inferiorem super terram esse iussit vsque ad diem tertium, vocauitq; firmamentum cælum eodem nomine quo Empyreum iam antea Spiritus sanctus appellarat. Tria igitur sunt quibus in sacris literis nomen cæli inditū est: Primo quidē Empyreo, & loco illi in quo beatorum sedes est collocata. Secundo Æthereo firmamento, quod nouem continet cælos. Tertio Aereo elemento, in quo aues versantur. Vnde volucres cæli dicuntur. Hoc loquendi modo vsus est Diuus Paulus cum dixit, se vsque ad tertium cælum raptum fuisse, nimirum ad Empyreum, in quo vidit arcana illa verba, quæ non licet homini loqui: Et factum est vespere, & mane dies secundus. 2. Cor. 12.


Vt spiritualem sensum perscrutemur, veniat vobis in mentem profunda illa abyssus cogitationum cordis nostri, de qua superiori sermone egimus, quæ quidem postquam veræ fidei luce fuerit interius illustrata, ex vna parte supremum licet cælum Empyreum attingat, ex altera tamen ad terram pertingit. Quamuis enim hoc fidei lumine mens nostra firmissime innixa, diuinæ bonitatis infinitas misericordias contempletur, & ea omnia beneficia quæ in homines etiam in hac vita contulit, perfecte confiteatur & credat, perpēdit tamē & experitur quod corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & eam in legem peccati captiuam conatur ducere: vnde se multis peccatorum nexibus implicatam sentiens pusillanimitate, & vecordia vehementer impugnatur. Medium tenuere beati: cum magnum instet periculum si in alteram tantum partem animus noster feratur, si enim tantum nobis in mentem venit diuinæ beneficentię Sap. 9.

 multi-

Eccleſ. 5. multitudo, & dicimus Miſeratio Domini magna eſt multitudinis peccatorũ meorum miſerebitur] in maximum temerariæ confidentiæ periculum incurrimus, quæ nos & ad peccatorum emendationem remiſſos, & ad bona opera exercenda deſides facit. Si autem è contra in ſolam naturæ noſtrę imbecillitatem, pronam ad vicia, Si in inclinationẽ & malam peccandi conſuetudinem oculos conijciamus, in aliud non minus periculoſum barathrum nimiæ diffidentiæ ac puſillanimitatis deijciemur, ita vt nec peccata relinquere, nec virtutes amplecti nobis poſsibile videatur. Inter has igitur abyſsi aquas contrariaſq; mentis noſtræ conſiderationes ſi diuina gratia opitulante medium locum teneat firmamentum. Humilitas nimirum euangelica à Chriſto Domino toties & tantopere commendata in tuto erit anima, & vtrunque periculum euadet. Vera namque humilitas cæleſte eſt firmamentum ex ijs aquis, videlicet ex vtraque conſideratione generatum, cum anima fidei lumine illuſtrata ex vna parte propriam vtilitatem, imbecillitatem, & proprium, vt ita dicam nihil agnoſcens, ex altera immenſam Dei bonitatem, ſummam clementiam, miſerationum infinitam multitudinem ob oculos ponit: indeque quantum ſe ipſam contemnendam iudicat, ſummeque imbecillem agnoſcit, tantum omnem ſuam ſpem, ac fiduciam in ipſo Deo collocat, & ab eo omnia bona ſibi fore expectanda intelligit. Ad hoc ſolidiſſimum humilitatis firmamentum totis viſceribus amplectendum ſit vobis exemplum mulier Cananæa à finibus Tyri & Sidonis egreſſa, quæ à Chriſto Domino ſemel & iterum repulſa, cum ad eius pedes humi proſtrata, Apoſtolos etiam habens intercesſores, audiuiſſet ſatis aſperum ab ipſius Chriſti ore reſponſum, non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus, ipſa tantum reſpondit. Etiam Domine nam, & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa Dominorum ſuorum.

Quibus verbis primum ſuam ipſius vilitatem libere

bere confitetur, cum se inter canes adnumerari posse confirmat, deinde in nouam spem erectã, omnia summa fiducia se ab ipso Domino consequi posse existimat cum se catellis comparat, qui de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum alij consuescunt. Perpendite quæso, quonam pacto hæc sapiens mulier aquas superiores ab inferioribus diuiserit, & inter vtrasque humilissimæ fidei, & fidelissimæ humilitatis firmamentum collocauerit. Christo Domino supremi domini locum attribuit, sibi vero infimæ seruitutis, & hac tam humili suæ paruitatis confessione eum ad sibi subueniendum fere coëgit. Diuus Hieronymus tres in hac muliere virtutes præcipue commendat: Fidem, Patientiam, Humilitatem. Fide cognouit diuinam Christi potentiam, per quam filiam suam à Dæmone liberari posse credidit. Per patientiam didicit aspera Christi respõsa æquo animo ferre, & perseueranter orare. At humilitatem accepit ita de se humiliter sentire, vt se non canibus, ait Hieronymus, sed catulis compararet, Canis enim ad aliquid vtilis est, vel scilicet ad venationem, vel ad custodiam, vel saltem ad comitatum. Catellus autem nihil habet commodi nisi ad ludum puerorum, quippe qui nec vires, nec industriam habet vt aliter cibos quærat, quam colligendo micas quæ de mensa dominorum cadunt. Cum igitur Cananæa tantum se dimiserit suamque imbecillitatem sine Dei ipsius adiumento tam humiliter sit confessa, ideo audiuit. Mulier magna est fides tua, magna namque humilitas magnam fecit, & fidem. Hieron.



Si dubites quonam pacto Humilitas cælesti firmamento assimiletur? vt dubitationi satisfaciam, erit in memoriam reuocandum, quæ supra de soliditate atque incorruptibilitate cælorum diximus, qui nimirum nec ab intrinseco causas habent propriæ corruptionis effectrices, nec ab extrinseco ab elementis cæterisque terrenis mutationibus lædi possunt, aut à suis cursibus præpediri. Ad hunc modum vera & euangelica humilitas quandam habet ex se incorruptibi-

ruptibilitatem, qua cæteræ virtutes conſeruantur, & ſine qua permanere non poſſunt: vnde à ſanctis patribus vitæ Chriſtianæ fundamentum appellatur, cui innititur ſpirituale ſanctæ Animæ ædificium. Quod quidem humilitatis fundamentum, & firmamentum ex eo hanc cęleſtem ſoliditatem acquirit, quia omnis eius vis ſecuritas, & robur eſt ipſemet Deus, cui ſolum innititur. Audiamus S. Auguſt. hoc ipſum diuinis verbis explicantem ſuper illud: Ad me ipſum conturbarta eſt anima mea. Vis, inquit, vt non conturbetur? non remaneas in te ipſo, & dic, Ad te Domine leuaui animam meam. Noli ſperare de te, ſed de Deo tuo: nam ſi ſperas de te, anima tua conturbatur de te, quia non inuenit vnde ſit, ſecura de te. Ergo quoniam ad me conturbata eſt anima mea, quid reſtat niſi humilitas, vt de ſeipſa anima non præſumat, nihil ſibi tribuat?] Hoc enim modo poterit cum Diuo Paulo ſecure dicere, omnia poſſum in eo, qui me confortat. Rectiſſime quidem à Diuo Chryſoſto. dictum eſt, quod ad vitam in ſumma ſecuritate ducendam humilitas eſt vnicum remedium: cum enim omnino à Deo dependeat, & nihil de ſe præſumens cuncta à ſolo ipſo Deo ſibi expectanda fore conſtituat, neque terrenis honoribus extollitur, neque opprobrijs deprimitur, diuitias non concupiſcit, pauperiem potius amat, quam veretur, omniaque extra Deum pro nihilo ducit. Ex quo infert Chryſoſtom. quod veram animi magnitudinem atque præſtantiam humilitas facit: ſuperbia namque, & animi elatio ſeipſam, & terrenam gloriam ac potentiam non excedit, atque in ijs ſibi finem conſtituit, quæ omnia ex ſe infima, & nullius momenti exiſtunt: at humilitas, vt diximus, Deum ipſum amplectitur, illi adhæret, ſuper ipſum omnis fiduciæ fundamentum collocat, & cætera omnia parui pendit: quare & animi magnitudine, & ſumma ſecuritate perfruitur: quam ipſe Dominus humilibus promiſit cum dixit, Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris, Ad huius doctrinæ confirmatio-

Auguſt. in Pſal. 42.

Chryſoſt. hom. 1. ad Cor.

mationem facit D. Gregor. expositio super illa verba Elíud, quę superius recitauimus, cum de cælis loquens dixit, Qui solidissimi quasi ære fusi sunt: ait namque, cælorum nomine posse eorum animas intelligi, qui cum Diuo Paulo dicere possunt: Nostra conuersatio in cælis est, qui quidem adeo firmi & solidi sunt, ac si ex ære essent compositi, quia cum soli Deo innitantur, eidem intime adhærentes, & nihil sibi fidentes, omnes humanarum rerum vicissitudines veluti cælum ipsum facillime superant. Quid fœminea conditione fragilius? quid muliere infirmius? Hæc vero mulier, & natura ipsa fragilis, & fragilior ob nimium in filiam amorem, toties à Christo Domino repulsam passa, toties responsionũ asperitate reiecta, firma semper consistit, constanter perseuerans, quia humilitate solidata, omnem suam fiduciam non in se sed in ipso Christo posuerat. Greg mor. l. 27. c. 25.

Quare dicit Ambrosius de hac muliere Cananæa, quod vere rapuit regnũ cælorũ: Pertinax in precibus, sapiens in responsis, fidelis in verbis. Prætereuntem reuocat, carentem rogat, excusantem adorat, negantem inclinat. Nonne tibi videtur eripere, cum elicit quod negatur? præripere quod alijs reseruatur? Negauerat enim dominus panem filiorum dari canibus oportere: at illa consensit, & consentiendo diripuit, dicens, Vtique Domine.] Ex ijs colligere nobis licet, pernecessariã quandam animæ dispositionem ad fructuosam diuinæ Eucharistiæ susceptionẽ, quæ quidẽ est vera, & sincera humilitas, quã superius explicauimus, firmamentoq; simillimã esse ostendimus. Hæc si quidẽ efficit, vt animus fide illuminatus huius cælestis panis, (qui est panis filiorũ Dei) diuinã excellentiã cognoscat, & admiretur, indeq; ad propriã vilitatem oculos conijciens se indignũ iudicet, vt tanti mysterij sit particeps: eum non solum filij sed nec abiectissimi serui nomen se mereri arbitretur. Ij, qui in eadem peccata relabuntur tum à sapiente Salomone, tum à Diuo Petro Canes qui ad vomitum reuertuntur, merito appellantur. Cum igitur tot simus qui quam sæpis- Ambr. super Luc. lib. 5. Prou. 26. 2. Pet. 2.

sæpissime ad eadem atque alia quam plurima peccata reuerti non dubitamus, vel etiam pro nihilo ducimus, merito, & optimo iure hanc humilem Cananææ confessionem verissime possumus iterare, & trementes atque rubore suffusi ad hoc diuinum sacramentum accedere diuidentes has abyssi aquas diuinæ, scilicet, ac tremendæ maiestatis, & nostræ indignitatis. 1. Cor. 11. Ad quod facere videntur illa Diui Pauli verba: *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat, Qui enim manducat, & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit non dijudicans corpus Domini.* Quid est autem dijudicare, nisi hanc diuisionem prius animo concipere, & quantum inter tanti mysterij altitudinem & nostram ipsorum vilitatem intersit humilissima consideratione discurrere? Hinc enim procedet tum vera animi submissio, tum etiam peccatorum nostrorum humilis confessio, quæ quantum est ex parte nostra, ad dignam huius sacramenti perceptionem præparemur. Theophil. in Matth. Ad hunc modum Theophilactus hanc Cananææ historiam allogoricè interpretatur, inquiens, quod anima nostra est mater operum nostrorum: Si autem opus fuerit peccaminosum, illud ad Diabolum pertinebit, qui ad tale opus excitauit: & hæc est filia nostra à Dæmonio male vexata. Quot autem habuerimus mortifera peccata, tot in nobis Diabolus habet opera sua: qui vero ijs mortiferis operibus est implicatus, in sacra scriptura, vt supra diximus, Canis appellatur. Et quandiu vnusquisque nostrum in eo statu fuerit, non est dignus, inquit Theophilactus, panem Dei recipere, & particeps fieri immaculatorum mysteriorum, si vero cognoscentes nosmetipsos per humilitatem Catulos esse, confiteamur peccata nostra, tunc sanabitur filia, scilicet operatio praua, & ad mensam Dominicam digne accedemus.

Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israël. Ex eo hæc Domini verba difficilia videntur, quia Dominus ipse mulierem Samaritanam iam quæsierat, & cum conciuibus illius mulieris per biduum

duum fuerat conuerſatus eis viam ſalutis oſtendens, quam conuerſionem ita ad ſe pertinere oſtendit, vt dixerit, *Meus cibus eſt vt faciam voluntatem Patris mei, vt perficiam opus eius*, Si ergo ad hoc in mundum venit, vt Patris voluntatem in omnibus adimpleret, & opus ac voluntas ipſius Patris erat illa Samaritanorum conuerſio, qui quidem ad populum Iſraël iam maiori ex parte non pertinebant, quomodo ad ſolas oues Iſraël miſſum ſe dicit? Deinde venientem ad ſe multitudinem non ſolum ab Ieruſalem, & Galilæa, ſed etiam ab Idumæa, & à confinibus Tyri, & Sidonis, vt eius, & verbum audirent, & ſanitatem conſequerentur, vt Marcus narrat, à ſe non repulit: quare videtur operibus aduerſari ijs quæ modo verbis explicauit: omiſſis tamen varijs huius loci expoſitionibus, ea facilior & magis propria eſt, vt dicamus Chriſtum Dominum hiſce verbis ad illam promiſſionem à Deo Patre populo Iſraëlitico factam reſpexiſſe, cui primum, & præcipue ex vi illius promiſſionis miſſus erat, vt Zacharias cecinit, dicens: *Iuſiurandum quod iurauit ad Abraham patrem noſtrum daturum ſe nobis.* Quod iterum Diuus Paulus, apertiſſime nobis exponit, dicens: *Dico autem Chriſtum Ieſum miniſtrum fuiſſe Circunciſionis propter veritatem Dei ad confirmandas promiſſiones Patrum: gentes autem ſuper miſericordiam honorare Deum.* Quapropter ad populum quidem Iſraëliticum, & docendum, & ſaluandum Chriſtus Dominus miſſus eſt ex debito illius diuinæ promiſſionis, populo vero gentilico ex mera liberalitate, & miſericordia. Cum autem tanta ſit diuinæ veritatis infallibilitas, vt (ſicut ipſe Dominus dixit) cælum & terram tranſire poſsint, verba autem eius non præteribunt: quæ maiorem & ſoliditatem, & certitudinem, quam firmamentum ipſum, licet incorruptibile, continent: ne Iudæi fictam aliquam excuſationem præriperent, vt ſe ab eo ſequendo eiuſque doctrina amplectenda eximerent, ſi gentibus æque, atque ipſis prædicaſſent, & inter gentes publice verſaretur, miracula que perpetraret, ideo non ſe dicit

Ioan. 4.

Marc. 3.

Luc. 1.

Rom. 15.

missum nisi ad perditas oues Israëliticas, & occulte, & quasi furtiue gētilium fines ingreditur. Ait namq; Marcus hanc historiam enarrans, *quod ingressus domum, neminē voluit scire.* Hoc igitur fuit in causa cur tanta austeritate, responsionumq; asperitate mulierē Cananæam primo repulit, & Apostolorum pro ea intercessionem non recepisse visus est: eo enim hæc omnia tendunt, vt Iudæis ostenderet se esse paratum promissioni diuinæ satisfacere, & eis primo, & principaliter salutis viam ostēdere. At in populum gentiliū eius animus magno impetu ferebatur, à quo sciebat se esse summo affectu recipiendum. Quod illa verba satis ostendunt, *O mulier magna est fides tua: fiat tibi sicut vis.* Illis enim declarare videtur, magnam sibi ipsi vim Dominum Christum vsq; ad illius temporis momentum intulisse, ne Iudæis scandali aliquā licet minimam ansam præberet. At cum se vltra continere non posset, clementiæ, & innatę miserationi habenas laxauit, ac impetu quodam in illius miserę remedium prosiliuit, filiamq; à Dęmonio liberauit. Attamen cum diuinam illam promissionem Israëlitico populo factam sartamtectam semper voluerit conseruare, in omni vitæ suæ decursu, quando cum Apostolos tum etiam alios septuaginta duos discipulos ad prædicandū misit, illis in mandatis dedit, ne fines Iudaici populi excederent, neve ciuitates Samaritanorum ingrederentur, neque in viam gentium abirent. Postea vero quam super cælos ascendit, & inde spiritum sanctum misit super eosdem Apostolos, & discipulos, ipsi hoc spiritu pleni, Iudæis ipsius Christi Domini fidem prædicare cœperunt. Cum autem ab ipsis hæc fides non solum non reciperetur, sed palam summo odio consectaretur, ad gentes transierunt, Christum eis annuntiantes: & ita *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Ad hunc modum exponit Diuus Augustinus illud Psalmi: *Extendens cælum sicut pellem, qui tegis aquis superiora eius.* Allusisse videtur noster interpres ad firmamenti significationem illam, de qua superius egimus, cuius loco aliqui

Marc. 7.

Psal. 18.

aliqui expanſionem interpretantur. Si igitur (inquit Auguſt. in
Auguſtinus) literam ipſam ſolum attendamus, id no- Pſal. 103.
bis datur intelligi, tanta facilitate extenſam ſuper omnem terram, & elementa fuiſſe magnam hanc Cælorum machinam, ingentesq; fornices, quanta ſuper tentoria pelles extenduntur, nullas habentes rugas, vt apud Syros, & Palæſtinos erat conſuetum. Si autem ſpiritualem intelligentiam perſcrutemur, Cæli ſupra terram extenſi ſacræ ſunt ſcripturæ, & euangelica Doctrina, quæ noſtrum eſt firmamentum, & quibus veluti tegimur, & operimur, vt ſecure per omnẽ vitæ curſum poſsimus incedere, omnes impietatis, & perfidiæ errores deuitare. Pellis namque cum à mortuo animali extrahatur, mortalitatem deſignat: vnde & Adam in mortis ſententiam iam prolapſus, cum ab illo terreſtri Paradiſo eſſet expellendus, prius à Deo pellibus fuit indutus, vt ſe mortalem & moriturum agnoſceret. Quare hoc ſacrę ſcripturę cælum & hanc Chriſtianæ fidei doctrinam ſicut pellem extendere, nihil eſt aliud quam Euangelium per totum mundum prædicatum fuiſſe per homines mortales, & miniſterio huius noſtræ naturæ mortalis. Ipſe namque Chriſtus Dominus, cum mortalem vitam duceret, in Iudæa prædicauit, & euangelicam legem promulgauit: Apoſtoli ab eo miſsi & diſcipuli cæterique doctores ac Euangelij prædicatores homines mortales fuerunt: & ſunt illi, qui ad hoc vſque tempus nomen ipſius Chriſti ac fidem per orbem diſſeminare non ceſſant. Elegit, ait Auguſtinus, homines mortales, & morituros, adhibita lingua mortali, exhibuit ſonos mortales, adhibita diſpenſatione mortalium, adhibuit inſtrumenta mortalia, & in eo tibi factum eſt cælum, vt in re mortali cognoſceres verbum immortale.] Hi autem cæli ſicut pelles extenſi ſunt illi, qui enarrant gloriam Dei, & firmamentum, quod opera manuum eius annunciat. Vnde Apoſtolus Paulus de Apoſtolis cæteriſque euangelij prædicatoribus Pſalmiſtam loqui dicit illis verbis Rom. 10
iam ſupra citatis. *In omnem terram exiuit ſonus*

eorum

eorum & in fines orbis terræ verba eorum. Hi namque per totum Orbem velut pelles extensi, & lingua, & vita, & morte ipsa Christianam fidem, quæ in sacris literis continetur, sparserunt & propagarunt.

Chrysost. in Matth. *Fiat tibi sicut vis: & sanata est filia eius ex illa hora.* Quæ verba expendens Diuus Chrysostom. Hæc Christi vox, inquit similis est illi voci, quæ dixit, Fiat firmamentum & factum est. Quid accommodatius dici potuit? Eadem namque, ipsamet diuinæ omnipotentię vis, & efficacia, quæ in media aquarum abysso ex ipsa aquæ materia cælos produxit illo verbo: Fiat, & ipsis cælis iussit fieri illam aquarum diuisionem, & statim effectum est: eadem inquám, ob humilem illam atque perseuerantem fidem Cananææ Dæmonium à filiæ corpore expulit, & tam matris quam filiæ animas his beneficijs mediantibus ad consequendam gratiam æternamque gloriam præparauit. Quam nobis Dominus donet. Amen.

FERIA QVINTA.

De diuite, & Lazaro.

Homo quidam erat diues, qui induebatur purpura, & bisso, & epulabatur quotidie splendide, &c. Luc. 16.

Tertius dies Creationis.

DIsposita secundo die hac mundi sphera & naturali ordine ac situ elementis constitutis (terra nimirum vt globo quodam rotundo in medio collocata, deinde aquis vndiq; terram operientibus & ambientibus, tertio loco aëre subsequente vsque ad ipsos cælos seu firmamentum, vt iam dictum est supra) voluit Dominus hoc tertio die commodam hominibus, atq; cæteris,

teris animantibus habitationem præparare, & de alimentis ad eorum sustentationem prouidere. Vnde sequitur, *Dixit quoq; Deus: Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt, in locum vnum & appareat arida: & factum est ita. Et vocauit Deus aridam Terram, congregationesq; aquarum appellauit Maria: & vidit Deus quod esset bonum.* Huic diuinæ iussioni in ipso temporis momento obtemperans magnus ille aridæ globus ingentes aperuit voragines, in quibus magnam aquarum partem recepit, & exinde cœperunt montes exurgere, & terra super aquas hinc, & inde eleuari. Diuina autem prouidentia illico effectum est, vt per varias terræ partes flumina, & fontes distribuerentur ea lege vt ad mare reuerterentur, quo eius continua damna repararent, quæ tum à solis ardoribus tum ab impressione stellarum patitur per continuam in vapores, & exhalationes resolutionem, simulq; aridam ipsam irrigarent: lapidibus tanquam ossibus eam firmauit, & insuper metalla omnia ac mineralia lapidesq; pretiosos intra eam produxit. Cum igitur Arida magna ex parte ab aquis libera iam ad animalium habitationem esset accomodata, & ad producendum apta, eam Dominus Terram appellauit, illamq; aquarum abyssum in vnum congregatam Maria nuncupauit. Vnde effectum est, vt apud sacras literas quamcunque magnā aquarum congregationem Mare dicatur, sicut mare Galileę. Compressis aquis, & terminis fluctibus earum constitutis, quas minime transgredientur neq; conuertentur aperire terras. Dixit Deus, *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum, cuius semen in semetipso sit super terram: & factum est ita. Et protulit terra herbam virentem & facientem semen iuxta genus suum. &c. Et vidit Deus quod esset bonum: & factum est vespere, & mane dies tertius.* Quamuis autem iuxta veriorem opinionem, hæc prima rerum productio in mense Martio facta sit, quādo communiter tam arbores fructiferę, quā herbæ flores solummodo

modo immittere solent, non vero fructus & semina, conueniens tamen fuit, vt simul omnia tunc prodirent in suo perfecto statu, quo intelligeretur ex hac prima productione eã in qua perseuerant, continuatam generationem emanasse, & illius virtute conseruari. Terra igitur illa quæ antea aquis coopetta inanis erat & vacua, & ex eo Arida dicebatur, postquam hac tertia die habitabilis esse cœpit& ex se fructiferas plantas in animalium vsum germinare, adeo exculta & ornata oculis Domini apparuit, vt ipsemet illius tam vario ornatu gloriari videatur, & delectari, cum per Psalmistam dicit, *Et pulchritudo agri mecũ est*. Spiritualem huius diei operum intelligentiam sanctissimus Pater August. diuinissimis, & altissimis verbis nobis aperuit, cuius sensum humilioribus exprimere conabor, sicut igitur congregauit Deus hac die amaricantes aquas in locum vnum mareq; appellauit, cui & termines præfixit, & exinde apparuit arida, quæ fontibus irrigata ad eius imperium arbores pomiferas, herbasq; cũ seminibus produxit: sic ipsemet Dominus malas animarum naturarum cupiditates solus potest coercere, eisq; limites figere quousq; progredi finantur. Quib⁹ coercitis anima ipsa à societate maris huius distincta, Deũ sitiens, & ab eo dulci fonte irrigata eiusq; imperio obtẽperãs, germinat opera misericordię, proximos sicut semet ipsam diligens, eorũque miserias, vt proprias subleuare procurans. Quid diuinius, quid vtilius, quid aptius dici potuit? Ea n. est diuinæ charitatis natura, vt simul atq; animam occupauerit, ab eaq; peccatorum tenebras, & terrenas cupiditates depulerit, statim ad proximos intime in ipso Domino diligendos operibusque misericordiæ iuuandos inclinet. Inde effectum est vt quandiu terra licet aquis vndiq; circundata, & quantum ad suæ naturæ proprietatem spectat, purum esset elementũ, non tamen Terra sed Arida nuncuparetur, quia nimirum aquis illis, & situ ad aliorum vtilitatẽ non vtebatur. At quando ab ipsis aquis magna ex parte eleuata & (vt ita dicam) à suo loco mota, alijs cœpit esse perfi-

Psal. 49.

Aug. Con. l. 13. c. 17.

cua alimentorumque procreatrix, tunc nobilius nomen sortita est, & apud Deum pluris factui: vt hinc nos omnes ab ipsa terra efformati intelligamus, nihil Deo ipso gratius & ante eum honorabilius esse, quam alijs benefacere nihilq; ignobilius quã malũ inferre, vel bona in aliorum commodum non operari, cũ facultas suppetit. *Diuerte à malo*, inquit Regius propheta, *& fac bonum*. Quia vt vnusquisq; nostrũ suo muneri satisfaciat, non sufficit à malo declinare, nec amaricantes cupiditatum aquas congregare, dicẽdo intra semetipsum: Neminem odi, nulli mali aliquid feci, iniuriam ve intuli. oportet namq; vltra progredi bona operando, & ab hac terra nostra charitatis fructus produci. Expendenda sunt cum ipsomet Diuo August. verba illa quibus Dominus vsus est, quando iussit vt terra herbas arboresq; produceret. Producat terra herbam facientem semen iuxta genus suum, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta speciem suam. Vt terra, inquit ille, det fructum suum, & iubente Domino Deo suo germinet anima nostra opera misericordię, secundũ genus diligẽs proximũ in subsidiũ necessitatũ carnalium: quoniam ex nostra infirmitate compatimur ad subueniendũ indigentibus, similiter opitulantes quemadmodũ nobis vellemus opem ferri, si eodem modo indigeremus.] Ad eundem fere modum expendens D. Gregorius illamet verba. Tunc, inquit, lignum secundum speciem suam semen producit, cũ mens nostra ex sui cõsideratione, quod in alterum faciat, colligit, & recti operis germen parit.] Trita satis & per se nota est illa naturalis legis regula. Quod tibi non vis, alteri ne feceris.] Ex qua Christus Dominus intulit: *Quacumq; vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis*. Ac si dicat, ait Gregor. speciem vestram alterutrũ respicite, & ex vobismetipsis cognoscite quid oporteat vos alijs exhibere.] Quæri solet, quid fuerit in causa cur Lazarus mendicus vlceribus plenus, & omni humana ope destitutus, ante diuitis ianuam collocaretur, nullumq; alium locum ad habitandum deligeret? Cui quæstioni respondet Chryso-

Psal. 33.

August.

Gregor. moral. l. 7.

Matth. 7.

Chryſoſt. Chryſoſtomus & cum eo alij plures, id diuina prouidentia fuiſſe factum, vt diues ille tam largus bonorum ſuorum effuſor, præſentis Lazari miſeria ad miſericordiam illi exhibendam moueretur, & ob id miſericordiam apud Dominum inueniret. Habebat, vt ego arbitror. diues ille alia moralia bona, habebat Abrahami fidem, vtpote Moyſaicæ legis alumnus, vnde & Abrahamum appellauit Patrem, & ab eo filius eſt nuncupatus: illa autem fides tunc ad ſalutem conſequendam ſufficiens erat fundamentum. Non erat auarus, vt alter ille diues, qui horrea cogitabat conſtruere, vbi omnia bona ſibi ſoli reconderet in multos annos: imo diues iſte cum amicis, & cognatis tam large & ſplendide epulabatur, delicijſque vacabat, vt ideo illos nollet habere in inferno pœnarum ſocios, quia formidabat eorum aſpectu ſua fore tormenta grauiora. Bona inſuper, quæ poſsidebat, iuſte acquiſierat, & propria non aliena erant, neque ex ære alieno contracta. *Recepiſti*, inquit Abraham, Bernard. *bona in vita tua.* Quod Diuus Bernardus expendens, Recepiſti ait, & non rapuiſti: vel enim hæreditario iure à parentibus acceperat, vel alia iuſta negotiatione ea fuerat lucratus. Attamen quia inter hæc omnia bona, erat eius anima Arida omni compaſsionis motu carens, neque opera miſericordiæ germinans, Deus Chryſoſt. (inquit, Pater, Diuus Chryſ.) humanæ ſalutis auidus inquiſitor eum emollire cupiens, non tam Lazarum, quam ipſum pietatis conflatorium eius proiecit ad ianuam.] Addebat illi Dominus diuitias vt pauperi liberaliter ſuccurreret, pauperis autem fames, & extrema neceſsitas indies augebatur, vt diues ad miſerationem commemoretur. Et quia miſerabiles Lazari gemitus animum eius non penetrabant, ad aperiendum cor diuitis totum corpus pauperis vulneribus aperit (ait, Chryſoſtomus,) vt in admonendo diuite tot eſſent ora, quot vulnera.] Acceſsit ad eius duritiam magis oppugnandam illa miſericordia, quam canes alterius naturæ animalia ante eius oculos, pro vt poterant, exercebant Lazari vulnera lingentes,

gentes, vt ille homo homini eiusdē naturæ & gentis, illius saltem panis frustum, quod canibus proijcitur, porrigendum curaret. At ille impia ignorantia obcæcatus se hominem esse obliuiscens, carnem suam despexit, atq; facilem illam sibi oblatam salutis occasionem omisit: & ita aridus, omniq; charitatis viriditate, ac bonorū operum fructibus destitutus ad inferos igni inexstinguibili perpetuo cremādus descēdit.

Homo quidam erat diues. Erat, inquit Chrysost. & non est, quia præterijt quasi vmbra. Vnde effectum est, vt nomen apud Deum non haberet, qui bonis operibus misericordiæ nomen in cęlo non meruit. Licet enim apud homines diuites magnum habeant nomen, & sint omnibus noti, pauperes verò ignoti, tamen apud Deum hic qui opera misericordiæ non produxit, nec nominari dignus est. Quinque rebus Deus peculiaria nomina indidit in his diebus creationis, luci videlicet, tenebris, firmamento, aridæ, & aquarum congregationi, appellauit enim lucem diem, tenebras noctem, firmamentum cælum, aridam terram & congregationes aquarum Maria. Ea prima nomina, quibus à sacro historiographo nuncupantur, illis rebus conueniunt ob proprias & peculiares ipsarum proprietates, quoad se solum: cum autem Dominus Deus eas ad hominum vtilitatem ordinauit, illis nominibus appellandas censuit, quibus cuiuslibet earum commoditas explicaretur. Lucem namque diem appellauit, quia hominibus diem facit: tenebras autem noctem, quia require, & somno est accomodata. Firmamentum in se solidum & firmum, nobis cælum, quo tegimur, & cuius influentijs ac reuolutionibus sustentamur. Arida tunc fuit terra, quando nobis fuit proficua, germinans plantas arborum, & herbarum. Aquæ demum quæ super vniuersam terram dispersæ, non nisi abyssus erant, quando è loco suo motæ, & terminis coarctatæ nobis poterant prodesse, tunc à Deo Maria nuncupantur, nomenque ab eo sortiuntur. Considerandum etiam est non dici de firmamento.

Vidit Deus quod esset bonum.] eo ipso die quo primo creatum est, sed in quarto die quando syderibus ac planetis fuit ornatum, quibus mediantibus in terras influit, & hominibus inseruit: eodemque modo neq; de aquis aut de terra dicitur quod essent bona, nisi post quam ex se ea bona produxerunt, quibus cum hominibus, tum animalibus poterant prodesse. Ex quibus omnibus nobis satis demonstratur, quod ante Deum nomen habemus non tam ob ea bona, quæ possidemus, quam propter ea quæ alijs impertimur. Diuus Chrysost. ita per comparationem argumentatur. Qui viuit & sanus est, cibos appetit, & ijs nutritur & vegetatur: ipsa rursus alimenta in stomacho digesta, & in aliti substantiam conuersa, vitã ipsam & salutem conseruant. Qui ergo eam spiritualem vitam & salutem posſident, quæ in corda diffunditur per Spiritum sanctum qui animas sanctas inhabitat, statim appetitum ac veluti famem bonorum operum patiuntur, eaque quoad possunt exercere procurant. Ipsa vero bonorum charitatis operum exercitatio Spiritui sancto adeo est grata, vt ibi maneat, & vitam ac salutem animæ conseruet. At ècontra, si anima fuerit Arida, & circa bona misericordiæ opera claudicauerit, Spiritus sanctus auolabit, inquit, Chrysostomus, si autẽ Spiritu sancto vacui fuerimus etiam circa opera claudicabimus. Quando in principio aquæ erant super terram eamque vndique operiebant, Spiritus Dei super aquas ferebatur: & tamen de terra tunc dicitur quia erat inanis, & vacua: Cum enim diuinus ille Spiritus, qui est ipsamet diuina charitas, & ideo omnium bonorum operum patrator. nondum terram fæcundasset, atque ad producendum aptam reddidisset, inanis apud Deum censetur, & arida dicitur, quæ tamen simulatque ad germinandum fuit idonea, iam à Deo nomen accepit, & non arida sed terra dicitur. Diues autem ipse licet homo esset, & nobilis, & diuitijs affluens, & in seculo satis nominatus, quia charitatis, & misericordiæ operibus caruit, nominari apud Deum non meretur.

Chrysost. in epist. ad Rom.

Hæc

Hæc verò ad misericordiæ opera exercenda propensio optima est ad sacram Eucharistiam suscipiendam præparatio, eiusdemque perceptæ etiam effectus Est quidem præparatio, quia cum eleemosynas in pauperes largiendo, infirmos visitando, cæteraque misericordię opera exercēdo fraterna charitas augeatur, animus ad percipiendum diuinę charitatis sacramentum optime disponitur. Quod quidem nobis Christus Dominus suo exemplo aliquo modo commendauit, quando antequam in vltima cæna hoc diuinum sacramentum instituisset, prius pauperum Apostolorū pedes ex assiduis itineribus attritos proprijs manibus lauit & abstersit, opus illud non sine mysterio illo in tempore exercens, quo nos suo exemplo ad mutuam charitatem inflammaret. Hoc namque significare videntur illa ipsius Christi Domini verba Discipulis dicta post pedum ablutionem, cum iterum recubuisset. *Si ego laui pedes vestros Dominus, & Magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis* Est insuper sacrę Communionis effectus hæc commiseratio in pauperes, & miserijs oppressos: namque sicut Dominus opt. max. paternum ostendit charitatis effectum quando hac tertia die præparauit alimenta ad vitæ sustentationem necessaria tum hominibus, tum etiam cæteris animantibus, quæ in sexto die erat creaturus: sic etiam volens manifestare maiores bonitatis suæ, ac charitatis diuitias circa homines, quos redimendos susceperat, antequam è vita discederet, & ad consummatum redemptionis terminum perueniret, diuinum Eucharistiæ alimentum præparauit, quo animæ fidelium vitam spiritualem gratiæ possent conseruare. Vnde & ab ipso Domino Caro eius in Eucharistia exhibita vere cibus dicitur; quia veram charitatis vitam manducantibus elargitur. Qui ergo digne, vt decet huius sacræ communionis fuerit particeps, necesse est, vt eundemmet charitatis effectum in proximos ostendat miseri-

Ioan. 13.

cordiam miseris quantum facultas tulerit, exhibendo. Hinc effectum est, vt Diuus Paulus Corinthios verbis illis increpauerit, inquiens, *Conuenientibus* 1 Cor. 11. *vobis in vnum iam non est Dominicam cœnam manducare. Vnusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum: & alius quidem esurit, alius autem ebrius est.* Quod explicans Diuus Chrysostomus, ait fuisse apud Corinthios consuetum, vt illis diebus, qui- Chrysost. bus populus sacra Communione reficiebatur, ea peracta, in eademmet Ecclesia diuites mensas sternerent epulis refertas, ad quas pauperes, & egenos inuitabant, & cum eis simul cibum sumebant, hymnis atque spiritualibus canticis Deum laudantes: vnde & epulæ illæ ἀγάπαι dicebantur, id est charitates. At cum in deterius res prolaberētur, illud pium charitatis officium in prauum abusum à diuitibus conuersum est: splendida namque conuiuia in Ecclesia tanquam in suis domibus præparabant, & se mutuo diuites hinc & inde ferculis missis inuitabant, pauperes autem omnino eijciebant. Quod cum longissimè abesset ab illa fraterna charitate, quæ inter præcipuos diuinæ Eucharistiæ effectus numerantur, ideo Corinthij ab Apostolo dure arguuntur, & ne deinceps eiusmodi conuiuia in Ecclesia fierent prohibentur. Hanc pauperum eiectionem innuunt illa verba, *Alius quidem esurit, alius autem ebrius est.* Sicut huic impio diuiti contigit, qui cum quotidie splendide epularetur, mendicum Lazarum ante ianuam positum fame perire permisit. Gratissimum sane munus in gratiarum actionem ille, (vt arbitror) Deo offeret eo die, quo sacra communione reficitur, si ad mensam sedens aliquid inde ex ijs epulis, quæ magis appetit, alicui indigenti miserit. Quare Diuus Chrysostomus diuites exhortans ait, Quod proijcis de mensa, hoc pauperi præbe.

Induebatur purpura, & bysso, & epulabatur quotidie Ambros. *splendide.* Diuus Ambrosius perpendens illam alimentorum simplicitatem quæ ad animalium, hominumque sustentationem fuit ab ipso Deo ordinata,

quando

quando iuſſit è terra herbas, plantaſque pomiferas
prodire, in eos acriter inuehitur, qui exquiſitos re-
quirunt cibos, ita inquiens: Aduerte, deinde quia ſim-
plicem victum & naturalem cibum reliquis cibis
debuit anteferre. Hic enim ſobrietatis eſt cibus, re-
liqui deliciarum atque luxuriæ: hic communis o-
mnibus animantibus cibus, ille paucorum. Exem-
plum ita frugalitatis, magiſterium parſimoniæ eſt,
herbæ ſimplici victu, oleribuſque vilis aut pomi con-
tentos eſſe omnes oportere, quem natura obtulit,
quem liberalitas Dei prima donauit. Ille ſalubris, ille
vtilis cibus, qui morbos repellat, qui reſecet crudita-
tes, nullo hominum partus labore, ſed diuino effuſus
munere, ſine ſatione fruges, fructus ſine ſemine, tam
dulcis tam gratus, vt etiam repletis voluptati atque
vſui ſit. Denique ad primas datus menſas, ad ſecun-
das remanſit.] Huc vſque Ambroſius. Ex quibus
colligere licet, quamuis homines præſertim nobiles,
ſicut diuites inter ſumme neceſſaria ad ſui ſtatus ho-
norem conſeruandum epulari quotidie ſplendide in-
primis ducant: tamen ſi ea quæ à ſanctis Patribus de
his ſuperfluis cibis dicuntur, conſideremus, reperie-
mus ſane ex nimia hac ſplendide epulandi conſuetu-
dine, quamplurima vitia exoriri. Vnde de hoc di-
uite epulone ait Petrus Chryſologus: Purpura & **Petr. Chryſol.**
byſſo delicatis veſtibus, epulis blandis ferrea viſcera
crudelis anima nutriebat.] Sicut enim aues, & ani-
malia, quæ carnibus, & ſanguine paſcuntur, crudelio-
ra ſunt ijs, quæ herbis, & fructibus ſibi à Deo in ali-
mentum datis nutriuntur: ita ex nimio luxu atque
ingluuie huius epulonis tanta circa pauperem cru-
delitas nata eſt. Illos Imperatores Romanos non
tantum Chriſtiana religio, ſed etiam orbis vniuerſus
crudeliores eſt expertus, qui epulis largiſſimis cæte-
riſque corporis delicijs erant nimis dediti. Audiamus **Amos. 6.**
Amos Prophetam clamantem aduerſus habitatores
Ieruſalem, eo quod captiuis filijs Iſraël fratribus ſuis,
& grauiſſimis neceſſitatibus in Aſſyria oppreſſis non
miſererentur, Væ, inquit, qui opulenti eſtis in Sion

Quæri solet, si ex virtute illius primæ herbarum plantarumque productionis imperio diuino factæ terra ita ex se fæcunda remanserit, vt sponte sua absque vlla cultura exinde omnia procrearet, ita scilicet, quod si Adamus non peccasset, sine vllo agriculturæ beneficio omnes arborum herbarumque fructus collegisset, & sic deinceps omnes qui in eo statu ex eo generarentur. Videtur enim illi, fælicissimo statui conuenire, vt homo absque vllo labore & occupatione omnibus illis bonis frueretur, cum postea in peccati pœnam ad excolendam in sudore terram à Paradiso sit relegatus. Illa tamen rationabilior, & certior sententia habetur, quæ asserit Adamum in eo innocentiæ statu agriculturæ operam esse daturum. dicit enim sacer textus: Et tulit Deus hominem, & posuit eum in Paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illud.] Non esset quidem operatio illa corporis defatigatione & molestia comitata, neque inutilis, & infructuosa, sed ad naturæ exercitationem accommodata, & vt ij fructus, quos ex arboribus manu propria incisis, & irrigatis excerperet, dulciores illi forent. Oportebat namque vt Adamus inter cætera quæ ad se in eo innocentiæ statu continendum erant necessaria, etiam illud aduerteret, ne in tanta corporis fælicitate, & abundantia otiosam omnique exercitatione vacuam vitam degeret Quid igitur eueniet nobis, qui ab Adamo peccatore naturam peccatis obnoxiam ad malumque omni tempore intentam nascendo accepimus, si quotidie, & delicijs corporalibus & otio indulgebimus? Eueniret, inquam, id quod huic diuiti Epuloni & otioso contigisse videmus.

Iacebat ante ianuam vlceribus plenus. Versatur in dubio, num spinæ & tribuli statim cum ipsismet herbis & plantis, quibus modo coniunguntur, fuerint productæ. Et probabiliter quidem à multis asseritur fuisse quidem tunc procreatas non quidem obduratas, & pungentes, sed ad ornamentum ipsarum

causa obambulant, in vijsque iacent, oculos attente, & morose conijciamus, & inde ad cor redeuntes in mentem nobis veniat, fuisse eos aliquando sanos viribusque pollentes, & ex illis quamplurimos nobiles, diuites, delitijsq; affluentes extitisse: quare cum ex eadem simus massa generati, eisdem met miserijs sumus obnoxij. Ne ergo de nobismet ipsis vanè præsumentes superbe extollamur, pauperesq; ac miseros homines despiciamus, sicut hic stultissimus diues fecit ad sui perditionem.

Mortuus est autem & diues, & sepultus est in inferno. Eleuans autem oculos suos cum esset in tormentis, vidit Abraham à longe, & Lazarum in sinu eius. Hunc habent exitum huius seculi diuitiæ, quæ in delitijs & vana ostentatione consumuntur, nullisque charitatis operibus, quibus peccata redimantur, inseruiunt. Conferte obsecro inter se diuitem hunc pauperemque Lazarum se mutuo aspicientes, tum in hac vita, tum in alia. Diues dum viueret videns Lazarum ante ianuam suam vlceribus plenum, extremeque indigentem, eum vt miserum despiciebat, indignumque iudicabat, cui saltem ea, quæ canibus proijciuntur, tribueret: se autem tot diuitijs atque delitijs affluentem beatum reputabat. At Lazarus conspiciebat diuitis abundantiam, mensam singulis diebus opiparam, multitudinem ciborum, cum ipse fame periret, magisque & inde torquebatur ad maioris meriti cumulum, cum diuiti adeo non inuideret, vt solas cadentes è mensa micas desideraret, In altera tamen vita, quæ veritatis est regio, diues in inferno sepultus, ibi inextinguibili igne cremandus, ex ipsis medijs flammis, conspexit mendicum illum à se despectum ab omnibus miserijs liberum, & in summa pace, ac quiete constitutum, Deo sic disponente, vt inde grauius in anima torqueretur: Lazarus autem viso diuite tantis tormentis addicto, amplius de sua fœlicitate gloriabatur liberatorique Deo gratias agebat. Iuxta illud Psalmi, 57. *Lætabitur iustus cum viderit vindictam, manus suas lauabit*

uabit in sanguine peccatoris. Vt vnde ille cruentus, magis, ait Bernardus, inde iste nitidior videatur: vnde ille plus torpet, inde iste pulchrius elucescat.

Sepultus est in inferno. Tum ex hoc, tum etiam ex multis alijs sacræ scripturæ locis euidēter colligitur, esse intra hanc mundi visibilis sphæram locum quendam, qui infernus dicitur, in quem deijciuntur miserabiles illæ damnatorum animæ, qui in finali impœnitentia, sicut diues hic, è vita discesserunt, vbi æterno & inextinguibili igne cruciatæ sine fine cremabūtur. Infertur etiam huius loci situm esse in ipsomet terræ centro, quia infernus, pro illa infima & in medio posita terræ parte, quæ dicitur centrum, à Geometris sæpe accipitur. Vnde sancta & Catholica Ecclesia docet, fuisse diuina virtute in ipso terræ medio vel centro præparatam quandam magnam voraginem, sulphureo atque inextinguibili igne repletam, in quam primum mitterentur tartarei illi spiritus Apostatici, Diabolus & Angeli eius, deinde illorum hominum animæ, qui se illis malitiæ socias adhibuerunt. Dubium tamen est quonam die hoc effectum fuerit: fuit quibusdam visum quod hac tertia die, quando Deus aquas in locum vnum congregauit, terramque discooperuit: attamen cum Christus Dominus dicat hunc inferorum ignem fuisse paratum Diabolo, & Angelis eius, ij vero primo die in ipsomet cælo Empyreo, vt diximus, fuerint creati & iuxta veriorem Diui Thomæ Aquinatis sententiam in ipsomet etiam die contra Dominum insurrexerunt, atque è cælo sunt exturbati, verissimum esse arbitror hunc inferni locum ipso primo die in mundi medio, seu centro fuisse diuinitus præparatum. Diuinæ enim æquitati sapientissimoque ordini, quo omnia suauiter disponit, congruentissimum mihi videtur esse, vt eo ipso die, quo locum præmij præparauit, & Angelis ostendit, præpararet etiam supplicij locum eis similiter ostensum, vt magis in officio continerentur, debitamque obedientiam præstarent, si non præmij magnitudine allecti

D. Thom.

saltem

ſaltem pœnarum timore perterriti. Hoc enim illa Chriſti Domini verba mihi ſignificare videntur, cum de hoc inferni igne loquens, dixit, *Qui paratus eſt Diabolo, & Angelis eius.* Quaſi dicat, quod ſtatim in principio in eorum ſupplicium, atque conſpectu fuit præparatus. Siue autem primo, ſiue tertio die fuerit ille locus inferni præparatus, certiſſimum in ſide Catholica habetur huiuſmodi locum exiſtere, in quo tam diues iſte dilitioſus, quam multi alij, & ſimilibus & pluribus alijs peccatis implicati perpetuo torquebuntur. Verumenimvero illud ſummopere attenta mentis conſideratione, & non ſine metu, & tremore expendendum videtur, quam facilis, plana, lata, & breuis ad inferos via ſit. Cōfecit hoc iter Diues hic epulando quotidie ſplendide, mollibus ſe induendo, cæteriſque delitijs vacando, quod multi hodie faciunt, & qui hoc aſſequi non poſſunt, ſe miſeros, & infælices arbitrantur. Quod ſi ea, quæ de hoc diuite Chriſtus Dominus narrat, perpendantur, nullum aliud manifeſtum peccatum in eo reperiemus, quam non vſum fuiſſe miſericordia in pauperem Lazarum extreme indigentem: quod vtinam ſæpiſſime apud nos non contingat. Dicunt Geometræ quod ſpatium à ſuperficie terræ habitabilis vſque ad eius centrum (vbi vt diximus infernus eſt collocatus) non excedit duo millia leucarum Luſitanarum, & duas leucas: habet autem Luſitana leuca quatuor milliaria Italica vel circa. Multo magis & in duplo diſtat Orientalis India à noſtra Luſitania. A ſuperficie terræ vſque ad Empyreum cælum eſt immenſurabilis pene menſura; namque ipſa terræ ſuperficies à concauo primi cæli, in quo eſt Luna, diſtat per triginta & tres mille & ſexaginta atque ſex leucas; craſſitudo autem ipſius cæli vſque ad partem conuexam eandem fere habet diſtantiam, quam in duplo excedit ſecundum cælum. Et cum deinceps ſemper ſuperius cælum inferius in craſſitudine excedat, ſit vt incomprehenſibilis

ſibilis fere ſit diſtantia inter terram & beatitudinis cælum. Hoc ita diuina diſpoſitione effectam eſt, vt nos Dominus admoneret, facillimum eſſe Auerni deſcenſum, lubricamque atque præcipitem viam: At regnum cælorum vim pati, cum aſcendere tantumque & tam arduum viæ ſpatium ſuperare ſit difficillimum, præſertim cum corpus quod corrumpitur, animam aggrauet, & in multa vitia impellat. Vnde beati in cælo cum Dauid decantant, *Tranſiuimus per ignem & aquam, & deduxſti nos in refrigerium.* Diuitibus igitur eſt laborandum ſummopere, vt cupiditatum atque illecebrarum immundas aquas comprimant, & charitatis opera producant: Pauperes vero, & miſerijs oppreſſi mendicum Lazarum vlceribus plenum & patientiſſime hæc mala perferentem imitantes, ſecurius in hac vita incedent, quoad vſque ab Angelis cum eodem Lazaro ad ſocietatem Abrahæ in cælum Empyreum deportentur, Amen.

FERIA QVINTA.

De ſocru Petri.

Et detinebant, illum ne diſcederet ab eis. Quibus ille ait, quia & alijs ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei, quia ideo miſſus ſum, &c. Luc. 4.

Quartus dies Creationis.

POſtquam Dominus Deus terram inanem ex ſe, & vacuam hac tam pulchra herbarum, florum, & arborum varietate exornauit, hoc quinto die Firmamentum illud iam cælum vocatum, & per nouem orbes diſtributum illuſtrandum duxit, quare dixit: *Fiant luminaria*

naria in firmamento cæli, & diuidant diem, ac noctem, & sint in signa & tempora & dies, & annos, & luceant in firmamento cœli, & illuminent terram. Et factum est ita. Fecitq; Deus duo luminaria magna, luminare maius vt praeesset diei, & luminare minus vt praeesset nocti, & stellas. Et posuit eas in firmamento cœli, vt lucerent super terrã, & praeessent diei ac nocti, & diuiderẽt lucẽ ac tenebras. Et vidit Deus quod esset bonũ: & factũ est vespere & mane dies quartus. Omnia igitur hęc luminosa corpora ex ipsamet cœlorum materia fuerunt fabrefacta, eoq; ordine diuisa, vt septem primi planetæ in septem primis Orbibus fuerint collocatæ, stellę autem omnes octauum occupent cœlum: nonum vero motui tantum inseruiat, quare & primum mobile dicitur, sunt luminaria ipsa solida corpora ex se aliquantulum lucida, præcipuam tamen lucem à sole participant, qui ideo in medio fere positus est, quia ab ipso tanquam è fonte lucis lux ad omnia deriuatur. Hinc ea lunæ varietas ortũ habet: cũ enim in infimo cælo collocata sit, terræque propinquior, illius vmbras patitur, quæ concauum secundi cæli non excedunt, neque cæteros planetas aliqua ex parte lædunt. Inter planetas ac stellas mirabilem Dominus ordinem statuit, vt huic mundo inferiori inseruirent: ex quibus quatuor præcipue commoditates, seu vtilitates proueniunt. In primis diem à nocte diuidunt. præsidet namque sol diei, luna vero nocti, non quia cæteris planetis sit maior, cum fere omnibus sit minor, sed quia terræ est proximior: secundo sunt in signa, quia videlicet per illa duodecim Zodiaci signa, & planetarum inferiorum cum eis concurrentiam indicantur pluuiæ, venti, calores, ægritudines, sterilitatesq; seu fertilitates, cæteraq; huiusmodi, quibus signis homines visus ad futura præparentur. Tertio sunt in tempora, quia scilicet quatuor anni tempora distinguunt, veris nimirum, æstatis, autumni, & hyemis, horasq; dies, & menses, & annos ostẽdunt. Quarto vt luceant, ac mediante luce in hæc inferiora influant. Productus autem fuit sol in principio arietis in

mense Martio, luna verò in principio libræ, & in plenilunio, qui quo ad nos, est eius perfectissimus status: cæteri autem Planetæ in ea signorum cælestiū oppositione, quæ benignior, & fælicior esse solet.

Cum ea euoluerem, quæ sacri Doctores ex huius diei operibus ad nostram eruditionem eliciunt, nihil reperire potui, quod ad meum institutum possem accommodare: quare ad intellectus mei paruitatem recurrendum fuit, & ex eo quæ sequuntur, extraxi. Existimo equidem voluisse Dominum in his huius diei operibus nos docere, quantum nostra intersit tum ad animæ tum etiam ad corporis rectam gubernationem optimam rerum gerendarum occasionem aucupari, & iuxta eam nostris rebus ordinem constituere. Si enim hęc diuina opera attente expendamus, reperiemus sane, non solum in eis diuinam omnipotentiam, sed & præcipue diuinæ sapientiæ admirabilem ordinē, ac dispositionē elucere. *Dominus,* (inquit

Prou. 3. sapiens) *sapientia fundauit terram. stabiliuit cælos prudentia: sapientia illius eruperunt abyssi, & nubes rore cōcrescunt.* Cum igitur optimus rerum ordo, & dispositio à sapientia, ac prudentia procedat, & Deus hoc quarto creationis die per planetas tempora designauerit, recte, vt arbitror, dicere possumus, quod hoc die ordinem creauerit, quem mundus hic hucvsque

Psal. 118. conseruat. Hoc Dauid declarat inquiens. *In æternum Domine verbum tuum permanet in cælo* (seruant namque cæli eam legem, quam eis in principio statuit) *In generationem, & generationem veritas tua. Fundasti terram, & permanet: Ordinatione tua perseuerat dies: quoniam omnia seruiunt tibi.* Eam igitur continuatam dierum successionem à primo die vsque in hodiernum conseruatam, regius vates illi mirabili ordini tunc à Deo constituto acceptam refert. Sicut igitur hoc planetarum, ac stellarum immutabili ordine omnia hæc inferiora in esse, & in conseruari, & consummari dependent, ita omnia tum charitatis, tum etiam cæterarum virtutum opera rectum ordinem requirunt; vt & perfectæ virtutis

tutis opera censeantur,& perseuerare possint. Quare cum superiori sermone per illam herbarum arborumque productionem ad bonorum operum fructus excitari cum Diuo Augustino docuerimus, hodie quisnam in eorum exercitio ordo seruandus sit, edocemur, vt perfectionem acquirant. Facit ad hanc doctrinam stabiliendam Diui Bernardi expositio super illud Canticorum: *Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem.* Hæc cella vinaria omni vinorum genere referta diuina est munificentia, diuersas gratias diuinorumque munerum dona prout vult, hominibus impertiens, inter quæ dona præcipuum fere locum obtinet ordo, qui, & ipsam charitatem ordinat mediante discretione, Discretio quippe, ait Bernardus, omni virtuti ordinem ponit, ordo modum tribuit, & decorem etiam, & perpetuitatem. est ergo discretio non tam virtus quam quædam moderatrix, & auriga virtutum, ordinatrixque affectionum, & morum doctrix. Tolle hanc, & virtus vitium erit.] Hunc rectum ordinem à discretione imperatum Christus Dominus (vt hodierni Euangelij narrat historia) nos edocere volens, cum è domo Simonis Petri apud Capharnaum, (vbi Socrus eius habitabat, quam & à febri liberauit,) facto mane exisset in montem, vt oraret, videns se à plurima hominum multitudine circumseptum, qui detinebant eum ne discederet ab eis, illis respondit: *Quia & alijs ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei, quia ideò missus sum.* Insigne charitatis opus erat regnum Dei euangelizare, itidem, & infirmos curare, & ibi diutius immorari videbatur conueniens vbi tanto desiderio quærebatur: ac quia dicitur ipse Dominus in scriptura sol iustitiæ, & ipse dixit, *Ego sum lux mundi,* vt debitum cursum, ac ordinem illuminandi seruaret, oportebat, vt non in vna tantum ciuitate prædicaret, beneficiaque curationis conferret: quare Capharnaum tunc discedens alia Galilææ loca

Cantic. 2. Bern. serm. 49.

loca petit, in quibus similia diuinæ charitatis, ac munificentiæ opera exerceret, si luminare illud maius, qui sol dicitur, qui à Deo datus fuit. vt luceat super omnem terram, diemque ac noctem diuidat, detineretur toties quoties à multis desideratur, qui vel diem, vel noctem longiorem exoptant, quomodo debitum cursum seruaret, quomodo mundus gubernaretur: Licet enim eo tempore quibusdam prodesset, multo maiora damna alijs inferret. optima quidem sunt opera misericordiæ, & charitatis, at videndum ne ex defectu recti ordinis deperdantur, si nimirum omissis illis, ad quæ ex necessitate vnusquisque tenetur, in ijs quæ magis placent, etiamsi bona videantur, facultates expendantur. Sæpe quidem multorum vicem doleo, qui se pios, & charitatiuos esse arbitrantur (& reuera optime ad pia opera sunt affecti) cum videam eos oleum & operam perdere in illis operibus, in quibus hac vmbratili, & inordinata charitate allecti exercentur, cum fere nihil ea curent ad quæ diuina lege tenentur, quæ quidem, vt Christus Dominus dixit, primũ oportet facere, deinde cætera non omittere. Diuus Ambrosius in eleemosynis largiendis hunc ordinem statuit (supposito primum quod suppetit, vnde eleemosynæ fiant. si enim debita contraxisti, quæ minime potes soluere, quid fieri potest, vt in eleemosynas voluntarias expendas illud quod alteri debes: hæc charitas non est ordinata imo nec charitas proprie dicit potest) Primo namque loco parentes ac consanguinei pauperes sunt iuuandi: melius est enim, ait Ambrosius, vt ipse subuenias tuis quibus pudor est, ab alijs sumptum deposcere, non vt ditescant, sed vt eorum inopia subleuetur. Deinde subueniendum illis qui tibi aliquo vel familiaritatis, vel obsequij vinculo sunt coniuncti. Semper autem qui probiores sunt, alios præcedant. Nam etsi omnibus, inquit Ambrosius, debetur misericordia, tamen iusto amplius: nec in hoc personarum fit acceptio, sed debitus ordo seruatur: quod etiam tunc eueniet, si seniores iunioribus præferantur,

Ambr. in offic. lib. 1. cap. 30.

ferantur, ægri ſanis, & nobiliores inferioribus. Ex quo rectiſſimo ordine charitatis infertur, inordinate illum procedere, qui ſeruos fere nudos, famelicos, ægrotoſque domi conſpiciens, nihil de eis curat, & ad hoſpitalia pergit, alioſque nudos veſtibus cooperit. *Si quis autem,* ait Diuus Paulus, *ſuorum, & maxime domeſticorum curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior.* Quia ſcilicet fidei Chriſtianæ præcipuum documentum parui pendit, quo proximorum charitas toties nobis commendatur. Curæ autem nomine, ait Chryſoſtomus, prouidentiam animę corporiſque ſignificat. Patres enim familias exhortatur Diuus Paulus, qui talem circa ſeruos curam gerere tenentur, vt & ea quæ ad animæ ſalutem ſunt neceſſaria non ignorent, & quæ ad humanæ vitæ commodam ſuſtentationem ſunt opus, eis non deſint. cum igitur hæc primo & præciſe ſint neceſſaria, quomodo opera charitatis ſe perficere exiſtimat ille, qui poſthabitis illis, ad quæ, vt dixi, tenetur, voluntaria conſectatur? Vera enim charitas ordinata eſt: ſi ordine caret, non charitas, ſed charitatis inordinatio potius eſt appellanda.

1. Tim. 5.

Chryſoſt.

Hic etiam ordo à diſcretione conſtitutus eſt vnum ex præcipuis requiſitis ad ſacræ Communionis perceptionem. Quod Diuus Paulus ſatis oſtendit, cum ait, *probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat.* Hæc namque probatio ſuijpſius diſcretam conſiderationem, maximumque conſcientiæ examen indicat, ex quo vnuſquiſque colligere debet, ſi in eo ſtatu eſt, vt poſſit cum fructu ad diuinum Euchariſtiæ ſacramentum accedere, vel ſi debet potius ab eo abſtinere. In quo examine non ſolum perſcrutandum eſt, ſi mortali aliquo peccato eſt infecta anima, vt illud per ſacramentalem confeſſionem purgandum ſtudeat, ſed deinceps attenta conſideratione expendendum eſt, in quonam ſtatu ſit animi quies. Adeo namque perturbata poterit eſſe anima, vt ſalubrius ſit tanti ſacramenti perceptionem differre, quo eius vberrimos fructus poſſit adi-

1. Cor. 11.

Isa. 66. pisci. Ait namque Dominus per Isaiam iuxta septuaginta versionem. Super quem requiescet spiritus meus nisi super humilem, & quietum, & trementem sermones meos? Manna illud Patribus datum in de-
Exod 16. serto, quotidie tam abundantissime delapsum in circuitu castrorum filiorum Israël, iussu Domini ad certam mensuram vnicuique domui sufficientem erat colligendum: Nec qui plus collegerat habuit amplius neque qui minus parauerat, reperit minus. In quo mirabili ordine, huius diuinissimi sacramenti excellentia adumbrata fuit, in quo quamuis infinita spiritualia dona, cælestesque diuitiæ reperiantur, æquissimo tamen ordine vnicuique comunicantur iuxta cuiusque dispositionem, ac capacitatem: Sumit quidem tantum iste, quantum ille, nec sumptus consumitur, sed maiores inde fructus percipit, qui seipsum magis probat, humiliterq; disponit. Inter ea quæ
Greg. dial. lib. 3. Diuus Gregorius Papa narrat in vita beatissimi Patriarchæ Benedicti, cuius hodie festum sacra celebrat Ecclesia, exemplum non vulgare ad hoc probandum continetur: Oblatus fuit namque Beato Benedicto sacerdos quidã à Dæmonio vexatus, pro quo orationem fundens, fuit illico liberatus: & tamẽ vir sanctus iniunxit ne deinceps carnibus vesceretur, neve vllo vnquam vitæ suæ tempore missæ sacrificium ad altare offerret: quo enim die celebrare tentasset, eodem rursus ab ipso Dæmonio esset iterum vexandus non amplius liberandus. Contigit post aliquot annos, vt defunctis in ea Ecclesia sacerdotibus senioribus, iuniores ministrarent, quod ipse senex ægre ferens sacris induitur, & missam celebrauit: quod vt peractum est, illico à Dæmone est arreptus, & in eo statu vitam finiuit. Quid igitur fuit in causa cur tantam pœnam incurrerit nisi quia diuinum ordinem sibi à viro Benedicto constitutum circa hoc ministerium diuinum seruare contempsit? Celebris est in Ecclesia & rece-
Augustin. ptissima illa. P. Augustini sententia. Quotidie Eucharistiam sumere neque laudo, nec vitupero, quia vtrumque dependet ex circumstantia dispositionis, quæ in sumentibus reperitur.

Sur-

Surgens de synagoga introiuit in Domum Simonis] In Synagoga matutinum tempus prædicando consumpserat. Deinde Domum Simonis est ingressus, vbi postquam eam à febri liberauit, corpori, & discipulis paululum quietis concessit, vt refectionem sumerent tam ipse, quam illi. Vespere facto cum sol occidisset, curauit omnes male habentes atque à Dæmonio vexatos, qui ad ianuam expectabant: summo mane & valde diluculo, vt Marcus ait, surgens abijt in desertum locum ibique orabat. Considerate obsecro quam ordinate Christus Dominus vitæ tempus distribuerit iuxta eum ordinem, quem ipsemet in hoc quarto die ad mundi huius regimen, instituerat. Illa equidem cælorum luminaria hoc die producta sunt à Deo ordinata, vt diximus, tum vt diuidant diem, ac noctem, tum vt sint in signa & tempora, & annos: vt scilicet omnem temporis decursum ita diuidant, quo facilius homines posśint rebus gerendis commodam occasionem inuestigare: Quare & vocabulum illud Hebræum, quod vulgatus noster, Tempora, est interpretatus septuaginta non per verbum græcum Χρόνως, quod communiter tempus significat, sed per verbũ καίρους sũt interpretati, quod proprie cuiuscunq; rei gerendę bonam, & aptam occasionem declarat, quam vt vnusquisq; nostrũ aliqua ex parte cognoscat, ab illa diuisione temporum per cæli sydera & planetas instituta edocetur: Sumus natura fragiles & laborando deficimus, quare ad reparandam corporis debilitatem noctẽ fecit & diem, vt dies labori, nox quieti inseruiat. Vt autẽ iuxta temporum varietatẽ varia essent etiã laborum exercitia, quatuor constituit anni tempora per cęlestia astra diuisa. Ex quibus etiã non tantũ vitę nostræ annos, sed & menses & dies & horas, ac ipsa minuta nobis licet cognoscere, vt singulus actiones dimetiri valeamus vitamq; ita cõponere, & iuxta diuinã voluntatẽ ordinare, vt pote, qui è cęlo per singula mometã gubernemur, & de singulis simus rationem reddituri. Iuxta hãc temporũ distributionẽ. Christus etiã qui tẽporũ

Dominus erat, vitæ suę humanæ tempora diuidebat, dies laboribus dabat vel itinerando vel prædicando, vel infirmos curando, noctibus in oratione (vt plurimum pernoctabat. parum quieti corporis indulgendo: vt exemplo suo nos admoneret vitæ tempus ordine & ratione transigere. Quænam igitur est, illa perturbata, & inuersa temporis distributio, quam multi (& præcipue Hispaniæ nobiles) consectantur? qui quamuis dicant se ita enutritos fuisse, aliterque se vitam non posse ducere ob ingenitam ab incunabulis consuetudinem, hoc tamen non tollit quin inordinatio potius quam ordo dici valeat, cum inde multa tum corporis, & salutis, tum etiam animæ mala oriantur. Dies namque non solum ob lucis commoditatem, sed etiam ob solis præsentiam, qui vitali calore suo spiritus tum vitales, tum etiam animales corroborat, laboribus est aptus: in nocte vero corpus accommodate conquiescit, cum luna eo tempore præsertim in hæc inferiora influat, quæ cum humidissima ex se existat, noxias, & saluti contrarias influentias emittit. Quare nec ipsa corpora humana sana diu esse possunt, si nox in diem mutatur, & in noctem dies. Quæ autem exinde animarum pericula oriantur, illi ipsi sciunt, qui hunc inuersum viuendi ordinem seruant. Si vero in omnes fere hominum status oculos conijcias, perspicies sane quod in quatuor anni temporibus, (Vere nimirum, æstate, autumno & hyeme.) de vestibus illis temporibus magis aptis, de cibis, ac pomis & terræ frugibus, quæ cuique inseruiunt præcipue, agitur. Si quibus curis occupati, annos, menses, dies, horasque homines transigant (quæ omnia diuina sapientia in vtilitatem nostram ordinauit) attente consideres, inuenies quidem recte à Seneca dictum fuisse, quod Magna vitæ pars elabitur male agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus.] Quid est autem aliud agere, quam in eis rebus tempus omne, ac vitam insumere, quæ animæ saluti non inseruiunt? quamuis hominibus huius sæculi summè

Senec. l. 1. epist. 1.

mè necessariæ videantur? Nostra igitur incuria, nostra nimia in res humanas propensione id efficitur, vt ille rectus ordo à diuina sapientia ad nostram vtilitatem constitutus suo fine fraudetur. *Et stans super illam imperauit febri: & dimisit illam.*] Licet hic videre promptissimam creaturarum omnium obedientiam ad Creatoris imperium, quæ quidem in omnibus hisce creationis diebus toties commendatur, cum dicitur, Fiat, & factum est. A Diuo Basilio ortum habuit illa Theologorum doctrina, quæ tradit quod vltra eas peculiares propensiones seu naturales inclinationes, quibus res in proprios, & sibi naturales fines tendunt, & ducuntur, est eis innata etiam alia propensio (hanc Theologi potentiam obedientialem vocant) qua Dei, ac Domini omnium Creatoris imperio se apprime subijciunt. Existimat autem Diuus Basilius, adeo esse naturale omnibus creaturis Creatori suo ad nutum obedire, vt etiamsi contra proprias, & sibi connaturales inclinationes, sit obediendum, velocius sibi imperata exequantur, quam si à peculiaribus propensionibus sibi à natura impressis ducerentur. Magna quidem est illa naturalis vis, ingensque velocitas, qua sol cursum suum perficit spacio viginti quatuor horarum. Vehementissime Primum mobile mouetur, & mouet cælos omnes inferiores, tum propria virtute ductum, tum etiam ab Angelo mouente impulsum. Huius quidem cursus nulla humana vi, aut etiam Angelica absque diuina voluntate potest præpediri, aut etiam retardari. Iosue vero fide suffultus videns solem ad occasum tendere, tempusque sibi defuturum, vt perfectam inimicorum Dei victoriam consequeretur, ad ipsum solem conuersus ait. *Sol contra Gabaon ne mouearis, & luna contra vallem Aialon. Steteruntque Sol & Luna donec vlcisceretur se gens de inimicis suis. Nonne scriptum est hoc in libro iustorum? stetit sol in medio cæli, & non festinauit occumbere spacio vnius diei. Non fuit antea, & postea tam longa dies, obediente Domino voci hominis.* Hactenus ex libro Iosue. Stetit igitur sol in eo

Basil.

Iosu. 10.

punctu iuxta occasum,& luna, quæ fere erat in plenilunio, ex aduerso in Oriente, steteruntque simul omnes cælestes orbes vnius diei artificialis spatio, qui eo anni tempore ex duodecim horis constabat, Deo miraculum per se ipsum operante vt illa verba in-
Isai 58. dicant. *Obediente Domino voci hominis.*] Alio deinceps tempore cum Isaias iussu Domini Ezechiam de vitæ prolongatione certiorem reddere vellet, ei pro signo dedit solis per decem lineas vel gradus retrocessionem in horologio Achaz ostensam, per quod decem horarum spatium vniuersa cælorum mobilis machina retrocessit. In hisce duobus miraculis portentosis voluit Dominus mundo inferiori notum fieri, cum esse creatis rebus præcipuum ordinem, quando diuinam creatoris voluntatem exequunt vt: Vnde illis verbis, quæ de Planetis, & stellis dicuntur. Vt scilicet sint in signa, aliqui Doctores intelligunt, ad hæc duo signa, & alia, quæ Dominus in illis ostendere decreuit, pertinere; vt videlicet in eis tum suum supremum super omnia imperium, tum etiam peculiarem in homines amorem testatum redderet. Idipsum illa omnia miracula ostendunt, quæ tam per se ipsum, dum viueret, quam per seruos suos continuo operari non destitit: qui nimirum cum se totos diuinæ voluntati subijciant, eorum etiam voluntatibus Deus ipse se accommo-
Psal. 144. dat, iuxta illud Dauidicum: *Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet.*] Contigit, vt quodam tempore sanctus Benedictus apud sanctissimam Virginem Scholasticam germanam sororem, & sanctimonialem aliquandiu permaneret, eam & sacras Virgines sodales eius sanctis exhortationibus, instruens. Cum vero in monasterium regredi festinaret, eum sancta Virgo est obsecrata, vt vsque ad sequentem diem regressum differret, quem cum á proposito non posset reuocare, ad Dominum est conuersa, qui statim deuotas eius preces exaudiens, cùm Cælum in summa esset tranquillitate, tantam tempestatem grandinis, ac pluuiæ immisit

fit, vt Vir sanctus coactus fuerit permanere, eamq;
noctem spiritualibus colloquijs, & diuinis laudi-
s simul vacarunt. Similiter & in hodierna histo-
, contigit cum Dominus ad Apostolorum petitio-
n febri imperauit, vt Simonis Socrum dimitteret,
: statim surgens integris viribus, eis ministra-

Singulis manus imponens curauit eos.] Marcus Marc. 1.
n omnes curatos fuisse, sed multos ex illis, inqui-
. *Et curauit multos qui vexabãtur, varijs languori-*
.] Vt ex ijs verbis infert Theophylactus: eos e-
n solos curauit, qui tum fide ad eum accesserunt,
em enim requirebat Dominus in eis, in quibus
racula operabatur. Quamuis enim tanta esset
s virtus, vt omnes vnico voluntatis actu simul
sset ab omnibus malis liberare; illorum tamen
luntatem requirebat, qui liberi erant, & prom-
m eorum ac voluntariam fidem expectabat. Ex
o ille gentilium error manifeste conuincitur, qui
lera propria, & omnia, quæ perpetrantur mala, in
lera conijciunt, tanquam ab ijs impellantur, ita vt
nime valeant resistere. Nec defuerunt aliqui,
i Christiani vocantur, (vtinam modo desint)
i etiam nimium stellis tribuunt circa humanas
erationes liberas: ij verò errorem suum ex il-
iam supra citatis verbis se colligere posse existi-
ant, scilicet, *Vt sint in signa.*] Quasi sint data,
sint signa naturalia, quæ vniuscuiusque vi-
n bonam, vel malam infallibiliter ostendant.
uod ex eo falsissimum esse conuincitur, falsam-
e illorum verborum interpretationem, quia cum
t signa naturalia, & illud solum quod operan-
r, significent, si peculiares vniuscuiusque actiones
nas, vel malas significarent, eas proculdubio effi-
rent, eorumque essent propria causa efficiens,
llumque esset proprium peccatum, sed stellæ
ccatorum essent causæ. Earum igitur rerum, August. de
quit, Augustinus auctorem esse cælum mirabilem- Ciuit. l. 5.
ue ac ordinatissimum astrorum cursum dicere

compellemur, quæ si in mundi aliqua Ciuitate ordinarentur, eam iure optimo euertendam omnes iudicarent.] Mentitur, & Agamemnon, ait Maximus Tyrius, dicens:

Maxi. Tyr. ser. 3.

Ego non sum causa malorum:

Iupiter at, fatumque, & calorum accola Erynnis.

Vniuersa enim eiusmodi nomina, inquit ille, mortales ad honestandam improbitatem suam consinxisse videntur, in Dæmones, in Parcas, in Erynnim flagitiorum causas referentes. Hæc sane in Tragœdijs habeant locum, nullaque ibi huiusmodi nominum sit inuidia, dum tamen in serio humanæ vitæ spectaculo facilia hæc, & inania non admittas. Erynnis enim, Parca, Dæmonesque, quæque alia nomina fatalis causarum ordinis proposita enunciant, intus habentur in animo.] Hæc Maximus Philosophus, & non Christianus. Quare & Ethnicorum illorum, qui sceleratissimos homines, turpissimasque fæminas inter diuos retulerunt, & ex eorum nominibus syderibus cæli ea nomina imposuerunt quæ adhuc retinent, (Venus nimirum, Iupiter, Saturnus.) ea fuit mens, vt propria ipsorum scelera non in propriam voluntatem, sed in diuinam quandam illorum vim, & in fluxum, cui resistere haud valerent, reijcerent. Quod cum erroneum satis sit, vtpote quia humanam libertatem destruit, illud solum Astrologis concedendum est, posse eos prædicere ex signis cælestibus ea, quæ ab ipsis dependent, corporis videlicet complexiones, naturales inclinationes, morbos, tempestates, & alia huiusmodi. Ea vero quæ ab humana voluntate pendent, minime possunt prædicere: tanta namque est nostræ voluntatis libertas, vt eam nec Deus cogere velit, vt hic videre licet in hac multorum curatione, de qua Euangelica historia enarrat.

Et detinebant eum ne discederet ab eis, Ea autem præcipue causa inducti illum detinere tentabant, quia corporalia beneficia in ægrotorum suorum curatione recipiebant. At quamuis bonum esset Christum Dominum etiam ob hanc causam velle secum habere,

re, cum & ipse Dominus ideo miracula opera-
, vt ijs visis homines eum quærerent: alia tamen
multo maiora bona, quæ ipse & solus posset, &
in homines conferre, quæ quidem ab illis ho-
bus nec cognoscebantur neque quærebantur,
te fidei vera lux, diuina gratia animas sanctifi-
cæteraque spiritualia bona, & ad animæ æter-
salutem spectantia. Ex eo vero hæc tanta ho-
m multitudo illa excellentiora bona nec requi-
, nec æstimanda ducebat, quia ea à longe con-
bant sub illis operibus corporalibus occultata,
abolarum velamentis inuoluta, quibus Domi-
prædicationibus frequenter vtebatur, ob in-
tus eorum crassitudinem ac ruditatem, qui ter-
rebus affixi, cælestia & spiritualia percipere
valebant. Qui è terra solem, qui luminare ma-
icitur, lunamque & stellas aspiciunt, & Astrolo-
m documenta ignorant, parua quidem illis vi-
ur, & si eis dicitur quot leucarum millia in cir-
habeant, vt fabulas derident. Si tamen causam
ras cur tam magna corpora tam parua à nobis è
conspiciantur, nullam aliam reperies quam ma-
illam distantiam inter terram, & cælum con-
am (de qua superiore sermone nonnihil egi-
) Ad hunc igitur modum qui terrena solum
nt, terrenis inhærent, de solis terrenis agunt, so-
rporalia bona & terrena magna arbitrantur, &
ni faciunt, & ea solum à Deo impetrare conten-
, spiritualia autem, & cælestia quia intelligere 1. Cor. 2.
eunt, fere pro nihilo ducunt. *Animalis homo,*
aulus, *non percipit ea quæ sunt spiritus Dei, stulti-*
tim est illi. Quamobrem Dominus Christus, qui
obis quæreretur in mundum venit, & detineri
erabat, hanc populorum turbam, qui eum ob
orporis commoda & quæsierunt, & detinebant,
iquit, & ad alias ciuitates se ad prædicandum
gnum Dei ire dicit. Cuius regni bona, & in
hac vita, & in alia nobis Dominus
concedat. Amen.

FERIA QVINTA.

De Vidua Naim.

Accessit, & tetigit loculum: hi autem qui portabant steterunt. Et ait: Adolescens tibi dico, Surge. &c. Luc. 7.

Quintus dies creationis

PEracta insensibilium rerum creatione, inter quas sol, & luna cæteraque astra præcipuum tenent locum, hoc die quinto sensibilium productionem Dominus incœpit ab imperfectioribus, vt ad perfectiora deueniret. Quare ait, *Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile super terram sub firmamento cæli. Creauitque Deus cete grandia, & omnem animã viuentem, atque motabilẽ quam produxerant aquæ in species suas, & volatile secundum genus suum. Et vidit Deus quod esset bonum, benedixitque eis dicens, Crescite, & multiplicamini, & replete aquas maris, auesque multiplicentur super terram. Et factum est vespere, & mane dies quintus.* Duo elementa hodie Dominus exornauit, & creaturis viuentibus ad habitandum concessit, aquam nimirum, & aërem: aquã piscibus, aërem auibus repleuit. Pisces absq; dubio, ex ipsa aquarum materia prodiere, & ita inter ipsas aquas eorum est habitatio designata, vt extra diu viuere nequeãt. De auibus dubium est vtrũ è terra an ex aqua ortum duxerint. Antiquorum Patrum sententiam veriorem arbitror, qui aues simul, & pisces ex aquis ortũ habere constanter affirmãt. Ita Ambrosius cecinit in hymno. Ambros. Qui ex aquis ortum genus partim leuas in aëra, partim remittis gurgiti. Quod Diuus Basilius duabus Basil. rationibus persuadet, primum quia tam pisces quam aues per oua multiplicantur: deinde quia si vtrorumque compositionem spectes, reperies inter ea nõ paruam similitudinẽ, squamis & pinnulis plumæ & pennæ

ſpondeant. Et ſicut piſces pennul s per liquidum
tum elementum, ita aues per aëra pennis ferun-
Quinto, igitur hoc die ad diuinum imperium
uxerunt aquæ ſimul innumerabilem illam piſci-
multitudinem, à magnis Cetibus vſque ad minu-
na conchylia & piſciculos. Eodem momento, in- Ambroſ.
Ambroſ. producitur Balena quo rana: non labo-
maximis Deus, non faſtidit in minimis] Pari-
tiam producitur ex aquis infinita propemodum
m varietas, & multitudo, quæ quolibet per aëra
atur, licet vtplurimum è terra alimenta petant.
orum multiplicatio ne vnquam deficeret, eis be-
xit, atque vt creſcerent, & multiplicarentur im-
uit: cuius benedictionis virtute atque imperij vi
inuo perſeuerant, atque vſque ad mundi finem
urabunt. Vt ad moralem doctrinam de more
damus, oportet, vt in memoriam reuocetis ali-
ex ijs, quæ circa tertiæ diei opera ſuperius dixi-
: meminiſſe namq; debetis, quomodo eo die Dei
oni magna illa aquarũ moles illico obtemperãs
num locum ſe congregauit, atque intra littorum
inos ſe ita coarctauit, vt quamuis impulſu & vi
ræ ſuper terras feratur, quæ illi ſunt inferiores,
en ob diuinum præceptum retrocedit & præfi-
imites non excedit. Quod multis in locis ſacra
tura cum admiratione commemorat. *Termi-* Pſal. 102.
poſuiſti, inquit Dauid, *quem non tranſgredientur,*
ue conuertentur operire terram. Et Salomon eius Prou. 8.
s. *Quando circundabat mari terminum ſuum, &*
n ponebat aquis, ne tranſirent fines ſuos. Et Di- Iob. 38.
Iob pluribus: *Quis concluſit oſtijs mare, quan-*
rumpebat quaſi de vulua procedens: Circumdedi
terminis meis, & poſui vectem, & oſtia, Et dixi
ue huc venies, & non procedes amplius, & hic con-
ges tumentes fluctus tuos. Ex ijs igitur aquis ita
ctatis & compreſſis, tertio die prodiere hoc
nto res viuentes piſces ſcilicet, & aues. Quid
em hinc ad mores noſtros componendos e- Greg mor.
atur, ex ijs quæ Diuus Gregorius ſuper lib. 28.
illa

illa verba Domini apud Iob dicit, intelligere licet. Quid est mare? inquit ille, nisi cor nostrum (iam & hoc superius ex August. diximus) furore turbidum, rixis amarum, elatione superbiæ tumidum, fraude malitiæ obscurum: quod mare quantum sæuiat, attendit quisquis in se occultas cogitationum tentationes intelligit.] Hæc ex Gregor. Est autem huius maris tanta vis, eiusque fluctus adeo in corde intumescunt, vt si diuinæ gratiæ vi & efficacia non compressi fuerint, in profundum malorum demergi necesse sit. si autem scire desideras, quænam sint vincula, quibus hoc procellosum illecebrarum & tentationum mare cõstringitur, & coarctatur, in diuinam legem oculos conijcito, cuius decreta concupiscentiæ impetus reprimere docent, & intra diuinæ voluntatis terminos nostras male affectas voluntates continere. Repressis autem diuina opitulante gratia deprauatis animi affectionibus, inde (velut pisces, & aues ex aquis conclusis) vitalia opera incipiunt exoriri. Hunc moralem sensum latius persequitur Diuus Augustinus, candemmet piscium, & auium creationem tractans, & expendens, quomodo ex aquis compressis fuerint producta: vnde infert, euitando, inquiens, viuit anima, quæ appetendo moritur.] quia scilicet tunc anima vitæ ac virtutis vitam amittit, quando deprauatis cupiditatibus cedens, ab illis veluti maris fluctibus suffocatur: quæ vt vitam vel conseruet, vel amissam recuperet, debet sibiipsi vim inferre, & voluptatum impetus coercere, & ad diuinæ legis regulas coarctare. Quid aptius ad hanc doctrinam stabiliendam adduci potest, quam ea quæ Diuus Ambrosius, hodiernam Euangelij lectionem explicans tradidit? efferebatur extra Ciuitatis Naim portas adolescens filius vnicus matris viduæ; Dominus, qui, vt eò tempore perueniret, festinauit, misericordia motus super illam, postquam ei dixit, noli flere, accessit, & tetigit loculum, hi autem qui portabant steterunt. Quid enim, inquit Ambrosius, aliud nisi in quodam feretro iacemus exanimes, cum

August. Confess. lib. 13.

Ambr. in Luc.

vel

vel ignis immodicæ cupiditatis exæſtuat, vel frigidus humor exundat, vel pigra quadam corporum habitudine vigor hebetatur animorum, vel contracta noſtri ſpiritus labe puræ lucis vacuus alit mentem? Hi ſunt acerbi noſtri funeris portatores.] Hac verborum periphraſi quatuor præcipuas animi paſſiones exprimit, odium ſcilicet, & amorem, timorem, & ſpem. Quæ quidem cum ex deprauata, & corrupta natura nunc oriantur, ſemper ad malum ſunt pronæ, & ſi per diuinam legem non fuerint coercitæ & ordinatæ, animam noſtram ad ſepulchrum conſuetudinis prauæ deducent. Quis eſt tumulus tuus, ait Ambroſius, niſi mali mores?] Vt igitur ille, qui iam defunctus in hunc tumulum ſepeliendus defertur, ad vitam reddire poſſit, & ad vitalia exercitia redire, ad tactum Domini, Qui portabant ſteterunt.] Terminus vitijs imponatur, diuinorum præceptorum fræno deprauatæ voluptates conſtringantur; ad quod perficiendum diuina manus non deeſt, cuius præcipue vi, qui portant, ſtare compelluntur. Tunc qui defunctus efferebatur, potentem Domini vocem audit, Adoleſcens tibi dico, ſurge.] opera vitalia incipit exercere, Reſedit, & cœpit loqui] ſtabunt illi miniſtri, ait Ambroſius, incipies vitalia loqui. Ex quibus infertur, falli & ſatis decipi illos, qui exiſtimant ſe ſpiritualem animæ vitam conſequi poſſe, ſine hac continua & vehementi corruptæ voluntatis coertione. Sicut enim illa viuentia (piſces nimirum, & aues;) non niſi ex aquis repreſſis ſunt producta, nec Dominus adoleſcenti vitam reſtituit antequam ſtetiſſent qui ad tumulum portabant, ita etiam hæc ſpiritualis animæ vita, vitaliumque operum exercitatio à continua concupiſcentiæ pugna, vitiorumq; conſtrictione debet exoriri. Vnde & à Philoſophis recte dictum fuit, Virtus circa difficile: licet enim virtutes magis iuxta rationem ſint, & rationali animæ magis conformes, tamen ob naturæ poſt peccatum corruptelam, & ad omne malum pronitatem, ad bonum vero tardita-

tem

tem difficilis extitit virtutum via,& pugnando cum vitijs vtplurimum virtutes acquiruntur. Cum refrenatur gula, sobrietas acquiritur; dum libidini resistitur, castitas augetur. Si superbiæ motus deprimas, humilitate animus fulcitur: & sic de cæteris virtutibus, quibus peculiaria vitia opponuntur. E-
Ambros. l. de Cain. gressus enim malitiæ, inquit Ambrosius, virtutis operatur ingressum, eodemque studio quo crimen excluditur, innocentia copulatur.] Hoc idem Diuus
Colos. 3. Paulus alijs licet verbis declarat cum dicit: *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum.* Quis autem vetus homo, nisi ille cuius membra mortificanda idem Apostolus præceperat antea dicens: mortificate membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam impudicitiam, auaritiam, & cætera huiusmodi: Quis nouus sit homo, quem induere oportet, explicat cum ait Induite vos sicut electi Dei sancti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam.] Vides igitur quomodo exuendo veterem nouus induitur homo, quomodo, inquam, per mortificationem vitiorum, opera vitalia virtutum acquirũ-
Ambr. & exa. l. 5. tur? Ambrosius idem agens de operibus huius quinti diei, & ex quamplurimis piscium, & auium proprietatibus multa ad mores eliciens, ad hanc spiritualem animæ resurrectionem explicandam adducit illud quod de Phœnice Aui à multis circumfertur. Referunt enim eam quingentos viuere annos, cumque se senio confectam, & morti proximam senserit, vt reuiuiscat, odoratissimarum arborum truncos colligit, & ex eis nidum sibi præparat, quem ascendens, in eoque paululum quiescens, cum sol ardentiores emittit radios, tunc alarum motionem vehementi nidus ignem concipit, quo ipsa crematur, & in cineres redigitur, ex quibus vermiculus quidam enascitur, qui paulatim excrescendo in Auem efformatur. Nidus noster, in quo & renouari & reuiuiscere oportet, ex ijs virtutibus quas nos Dominus suo exemplo docuit, colligi, & confici debet, Expoliantes

vete-

veterem hominem, & nouum induentes, vt Paulus dixit. Harum autem virtutum amore, & iuxta modulum nostrum sedula exercitatione, vetera consumuntur, & hoc igni liquefiunt, vt deinceps in nouam creaturam renascamur.

Iuxta hanc doctrinam conuenientissime Diuus Bernardus mirabiles diuinæ Eucharistiæ effectus declarat, inquiens, In casu primi hominis omnes cecidimus: cecidimus autem super aceruum lapidum & in luto, vnde non solum inquinati, sed etiam vulnerati & grauiter quassati sumus. Lauari quidem cito possumus: ad sanandum vero opus est curatione multa. Lauamur autem in baptismo, & gratia hæc nobis confertur, ne iam nobis concupiscentia noceat, si tamen à consensu abstineamus. Sed quis poterit tam efferos motus frangere? quis pruritum vlceris huius ferre queat? Confidite, quia & in hoc gratia subuenit, & vt securi sitis sacramenti Dominici corporis, & sanguinis pretiosi inuestituram habentis. Duo enim illud sacramentum operatur in vobis, vt videlicet & sensum minuat, in minimis & in grauioribus tollat omnino consensum. Si quis vestrum non tam sæpe modo, non tam acerbos sentit iracundiæ motus, inuidiæ, luxuriæ, aut cæterorum huiusmodi, gratias agat corpori & sanguini Domini, quoniam virtus sacramenti operatur in eo.] Hæc omnia Bernardus. Quod autem ad virtutum exercitationem attinet, videte quid ipsemet Bernardus dicat à D. Tho. Aquinate relatus. Hoc corpus Christi ægris medicina, peregrinantibus via, quod debiles confortat, valentes delectat, languentes sanat: Per hoc homo mansuetior efficitur ad correptionem, potentior ad laborẽ, ardentior ad amorem, sagacior ad cautelã, ad obedientiã promptior, ad gratiarũ actionẽ deuotior.] Omnia hæc ex Bern. Cũ igitur tanta sit huius diuini sacramẽti vis & efficacia tum ad vitiorũ motus refrenãdos, tum ad virtutes sectandas; multũ sibi timere debet ille, qui cum frequẽter ad illud accedat, se sentit in ijs rebus nihil aut parum proficere.

Bern. ser. in cæna Dom.

Tho. epist. 59.

Si quæras causam, cur in diebus ieiuniorum, & pœnitentiæ à carnibus præcipiat Ecclesia abstinere, & piscibus tantum vesci, eam esse reperies, quia cum alimenta in stomacho digesta, eas quas habent qualitates corporibus communicent (quæ quidem corpora ieiunijs sunt mortificanda, ne nimium contra spiritum insurgant) esus carnium nimis carnalia corpora corroborat, pisces autem, cum ex aquis sint procreati, & in eis vitam degant, tenuioris sunt alimenti, & carnis vires non tantum augent. Si igitur diuinum hoc ac cæleste alimentum tantam ex se habet vim tum ad vitia comprimenda, tum etiam ad præclara virtutum opera exercenda, qui ex frequenti huius panis cælestis perceptione se proficere non sentit, nonne optimo iure sibi timendum esse arbitrabitur? Hunc autem timorem illa Diui Pauli verba magis possunt incutere, quibus Corinthios diuinam Eucharistiam percipientes, & negligenter viuentes alloquens, ait: *Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi*: quasi frequentes & graues infirmitates, quas patiebantur, & non vulgares mortes in pœnam tepidæ communionis fuerint à Domino in eos immissæ. At ne arbitremini me velle vos aliquo modo ab huius vitalis ac diuini cibi frequenti participatione abducere, Diuum Chrysostomum audite, ea omnia disertissimis verbis explicantem, de quibus hac in re admonitos nos esse oportet. Is enim postquam multis ac grauissimis & verbis & rationibus ostendit, quanta animi præparatione, quo timore, qua submissione ad tam sanctum mysterium sit accedendum, addit: Hoc autem non dico, vt non accedamus. Quemadmodum enim frigida accessio periculosa est, ita nulla mysticæ huius cænæ participatio, pestis est, & interitus animæ.]

Chrysost. in epist. ad Cor.

Tetigit loculum. Per hoc diminutiuum loci nomen, illud nobis in mentem venire debet, quod & quotidie ante oculos versatur, & semper tamen est in obliuione, quam paruus nimirum & quam angustus terræ locus in morte illos ipsos capiat, quibus, dum viuerent,

uerent, orbis vniuersus non sufficiebat. Lacrymatus est Alexander ille magnus, cum ab Anaxagora audiuit, infinitos esse mundos, ex eo, quia licet, hunc, quem videbat mundum, suo imperio maiori ex parte subiectum haberet, non tamen ad infinitos subiugandos vitæ humanæ quamuis longissimæ periodus erat sufficiens. Ipse vero trigesimum secundum annum non excedens, vt Diuus Hieronymus ait, è vita excessit, & paruo loculo est inclusus. Doctores S.S. Basilius, & Ambrosius de operibus huius quinti diei agentes, pisciumque tam magnam diuersitatem considerantes, egregie adnotarunt, quòd cum hæc innumerabilis fere piscium multitudo in tanta maris vastitate nullis finibus circunscribatur, nullis terminis coarctetur, quin possint vbicunque degere, & hac illacque discurrere; singula tamen genera piscium accommodata sibi loca naturaliter distribuunt, in illisque vitam degunt, & aliena loca nunquam expetunt, sed intra suos se læta continent fines. Hinc insurgunt hi sanctissimi Patres in eam insatiabilem hominum cupiditatem, qui terminos antiquos transgredientes, omnia possidere tentant: in quos etiam inuehitur Isaias Propheta, (ait Ambrosius) inquiens: *Va qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis, vsque ad terminum loci, nunquid habitabitis vos soli in medio terra?* Quibus quidem verbis non tantum arguit Propheta illos, qui per manifestam vim alienas possessiones inuadunt, sed eos præcipue potentes, qui eo tempore, vt domos proprias, ac villas ampliores redderent, vicinos minus potentes adeo vexabant tantisque molestijs afficiebant, vt cogerentur patrum suorum hæreditates eis minimo precio vendere: & hoc pacto diuites eas suis hæreditatibus adiungebant. At *va eis*, inquit sanctus Isaias: quia veniet tempus, in quo effrenata hæc cupiditas à Deo coarctabitur, atque tam strictis terminis constringetur, vt pro fœlicitate habeatur, si loculus ad corpus efferendum detur, paruaque sepultura ipsi donentur.

Hieron. Dani. Basilius Ambros.

Isa. 5.

Greg. Pap. *Adolescens tibi dico, Surge.* Exponens Diuus Gregorius illa verba Domini ad Iob, quæ iam superius retulimus, videlicet: *Quis conclusit ostijs mare, quando erumpebat quasi de vulua procedens.* postquam per maris profunditatem cor humanum intelligi posse declarauit (vt nos etiam superius retulimus) vuluam illam vnde erumpit, magnoque impetu procedit, Adolescentiam esse arbitratur: in ea namque ætate & plures, & vehementiores cupiditatum impetus rectam rationem impugnant, & penitus suffocare contendunt. Iuxta illud, *sensus enim & cogitatio humanæ* Genes. 8. *cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* Semē namque peccati, & illa concupiscentia, quæ post baptismum adhuc in renatis permanet, in ea ætate vires primas acuit, cum, & ratio inexperta in multis deficiat, & caro aduersus spiritum vehementissime insurgat: vnde contingit vt in ea ætate quamplurimi adolescentes si non in corpore, in anima tamen moriantur. Diuus Ambrosius cum in productione rerum Ambros. aquatilium conchas, ostreas, echinosque enumerasset, in hanc deplorationem prorumpit: Væ mihi, inquit, ante hominem cœpit illecebra, abundantia copiarum, nostræ mater luxuriæ, ante hominem delitiæ. Prior ergo hominū tentatio quam natura.] Ad cuius imitationem possumus addere, quod etiam in natura nostra, malitia rationem anticipat. Prius enim in infantibus, ac pueris inuidiæ, iræ, & aliorum vitiorum indicia experimur, quam recta ratione possint vti. Quid igitur eueniet eis, qui ab adolescentia vsque ad senectutem deprauatis naturæ motibus obtemperant, & post concupiscentias suas eunt? Qui vero ad mentem redire vult & sibi prospicere, Dei misericordiam obnixe ab adolescentia, vsque ad senectutem debet obsecrare, vt sibi adiutricem manum porrigat, cuius vi deprauatæ cupiditates, quæ nos ad inferni sepulchrum perducunt, stent, nosque ad vitam reuocet, & viuos conseruet. Ait namque idemmet Ambrosius, quod ob id Dominus Deus tam in mari, quam in terra multa venenata, atque humanæ vitæ, & fa-


& ſaluti nociua produxit, vt in omni loco, atque rerum euentu ab eo ſolo, tum vitã, tum ſalutem expectemus, qui ſolus, & perditam reſtituere, & reſtitutam poteſt in æternum conſeruare.

Reſedit, qui erat mortuus, & cœpit loqui &c. Licet ex eiſdem met aquis tam piſces, quam aues emerſerint, diuerſa tamen loca ad habitandum elegerunt: piſces namq; in eiſdem aquis remanſerunt, in quibus & degunt, & aluntur: at aues aëra petierunt, per quem libere volitant, è terra vero alimenta petunt, & loca ad nidificandum inquirunt. Diximus ſupra, per hanc primam viuentium rerum productionem moraliter intelligi vitalia virtutum opera, quæ ab anima producuntur, & exercentur: in ijs autem edocemur ea eſſe in duplici genere. Quædã enim ſunt virtutes, quæ præcipue ac primo diſſolutos ac effluẽtes, vt aquas, corporis cupiditates coercere ſatagunt: quædam vero animam in ſublime eleuant. Temperantia namq;, caſtitas, ſilentium, aliaque opera, quibus corpus exercetur & veluti coarctatur, licet eorum vtilitas in animam redundet, tamen corpus peculiariter reſpiciunt. At humilitas, patientia, charitas, mundi contemptus, cæleſtis patriæ deſiderium, & huiuſmodi alia, in anima ſibi locum proprie vendicant, ſuntq; eius veluti pennæ, quibus ad Deum eleuatur. Sunt tamen inter ſe in hac vita adeo coniunctæ & inſeparabiles, vt niſi ſimul exerceãtur, conſiſtere nõ poſſint, nec vitales exiſtere: ſicut Adoleſcens hic, qui vt ſe viuum oſtẽderet, *Reſedit, & cœpit loqui*: qui actus ad corpus pertinent, illudque viuum eſſe demonſtrarunt. Tunc deinde ſequitur, *Accepit autem omnes timor, & magnificabant Deum, dicentes, quia Propheta magnus ſurrexit in nobis, & quia Deus viſitauit plebem ſuam.* Ipſe namq; Adoleſcens, & reliqua turba diuino quodam reuerentiæ timore correpti, Deum magnificabant, & Chriſtum Dominũ licet non perfecte vt Deũ cognoſcerent, tamẽ vt magnũ Prophetã à Deo miſſum venerabãtur. Quæ quidem omnia ad animã præcipue pertinent, eamq; viuificant, & exornãt. Vt igitur perfecta huius

Adolescentis vitæ restitutio, non sola vnione animæ ad corpus ostensa fuit, sed deinceps corporis opera vitalia exercuit, quibus vitam ipsam conseruauit: ita profecto Christiani hominis vita non ex solis illis virtutibus, quæ in anima veluti viuunt, & per eam intrinsecus exercentur, dependet, sed etiam ex illis quæ extrinsecus per corpus operantur, quæ quidem ita sunt necessariæ, vt ab illis sit vtplurimum incipiendum, vt supra diximus. Prius namque Dominus pisces, qui corporalia opera virtutum designant, procreauit quam aues, quæ spiritualia. Prius hic adolescens resedit & cœpit loqui: deinde secutus est timor atque gratiarum actio: vt intelligamus, quod per mortificationem, pœnitentiam, abstinentiam, aliaque opera, in quibus corpus ad virtutem exercetur, disponitur & ipsa anima, vt iam in hac vita desiderando, & amando, cælum conscendat. Postquam

Philip. 3. Diuus Paulus inimicos crucis Christi eos esse declarauit, quorum Deus venter est, quique terrena solum sapiunt, *Nostra autem*, inquit, *conuersatio in cælis est*:

1. Cor. 9. quia iam dixerat aliquando, *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo.* Sicut enim aues licet è terris alimenta petant, in cælo tamen continue versantur: ita qui corporali ieiunio, cæterisque corporalibus exercitijs vitia comprimunt, inde mentem ad cælestia eleuant, ibidemque desiderio conuersantur, quousque cælestia præmia in æterna gloria assequantur: quam nobis concedat Dominus. Amen.



FERIA QVINTA.

De Magdalena.

Stans retro pedes eius, lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat, &c. Luc. 7.

Sextus dies Creationis.

CVM Dominus vellet rerum creationi vltimam manum imponere, atque ea quæ creanda disposuerat, perficere, initio huius sexti diei, dixit: *Producat terra animam viuentem in genere suo, iumenta, & reptilia & bestias terræ iuxta species suas: & factum est ita.*] Illico è terra prodiere tot tantaque animalium genera & species, reptiliumque multitudo, quæ terram repleuerunt. Ex ijs quædam postea in alimentum hominibus sunt data, quædam vero ad eorum seruitium destinata (vnde & iumenta quasi iuuamenta dicta sunt) quædam vero vel ad delectationem, vel ad vtilitatem, in remedia scilicet ægritudinum inseruiunt: neque est inter tot reptilium, & vermiculorum genera aliquod, ex quo non possint homines aliquod emolumentum percipere. Cum igitur Deus vidisset quod esset bonum, ait: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, vt præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestijs, vniuersæque terræ, omnique reptili quod mouetur in terra. Et creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam, ad imaginem Dei creauit illum, masculum & fœminam creauit eos.*] Ex his vltimus verbis, vt arbitror aperte colligitur, hoc ipso die & Euam fuisse creatam, licet alij aliter senserunt ex eo, quod sequenti capite eius productio explicatur: quæ quidem ratio parum habet roboris, cum consuetum sit in sacris literis pleraque

raque prius summatim attingere, quæ postea latius explicātur; sicut etiam hoc loco tantū dicitur, Deum creasse hominem ad imaginem & similitudinē suam: & sequenti cap. modus creationis explicatur cum dicitur: *Formauit igitur Deus homine de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.* Locus autem huius creationis licet in scriptura sacra non exprimatur, dicitur tamen communiter fuisse campus Damascenus iuxta Ebron in terra Iudææ. Ibi ergo ex limo terræ virtute diuina corpus humanū efformatū est perfectissimeq; organizatum, atque in perfecta ætate, quasi esset triginta annorum. Et quamuis Diuus Chrys. videatur sentire, prius extitisse corpus illud informe, luteum, & postea in carnem fuisse conuersum, communior tamen sententia certior videtur, quæ asserit, ex eo luto statim corpus carneū emersisse, & simul à Deo rationalem animam esse creatam, eidemque vnitam, quæ corpori vitam sensum, motum, perfectionemq; tribuit, & in qua imago & similitudo Dei constitit. Hunc hominem ita procreatum Deus inde in Paradisum voluptatis transtulit, locum ab ipso specialiter plantatum, ipsiq; homini à principio præparatum: quem quidem hominem sicut omnibus tum corporis tum animæ ornamentis ac virtutibus exornauerat; ita eidem locum illum omnibus delitijs refertum ad habitandum concessit. Et quia omnibus animantibus, auibus, & piscibus præesse debebat, eisdem nomina imposuit, iuxta cuiusq; naturales proprietates. Cum autem inter ea animalia viuentia nullum existeret, quod homini assimilaretur, cum quo & simul conuiuere, mutuoque colloqui posset: Immisit Dominus soporem in Adam, eiq; consopito costam detraxit, quam iam in eius corpore tanquam in primo naturæ humanæ principio extra numerum præparauerat (ex quo monstrum dici non poterat) locumq; illum carne repleuit, & ex ea costa, adiuncta vel terræ vel aëris materia, mulierē ædificauit seu efformauit, quam etiam omnibus ijs dotibus corporis & animæ

Chrysost.

deco-

decorauit, quæ in Adamo reperiebantur, vt omnino ei similis fieret: quem tamen in eo excelluit, quia ipse extra Paradisum, & de limo terræ, ipsa vero Eua in ipso paradiso voluptatis, & ex Adami costa est fabricata. Ad se Adamus rediens, videns ante se mulierem, eam sibi datam sociam intellexit, & ibi primo matrimonium est institutum. Eis deinde Dominus imperium omnium viuentium tradidit, & pro alimēto omnia paradisi poma, præcipue autem lignum vitæ constituit, vnica excepta illa arbore, quæ dicitur scientiæ boni & mali; præceptum illis de non gustando tale pomum, & comminationem addens, vt statim atque ex illo ederent, in mortis sententiam essent incursuri. Atque ita rerum creationi finis fuit impositus.

Igitur hoc sexto & vltimo creationis die procreauit Dominus tum bruta animantia atque reptilia, tum etiam hominem: & licet ex eodem terræ elemēto, in ipso tamen creationis modo quantum inter homines atq; cætera omnia creata intersit, satis ostēdit, cum ad eorum productionem vsus est eo absoluto verbo: *Fiat. germinet, producat*: at quando de hominis creatione fuit agendum, stilum dicendi mutauit, inquiens: *Faciamus hominem &c.* In hoc ostendens, peculiari sanctissimæ Trinitatis consilio & prouidentia eum fuisse creatum, vt qui eius esset imago quædam, & similitudo: quod in cæteris non reperitur, & in quo præcipue creata omnia visibilia, & corporalia homo ipse excellit. Ex multis autem sanctorum Doctorum de ista Dei imagine declarationibus, (cum perspicuū sit eā in anima cōsistere, & non in corpore) D. Ambr. expositionē elegi, cuius vestigijs inhęrens dico, quod quāuis homo ratiōe huius imaginis atq; similitudinis toti Trinitati quodāmodo assimiletur; præcipue tamē & particulari quodāmodo ad Christi Domini vnigeniti Patris æterni filij imaginem fuit efformatus. Quod quidē S. Am. ex ijsdē verbis, quib. Deus vsus est, infert hoc modo: Faciamus, inquit Deus, hominē ad imaginē & similitudinē nostrā: quasi dicat, qui hō sit

Ambr. in par. l 6.

nostræ imaginis imago & exemplar, & illius imaginis similitudinem præseferat. Si autem quæras, cui ex diuinis personis conueniat, vt proprie imago Dei dicatur, Diuum Paulum audi ita loquentem : *Qui* (pa-
Colos.1. ter scilicet æternus) *eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem & remissionem peccatorum, qui est imago Dei inuisibilis, & primogenitus vniuersæ creaturæ.* Ex eo enim Christus Dominus est imago Dei inuisibilis, quia eius filius naturalis est, & quia solus filius, solus ipse imago Patris est. vnde & ipse Philip-
Ioán.14. po dicenti, *Domine ostende nobis Patrem. & sufficit nobis,* respondit : *Philippe qui videt me, videt & Patrem* : quia nimirum ipse, vt propria & naturalis imago totam diuinam naturam omnesque diuinas perfectiones ad viuum exprimit. Cum ergo ipse Dei filius, qui ab æterno à Patre vt imago procedit, ab ipsamet æternitate fuerit decretum, vt homo fieret, & homo factus non solum ob diuinam personam, sed etiam ob perfectiones gratiæ & virtutum in eius animam infundendas, perfectissima imago Dei posit merito dici, & in diuina prædestinatione esset primogenitus vniuersæ creaturæ : ideo rectissime à Diuo Ambrosio dicitur, Deum fecisse Adamum ad imaginem
Hebr.13. ipsius Christi Domini, qui ipsius Dei imago est.
Thom.1.p. Christus enim Dominus *heri & hodie, ipse & in secu-*
q.93. *la.* Tripliciter, inquit Diuus Thomas, imago Dei in homine potest considerari. Vno quidem modo secundum eam aptitudinem, quam habet ad intelligendum, & amandum, quæ quidem aptitudo cum in ipsa natura mentis consistat, omnibus hominibus communis est, siue iustis, siue iniustis. Alio autem modo consideratur secundum quod homo ipse actu vel habitu Deum per intellectum cognoscit, & per volũtatem eum ex charitate diligit, licet imperfecte : quo pacto est Dei imago in iustorum animis in hac vita existentibus, Deum ipsum nunc per speculum & in ænigmate contemplantibus. Tertio autem modo de ea imagine potest agi, secundum quod homo

Deum

Deum ipſum actu cognoſcit per claram viſionem, 1. Ioan.
& amat perfecte, vt eſt in beatis, ſecundum illud: *Sci-
mus quoniam cum apparuerit, ſimiles, ei erimus & vi-
debimus eum ſicuti eſt.* Adamus igitur creatus fuit in
ea imaginis perfectione quæ in iuſtis in hac vita re-
peritur, vtpote omnibus virtutum habitibus in a-
nimam eius infuſis: quibus omnibus cum Chri-
ſtus Dominus ab ipſa conceptione fuerit perfectiſsi-
me exornatus, ſublatis omnibus imperfectionibus Eſai. 11.
(iuxta illud Iſaiæ? *Et requieſcet ſuper eum Spiritus Do-
mini ſpiritus ſapientiæ & intellectus &c.* Perfectiſsi-
ma fuit Dei imago. Secundum hanc imaginem, in-
quit Ambroſius, Adam fuit ante peccatum: ſed vbi
lapſus eſt, depoſuit imaginem cæleſtis, ſumpſit terre-
ſtris effigiem.] Sopor ille vel potius illa ecſtaſis, vt Aug de g.
Auguſtini verbis vtar, quam Deus immiſit in Adam ad litras l.
vt ſoporatus obdormiret, recte intelligitur ad hoc 9. c. 19.
immiſſus, vt & ipſius mens per ecſtaſin particeps fieret
tanquam angelicæ curiæ, & intrans in ſanctuarium
Dei intelligeret nouiſsima. Denique euigilans tan-
quam prophetiæ plenus, cum ad ſe adductam mulie-
rem ſuam videret, eructauit continuo (quod magnū Ephes. 1.
Sacramentum commendat Apoſtolus) *Hoc nunc os
ex oſſibus meis, & caro de carne mea. Propter hoc re-
linquet homo patrem, & matrem ſuam, & adhærebit
vxori ſuæ. Sacramentum hoc magnum eſt*, inquit A-
poſtolus, *ego autem dico, in Chriſto & in Eccleſia.*] Ex
ijs non inepte, vt arbitror, poſſumus intelligere, fuiſſe
Adamo in illa ecſtaſi reuelatam diuini verbi incarna-
tionem, eique oſtenſum Chriſtum hominem ab ipſo
per corpulentam ſubſtantiam deſcendentem, & ob id
eius filium, & inſimul Dei Patris filium naturalem,
qui eidem Patri factus obediens vſque ad mortem
mortem autem crucis, ſuo ſanguine Eccleſiam acqui-
ſiuit, vt eam ſibi in ſponſam aſſumeret. Quod ideo
Deū feciſſe exiſtimo, vt Adamus mētis oculis intuens
perfectiſsimam illam imaginem omnium virtutum,
Chriſtum Dominum, ad quam erat efformatus, eiuſ-
que indetrectabilem obedientiam ad mortem vſque

perpendens, non graue nimis duceret præceptum illud sibi à Deo impositum, ut sic in officio contineretur. At ipse nimium in vxoris, quam oculis corporeis intuebatur, amorem propensus, & eam diuinam imaginem, quam spiritualibus oculis conspexerat, obliuiscens, ne vxorem contristaret, præceptum transgressus, pulchritudinem imaginis, in qua fuerat creatus, amisit. Vnde & nos peccatoris Adami filij in hanc quasi hæreditario iure mentis cæcitatem incurrimus, vt potius ea consectemur, quæ sensibus sunt exposita, quam ea quæ rationis oculis conspiciuntur. Quamobrem ad reformandam hanc imaginem illud erat summopere necessarium, vt imago illa Dei, quæ ab Adamo spiritualibus tantum oculis fuerat in ea ecstasi præuisa, ante carnales oculos nostros tandem proponeretur, vt hoc modo quod cecidit in Adam primo, erigatur in secundo, sicut Leo Papa dicit. Hinc est quod Diuus Augustinus inter præcipuas incarnationis causas hanc incarnati Verbi imitationem enumerat, ita inquiens: Homo sequendus non erat, qui videri poterat: Deus sequendus erat, qui videri non poterat. Vt ergo haberet homo, & quem videret, & quem sequeretur, Deus factus est homo. Cuius vestigia consectantes, de die in diem, illam Dei imaginem in nobis renouamus, quam deformem ab Adamo accepimus. Sapienter igitur hæc mulier, quæ fuerat in ciuitate peccatrix, pedibus Domini tam cupide adhæsit, vt ter Euangelista pedes Christi commemoret, dicens: *Stans retro secus pedes eius, lacrymis cœpit rigare pedes eius, & osculabatur pedes eius.* Accessit, inquit Augustinus, non ad caput, sed ad pedes, & quæ diu male ambulauerat, vestigia recta quærebat. Fuerat usque ad illud tempus secuta terreni hominis vestigia, vnde diuinam in se imaginem ita fœdauerat, vt non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus deformis existeret, vtpote *in ciuitate peccatrix*: At in se ipsam reuersa, vt cognouit à Christo Iesu sibi remedium esse expectandum, quo deperditam imaginis

Leo Papa.
August.

ginis diuinæ pulchritudinem posset acquirere, eius pedes amplectitur, illiusque vestigijs tota inhæret. Cant. 1. Diuus Bernardus tractans illa verba Sponsi: *Si ignoras te ô pulcherrima inter mulieres, egredere, abi post vestigia gregum tuorum*, Casum primi hominis, & in eo Bern. serm. 35. omnium nostrum deplorat, inquiens: Heu quod egregia creatura olim facta de grege (quia scilicet eodemmet die creatus est homo quo bruta creata fuere) & nunc in pecus miserabiliter proruens, non saltem inter greges remanere permittitur, sed post abire iubetur. Quomodo, inquit, quomodo legis? *Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Psal. 48. Erat in terrestri paradiso collocatus, gloria & honore coronatus, & constitutus super omnia opera manuum plasmatoris, & magis autem ob insigne diuinæ similitudinis præcellebat: sed mutauit istam gloriam Dei in similitudinem vituli, comedentis fænum.] Cum igitur hæc peccatrix mulier seipsam ignoraret, & solam exteriorem pulchritudinem conspiciens, fœdatamque turpiter pulcherrimam Dei imaginem non intelligens, sequebatur vagos corporis sensus, in quibus iumentis insipientibus assimilamur, & post eorum vestigia abiens, vitam in peccatis ducebat: sed cum diuina inspirante gratia seipsam agnouit, ad Domini pedes cucurrit, atque ab eius vestigijs non recedens, deformatam in se illius imaginem reformauit, & pulcherrimam reddidit. Cum admiratione ait Euangelista: *Ecce mulier vt cognouit, &c.* Quasi innuens, quod sicut primus ille Adam ex eo in peccatum lapsus est, quod seductam à serpente bruto reptili, Mulierem secutus fuit; sic hæc mulier inde à peccatis surrexit, quia secundum Adam, Christum Iesum, quæsiuit, secusque eius pedes stetit: vt Christi vestigijs innixa (inquit Petrus Serm. 95. Chrysologus) percurreret per viam vitæ, quæ per viam percurrerat mortis, cum scilicet Euam secuta erat, *in Ciuitate peccatrix.*

Bernard. Diuus Bernardus sumpta occasione ex illis supra relatis ipsius verbis, scilicet, quod homo mutauit gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fænum, deuotissimam excitauit circa Sanctissimum Eucharistiæ sacramentum considerationem. Inde, inquit, est, quod panis Angelorum factum est fænum positum in præsepio, appositum nobis, tanquam iumentis. Verbum quippe caro factum est, & iuxta Prophetam, Omnis caro fænum. Non autem fænum
Isa. 40. illud est quod statim exsiccatur, pro eo quod sequitur in eodem Propheta: Verbum autem Domini nostri manet in æternum. Si enim fænum est Verbum, & Verbum in æternum manet, fænum quoque necesse est maneat in æternum: alioquin quomodo vitam præbet æternam, si ipsum minime manet in æternum? Ait enim: *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* Et quem panem dicat, aperit, cum subiungit: *Et panis, quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita.* Quomodo ergo æternum non est, quo æternaliter viuitur? deinde addit: Ergo cibus hominis mutauit se in pabulum pecoris, homine mutato in pecus. Heu tristis, & lachrymosa mutatio! vt homo paradisi accola, terræ Dominus, cæli ciuis domesticus Domini Sabaoth, frater beatorum spirituum, & cælestium cohæres virtutum, repentina se conuersione inuenerit & propter infirmitatem, iacentem in stabulo, & propter pecorinam similitudinem, indigentem fæno. Comede igitur, (concludit Bernardus) fænum, quem panem, & panem Angelorum fastidisti.] O mira circa nos diuinæ pietatis dignatio, ô ineffabilis dilectio charitatis! vt hominem diuinæ ipsius maiestatis reum (vtpote qui pulcherrimam ipsius Dei & Christi Domini imaginem fædauerat, atque animalia sensuum desideria sequens, iumentis, & brutis animalibus fuerat factus similis) ad se iterum reduceret, deperditamque imaginis pulchritudinem reformaret; Verbum ipsium non solum caro fieri voluit, sed & hanc ipsam carnem eidemmet homini in alimentum præbuit, ita se nostris cor-

poralibus

poralibus ſenſibus accommodans, vt ſub illis ſacratiſsimis Panis & vini ſpeciebus, quas eiſdem ſenſibus percipimus & deguſtamus, totum ſe nobis traderet, ſibi ipſi vniret, atque hoc modo ex animali illa, & pecuina vitæ ſimilitudine, in rationalem ac diuinam tranſeamus. Mirum ſane videtur (vt optime Cyprianus adnotauit) quod cum Dominus poſt diluuium eſum carnium hominibus concedens, carnem cum ſanguine comedere ſtrictiſsime prohibuerit, nunc carnem ſuam ac ſimul ſanguinem nobis manducandum præcipiat, illis verbis: *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Cuius ſi cauſam requiras, veniat in mentem quam rationem ipſe Dominus reddat, cur à ſanguine animalium abſtinendum iuſſerit. Quia, inquit, anima carnis in ſanguine eſt. Per animam autem vitam intelligi, perſpicuum eſt. Cum igitur Dominus ab animalium irrationali ſenſibuſque dedita vita nos vellet abducere; & ne pecudum more viuamus admonere, ab animalium ſanguine, in quo animalis vita conſiſtit, præcepit abſtinere. At cum Chriſtus Dominus ſuam nobis diuinam, & ſpiritualem vitam, ad quam ſumus creati, vellet denuo impertire, carnem ſuam ſimul & ſanguinem, in quo vita conſiſtit, in Euchariſtiæ mirabili ſacramento edendam exhibet. In ſpecie panis (inquit Cyrillus Ieroſolymitanus) dat nobis corpus, & in ſpecie vini dat nobis ſanguinem, vt cum ſumpſeris, guſtes corpus, & ſanguinem Chriſti, factus eiuſdem corporis, & ſanguinis particeps. Sic enim efficimur Chriſtiferi, hoc eſt, Chriſtum in corporibus noſtris ferentes, cum corpus eius, & ſanguinem in membra noſtra recipimus: ſic (ſecundum Beatum Petrum) diuinæ naturæ conſortes reddimur.

Cyprian. de cœna Dom.

Ioan. 6

Leuit. 17

Cyrill. Ieroſ. Catech. myſta. 4

Stans retro ſecus pedes Domini. Inter ea, in quibus homo ab animantibus brutis hoc ſexto die productis differt, enumerat Diuus Ambroſius pedes: Cætera namque animalia, & reptilia, vt minimum qua-

Ambroſ.

quatuor habent pedes; at homo duobus, vt volatilia cælestia, constat, quippe cuius præcipue pars è cælo venerit. Sunt autem pedes totius humani corporis veluti firmamentum, qui eius molem & sustinent, & portant. Noster etiam interior homo suos debet habere binos pedes, Christi Domini exemplaris nostri diuinos pedes consectantes. Quod si per pedes Christi eius diuinitatem, atque humanitatem intelligamus, nullum certe sequetur inde absurdum: quia scilicet diuinitate ad terras descendit, cum Verbum caro factum est, & habitauit in nobis; humanitatem vero, cum cum hominibus est conuersatus, circuibatq; omnes ciuitates, & castella Iudææ, & Galilææ, prædicans Dei regnum, & multa edens miracula. Licet autem diuinitas esset occulta, humanitas vero omnium oculis exposita; ipse tamen Christus redemptor, & saluator noster vtroque isto pede innixus, salutis humanæ viam cucurrit, quoad vsque eam in cruce consummauit. Mortem enim per quam homini salutem acquisiuit, nec solus Deus, (ait Augustinus) perferre, nec solus homo superare potuisset: sed cum simul esset & Deus, & homo; per vitæ suæ ac mortis viam nobis ad æternam vitam viam patefecit. Vt autem per hanc viam securi, ac firmi gradiamur, duos etiam debemus habere pedes, quibus cum hac muliere ad Dominum accedamus, & secus eius pedes stare valeamus, Hi sunt, Fides & Dilectio. Fide illustrata hæc mulier, diuinam in Christo esse potentiam credidit, qua peccata posset dimittere: magna deinde dilectione circa illam sacratissimam eiusdem Domini humanitatem accensa, multorum, imo & omnium, peccatorum suorum remissionem meruit obtinere. Non vno tantum fidei pede innixa, altero charitatis pede claudicans, ad Dominum peruenit, secusque eius pedes stetit: sed fide per charitatem operante, viam salutis est persecuta, & tandem quam desiderabat salutem consecuta. Verbum autem illud, *Stans*, pedum firmitatem designat. Vnde Petrus Chrysologus: Bene, (inquit)

[Margin: August. — beside "hominis salutem acquisiuit"; Chrysol. — beside "tem designat"]

quit) ſtans, quia iam cadere non poteſt, qui ad pedes Chriſti meruit peruenire. Non poterit autem cadere, ſi ab illis pedibus ſponte ſe non ſubtraxerit. Secus namque diuinos illos pedes ab ipſius Domini ore hæc mulier ſimul audiuit. *Remittuntur tibi peccata tua*, &, *Fides tua te ſaluam fecit; vade in pace.*

Si quæras, quo conſilio animive impulſu hæc mulier inducta; cum in ciuitate eſſet peccatrix, Dominum in domo Phariſæi accumbentem quæſierit, ſecuſque eius pedes ſteterit, peccatorum veniam deprecans, cum & ipſe Dominus vir ſanctus, & Propheta magnus à populo diceretur: Reſpondet Petrus Chryſol. quod inde tantam fiduciam de eius miſericordia ac benignitate concepit, quia cognouit eum in domo Phariſæi accubuiſſe. Credidit namque (ait Chryſologus,) quod eſſet promptus ad veniam qui Phariſæi venerat tam promptus ad menſam.] Cum enim Phariſæi ardenti odio in Chriſtum flagrarent, eiuſque & vitæ & mirandis operibus tam priuatim quam publice detraherent; ingentis manſuetudinis, ac ſummæ benignitatis ſignum erat euidentiſſimum, Phariſæi domum ingredi, cum eoque manducare. Hinc videre licet quantam vim ad permouendos animos aliorum exempla habeant, maxime ſi ſuperiores ſint, & in eminentiori loco conſtituti, qui quidem inferiorum animos ad ſui imitationem vehementiſſime pertrahunt. Dubitatur à multis an ea omnia animantia & aues, quæ hodie carnibus aluntur, eo alimento à principio vſa ſint. Veriorem Diui Baſilij & aliorum plurium ſententiam puto, qui aſſerunt ante diluuium neq; homines, neque feras carnibus veſci conſueuiſſe. Omnibus enim ſimul hac die ſexta dictum eſt: *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & vniuerſa ligna, vt ſint vobis in eſcam, & cunctis animantibus terræ, omnique volucri cæli, & vniuerſis quæ mouentur in terra.* At cum poſt diluuium eſus carnium hominibus fuerit permiſſus, eiſque vti cœpe-

Chryſ[ol.]

cœperunt eo exemplo permotæ feræ, ac aues carniuoræ ducem, ac sibi ipsis superiorem hominem imitantes, carnes appetere, adeoque iam vt eis satientur tam in ipsos homines quam in alia debiliora animantia insurgunt. A nobis igitur crudelitatem didicerunt. Mulier verò hæc ex Christi Domini benignitate accepit, vt tanta fiducia peccatorum suorum veniam perquireret.

Lachrymis cœpit rigare pedes eius.] In illo primum rerum statu: quem Dominus ad summam hominum quietem ac felicitatem disposuerat, *Non pluerat Dominus ipse super terram & homo non erat, qui operaretur eam: sed fons ascendebat è terra, irrigans vniuersam superficiem terræ.*] Erat fons iste in medio paradisi collocatus, indeque in quatuor flumina per vniuersam terram diuisus, eam irrigando fæcundabat. At postquam Adamus è paradiso est expulsus, & factus agricola terram cœpit exercere, atque in sudore vultus sui sibi & filijs victum parare; inter ceteros, quos passus est ipse, posterique patiuntur, labores ille agricolarũ animos satis angit, è cœlo videlicet pluuia sperare ab eisq; dependere, vt fructus terra producat: cuius quidem aquæ vel defectu vel nimietate sæpe sæpius sterilis redditur. Id ipsum in illo interiori animæ paradiso Adamus passus est, & nos hæreditario iure patimur: namque in eo primo innocentiæ statu, in quo creatus est, cum diuinæ gratiæ fonte vberrimo atque iustitiæ originalis fluuijs, eius anima irrigaret vt, virtutum opera sponte fere sua & cum magna suauitate ab ipsamet anima erant producenda: Verum simulatque hanc gratiam origrnalemque iustitiam sibi posterisque amisit, non solum labore, sed & lachrymis opus est, vt deperdita gratia acquiratur, & terra nostra fructus virtutum producat, quarum vel defectus vel superflua effusio sterilitatem animæ affert.
Luc. 6. Lachrymarum defectum innuit Christus Dominus inquiens: *Væ vobis qui ridetis nunc* (quando flendi tempus est) *quia lugebitis & flebitis*: in eo scilicet loco pœnarum vbi erit fletus & stridor dentium. Superfluæ au-


fluæ autem,& infructuosæ eæ sunt lachrymæ quæ ex nimio terrenarum rerum amore vel dolore oriuntur. Illis vero lachrymis anima irrigatur fæcundaque redditur; quibus Domini pedes cum Maria Magdalena irrigantur, cum ante eum procidentes ploramus, intimoque cordis dolore percussi peccata in eum commissa deflemus. *Cœpit rigare*, ait noster Euangelista, non tamen quando desijt, declarauit. In hac enim lachrymarum valle constituti, illud Dauidicum singuli vsurpare debemus: *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panis, die ac nocte: dum dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus?* Etenim cum in hac vita (quæ & militia & exilium est) nunquam possit anima adeo de Dei sui præsentia gratuita eiusque intima adhæsione esse secura, vt non sibi sit timendum ne ab ipso separetur, ideo sicut quotidie panem quærit, quo vita corporalis conseruetur; ita lachrymis die ac nocte Domini pedes irrigare debet, illisque veluti panibus ali, quousque eum in patria secure possideat: qui tunc ab eius oculis omnem lachrymam absterget.

Capillis capitis sui tergebat. Certe licet hæc mulier delicias, ac muliebres illecebras, & ornamenta adeo affectaret, vt ob id multum ad peccatricis nomen adijceret; in eo tamen laude digna videtur, quod suis vtebatur capillis, non alienis neque adulteratis. Si enim natiui non fuissent, minime eis vti potuisset ad puluerulentos Christi Domini pedes abstergendos: at cum sui essent, gratissimum Domino fuit huiusmodi obsequium, quippe qui veris rebus, non autem fictis & adulterinis vult sibi venerationem & cultum exhiberi. Inter tot ac tam varia animantium genera, quæ hoc sexto die ad hominis vtilitatem sunt creata, mulas, mulosve minime reperies fuisse per Dominum producta, quæ postea nimia hominum, ac peruersa rerum nouarum inquisitio curiose adinuenit. Non enim Deus se auctorem voluit ostendere earum rerum, quæ à propria ac natiua specie degenerant, & sunt veluti quædam fig-

menta naturæ. Vos igitur, ô Mulieres, quæ tam capillos quam facies adulteratis, quamuis fieri possit, vt in Dei offensam ob id minime incurratis, illi tamen ijs rebus nequaquam vos placere existimetis. Nam cum sit ipse summa & simplicissima veritas, qui fieri potest, vt hæc naturæ figmenta, & mendacia gratis oculis aspiciat?

Ambros. *Osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.* Diuus Ambrosius de hac hominis creatione agens, illamque diuinæ imaginis ac similitudinis in homine expressæ excellentiam expendens, multis exhortatur, vt nosipsos, & qui simus, attente consideremus. Quod vt recte fiat, hac diuisione vtitur. Aliud (inquit) sumus nos, alia sunt nostra; alia quæ circa nos sunt. Nos sumus, hoc est, anima, & mens. Nostra sunt, corporis membra, & sensus. Circa nos, pecunia & serui sunt, & vitæ apparatus.] Si igitur nosipsos cupimus agnoscere, & qui sumus intelligere, non in corporis membra, pulchra seu deformia, valida seu infirma, nec etiam in sanguinis nobilitatem, diuitias, honores, ac dignitates oculos conijciamus: sed animam ipsam contemplemur, & qualem eam reperimus, tales nos esse iudicemus. Sapienter ergo hæc mulier salutis viam est ingressa, cum ad se ipsam rediens, animam ad imaginem Dei factã, tot pecatorum maculis fœdatam conspiciens, Christo Domino, qui vera est Dei imago, reformandam tradidit. Ac primo quidem propriam ei volantatem obtulit,
Chrysost. quæ, vt Diuus Chrysostomus ait, præcipua, & principalior est quam ipsa hominis essentia, atque ipsa magis est homo quam illa.] cuius voluntatis ardentissimum charitatis affectum ipse Dominus testatum reddere voluit, cum de illa dixit. *Quoniam dilexit multum.* Hæc autem vehemens charitas, qua se ipsam totam Domino tradidit, secum cætera omnia detulit, pedes, manus, oculos, os, & capillos, deinde quæ circa illam erant pretiosa vnguenta, cæterasque diuitias, quibus deinceps Christo & discipulis ministrabat. Quæ quidem omnia ex eo grata ipsi

Domino fuerunt, quia prius de semetipsa sacrificium acceptabile exhibuit. Mirandum sane, quod cum Dominus Deus animantia atque reptilia procreasset, statim dicat scriptura, *Vidit Deus quod esset bonum*, quod & post plurium creationem dicitur. At de homine ad imaginem Dei creato, nihil tale peculiariter dicitur, sed generatim post omnium creationem concluditur, *Vidit cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* quæ quidem bonitas, naturæ bonitas est, qua omnia ad suos fines consequendos optime erant disposita. At cum hominis bonitas non solum sit expendenda ex bonitate naturæ ipsius rationalis, neque ex illa excellentia naturali, qua cæteris creatis antecellit, sed ex optimo vsu & actibus intellectus, & voluntatis, quibus Creatorem suum cognoscere, venerari, & amare tenetur, non bonus à Deo ipso iudicatur, nisi quando actu vel habitu eum & cognoscit & diligit. Hoc modo fuit hæc mulier antea in ciuitate peccatrix à Domino approbata, cum postquam dixisset Simoni, dimissa illi fuisse peccata multa, quoniam multum dilexit, vltimo ait, *Fides tua te saluam fecit: vade in pace.* Hisce enim actibus tum fidei, tum etiam ardentissimæ charitatis, quibus se ipsam suaque omnia illi Domino, quem vt omnium bonorum fontem quæsiuit, omnino tradidit, hanc animæ pacem meruit obtinere, quæ omnia bona gratiç indicat, quibus mediantibus in æternam cælestis beatitudinis pacem fuit introducta. Quam nobis concedat Dominus. Amen.



FERIA QVINTA.

In Cœna Domini.

Ante diem festum Paschæ sciens Iesus, quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Ioan. 1

Septimus dies quietis.

COmpleto, & ad finem perducto in supra relatis sex diebus vniuerso creationis opere, ait nunc sacer historiographus: *Igitur perfecti sunt cæli & terra, & omnis ornatus eorum. Compleuitque Deus die septimo opus suum, quod fecerat, & requieuit die septimo ab vniuerso opere, quod patrarat. Et benedixit diei septimo & sanctificauit illum, quia in ipso cessauerat ab omni opere suo, quod creauit Deus vt faceret.* Cum enim videret Dominus in hoc septimo die ita omnia, quæ creauerat, esse perfecta, vt nihil illis deesset tum ad naturales perfectiones, tum ad earum conseruationem; à nouarum rerum creatione cessauit, & requieuit die septimo, quia per continuos sex dies à creatione non cessauerat: & ideo hunc diem septimum benedicendum ac sanctificandum duxit, quia in eo omnia opera sua perfectissima repererat, neque in eis amplius laborare oportebat.

Si attenta consideratione superiora Moysis verba expenderitis, nonne impropria illa locutio videbitur, qua vsus est dicens, *Requieuit Deus?* Requies enim laborem antecedentem supponit: at diuina omnipotentia, qua omnia ex nihilo sunt creata, in eis producendis non est defatigata: quod satis declaratur, cũ in omni creationis discursu illis verbis succinctis vsus est Moyses, Fiat, & factum est: germinet, & germinauit: producat, produxit; momentaneam diuinæ po-

tentiæ voluntatisque executionem significans, quæ ob diuinæ naturæ infinitā perfectionem ab omni labore, ac defatigatione est immunis. Si ergo Deus omnipotens in hac rerum creatione defatigari non potuit, cur modo in septimo die dicitur, Requieuit Dominus? Huic dubitationi ex sanctissimi Patris Augustini doctrina satisfacientes dicimus, quod cum creaturam rationalem, hominem scilicet, Deus vltimo loco, sexto die procreauerit, eidemque eas animi facultates contulerit, quibus eum & cognoscere, & amare super omnia valeret, voluit eidem homini ostendere, seipsum esse locum illum in quo deberet vltimo conquiescere, quando scilicet per spiritum sanctum charitate in cordibus nostris diffusa eum toto corde diligimus, vt illò feramur, inquit Augustinus, appetitu desiderij, quò cum peruenerimus, requiescamus, id est, nihil amplius requiramus. sicut enim recte dicitur Deus facere, quidquid ipso in nobis operante fecerimus: ita recte Deus dicitur requiescere, cum eius munere requiescimus. Qui quidem loquendi modus frequentissimus est in sacris litteris: quod primum patet ex illis ipsius Domini verbis ad Abraham post voluntariam illam filij oblationem: quando eidem dixit, *Nunc cognoui quod timeas Deum*. cognitum certe satisque exploratum ab æternitate habuit Dominus Abrahami animum: at quia illo celebri obedientiæ actu eius fidem, ac in Deum ipsum pietatis cultum & venerationem vniuerso orbi testatam reddidit, ideo dicit, Nunc cognoui, id est, nunc feci vt cognosceretur quantum Deum timeret Abrahamus. Hoc eodem locutionis modo dictum esse arbitratur ab Apostolo idem Pater Augustinus: *Nolite contristare spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis*. Neq; enim ipsa substantia spiritus sancti contristari potuit, cum habeat æternam & incõmutabilem beatitudinem, imo quæ sit ipsa æterna & incommutabilis beatitudo: sed quia ita in sanctis habitat, vt eos charitate impleat, sicut ipsi ea charitate impellente de profectu ac bonis operibus fidelium

gaudent, ita de lapsa ac peccatis eodem charitatis affectu permoti contristantur, ac propterea ipse spiritus dicitur contristari ab eis, qui peccata operantur: quia eorum factis contristantur sancti, non ob aliud, nisi quia spiritum sanctum habent, quo dono tam boni sunt, vt eos mali mœstificent. Hoc eodem locu-
Galat. 4. tionis genere vsus est idem Apostolus, vbi ait. Nunc autem cognoscentes Deum, imo cogniti ab eo] Nec enim, ait idem Augustinus, tunc eos cognouerat Deus, præcognitos videlicet ante mundi constitutionem: sed quia tunc ipsi eum illius munere, non suo merito, vel facultate cognouerant, maluit tropice loqui, vt tunc ab illo cognitos diceret, cum eis cognoscendum se præstitit. Rectissime igitur à Moyse dictum fuit, Requieuit Dominus eo die, quo Dominus ipse se ipsum nobis ad requiescendum exhibuit, seq; solum animæ rationalis esse requiem ostendit. Atque vt multo amplius suam erga nos volũtatem declararet, diem illum in quo in seipso requiem nobis præbuit, & benedixit, & sanctificauit, id est, à cæteris separauit, sibique totum accepit, etiam peculiari cultu venerandum præcepit, tanquam si eo die aliquid sibi emolumenti accresceret, cum tamen in solum hominem inde commodum redundaret. Ex ijs nobis elicere licet quid significare voluerit dilectus Euangelista, cum eam horam, in qua Christus Dominus pro nobis in cruce pendens mori dignatus est, horam eius nuncupauit, inquiens, sciens, quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem. Hunc autem loquendi modum ab ipso Domino ipse Euangelista accepit, qui sæpe sæpius cum de morte sua loqueretur, eo vsus est. In nuptijs Cana Galilææ matri respondit: Nondum venit hora mea.] quod de hac hora esse intelligendum Pater Augustinus do-
Math. 28. cet. Alibi etiam dixit, *Tempus meum nondum aduenit.* Quando etiam misit duos ex discipulis vt præpararent ad manducandum hoc pascha, præcepit vt Domino domus dicerent: *Tempus meum prope est.*

hæc hora tua, quodnam tempus tam tuum, vt cum cuncta tempora tua sint (Tuus quippe est dies, & Psal.
tua est nox, æstatem & ver tu plasmasti ea) hoc tibi præcipuo quodam iure vendices, & peculiare dicas, si præsertim ea, quæ illa hora, illoque tempore, & fecisti & passus es, in nostram præcipue vtilitatem redundarunt? Tanta, charissimi, fuit circa nos saluatoris nostri dilectio, vt sicut in mundi atque hominis creatione tunc se requiescere dixit, cum se ipsum nobis ad quiescendum præbuit, diemque illum sibi vt proprium assumpsit atque à cæteris segregauit: ita in eiusdem hominis reparatione diem illum vltimum, quem ad tot opprobria, iniurias, tormenta, ac denique crudelissimam mortem sustinendam elegerat, horam suam, tempus suum, ac ad Patrem transitum appellauit, quia eo tempore & hora se ipsum suaque omnia miro modo nobis tradere decreuerat. Adeo namque nos dilexit, tantoque amoris impetu erga homines ferebatur, vt tempus illud, ab vltima scilicet huius diei cæna vsque ad sequentem diem, in quo in cruce spiritum emisit, & horam suam, vt præcipue desideratam, & transitum suum ad Patrem Euangelista dicere non vereatur, inquiens, *Hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem.*

Erat simul in vno Christo Domino diuini Verbi persona, per quam Filius Dei ab æterno est: erat anima rationalis in instanti incarnationis creata: erat etiam corpus humanum mortale, & pasibile, à Virgine Matre spiritus sancti opera acceptum, ab eaque genitum atque educatum. Quis ergo est, qui ad Patrem transit, cuius transitum tanti ipse Christus facit, vt quamuis per tot opprobria, flagella, spinas, clauos, crucem, immensosque dolores sibi transeundem erat, tamen non vereatur Dilectus discipulus, & Euangelista horam eius appellare. Si diuinam Verbi ac filij Dei personam consideremus, illa ad Patrem non transit, quia nuquam inde discesit,

ſed ſemper cum Patre ab æterno fuit, & eſt, cum vnum ſint in ſubſtantia, vt ipſe Chriſtus dixit: *Ego & Pater vnum ſumus*, & iterum, *Pater in me manens, ipſe facit opera.* Si de anima ſit ſermo, illa etiam iam cum Patre erat, quia ab ipſo incarnationis momento ſimul atque creata & vnita fuit diuino Verbo, beatitudinem, quæ in diuinæ eſſentiæ viſione conſiſtit, eſt conſecuta, atq; æternæ gloriæ poſſeſſionem accepit. Vnde ſacra Theologia docet, Chriſtum Dominum in hac vita ſimul fuiſſe, & viatorem, & comprehenſorem. Viator erat, quia ex nimio amore, vt pro nobis pati poſſet, corpus paſſibile, ac mortale aſſumpſit, atque mortalem vitam duxit. Comprehenſor autem erat ex eo, quia anima iam Deum ipſum trinum atque vnum clare intuebatur. iamque in gaudium Domini intrauerat. Corpus demum licet per mortem crucis ſuam glorificationem atque immortalitatem promeruerit & adeptum ſit, non tamen de illo præcipue dicitur quod ex hoc mundo ad Patrem tranſiret. Quis ergo tranſitus iſte eſt, in quo cum tanta, ac tam acerba pertulerit, tanti tamen fecit, vt horam eius nominet Euangeliſta? Ex ſupra poſitis reſponſum patet: cum enim in hac mortis hora, & in hoc tempore paſsionis eiſdemmet paſsionibus, ac acerbiſsima morte nobis tranſitum ad Patrem præparaſſet, & per ſanctorum ſacramentorum inſtitutionem, ſalutis viam muniuiſſet, cæliqueportam aperuiſſet, per eam ardentiſsimam, qua nos dilexit noſq; ſibi vniuit, charitatem ea omnia, quę in noſtrum commodum ceſſerunt, tamquam propria duxit, & ita pro hac noſtra ſalute laborauit, ac ſi ipſe ipſius ſalutis indiguiſſet, & ſibi æternam gloriam promeruiſſet. vnde & tranſire ſe dicit, cum nobis tranſitum ad Patrem præparauit. Prophetam Habacuc audiamus de hac hora & tempore in ſpiritu loquentem: cui cum Dominus oſtendiſſet hanc mundi redemptionem, per eius Vnigenitum noſtra carne indutum perficiendam, illum nimis afflictum de tanti boni dilatione
Habac. 2. conſolatur Dominus, inquiens: *Si moram fecerit,*
expecta

expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit.] At ille hac promissione maiori desiderio accensus cum per eundem prophetiæ spiritum populi Iudaici malitiam, cæcitatem, ac in ipsummet redemptorem ardens odium cerneret, timens ne forte tot ac tanta peccata se huic redemptioni opponerent, eundem Dei filium, mundique Redemptorem promissum deuotissima ac prophetica oratione deprecatur, cuius titulus est Pro ignorantijs, quia videlicet eundem Dominum in cruce deprecantem præuidit pro ipsius populi ignorantia, cum dixit: *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* quam orationem sic inchoauit, *Domine audiui auditionem tuam, & timui: consideraui opera tua, & expaui,* quasi diceret, reuelationem ad me factam interioribus animæ auribus audiui, quanta, Domine, pro hominum salute esses operatus: quæ admiranda amoris tui opera considerans, magno timore ac pauore sum perculsus, cum nimirum simul à longe contemplarer inexcusabilem populi mei Israelitici ingratitudinem, detestandamque malitiam, quæ ex se tuam redemptionem poterat demereri: Quare, Domine *opus tuum, in medio annorum viuifica illud: in medio annorum notum facies, cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Cum verò opus redemptionis humanæ, opus ipsius Domini esse dixit, & quia suum, ideo, vt eum viuificet, tam obnixe deprecatur quid aliud quàm Euangelistæ nostri verba præuidisse videtur, Hora eius vt transeat? Hora scilicet eius erat illa, in qua vt opus suum, hominem perditum mortique damnatum viuificaret, atque ad pristinum statum reduceret, mortem subire non dubitauit, mortemque nostram moriendo destruxit. Hinc Diuus Paulus, *Deus*, inquit, *qui diues est in misericordia propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo,* Hanc igitur conuiuificationem per filium Dei in cruce operandam Propheta tanto ante præuidit, & vt tandem perficeretur, ardenter postulabat. At quonam tempore opus hoc Domini viuificandum

Cap. 3.

Ephes. 2

dum foret, declarauit, inquiens, *In medio annorum notum facies.* Quod quidem duobus modis posse intelligi existimo. Primum vt ex eo diem illum & horam, in qua Christus Dominus pro nobis mortuus est, medium annorum appellet, quia medium quoddam, seu terminus (quod Hispanice dicitur, Raya) fuit præfixus inter tempus illud præteritum atque per sex ante actas mundi ætates (quo tempore mundus sub peccato erat, ideoq; ad laborem pertinet) decursum, & vnde septima gratiæ, & diuinæ pacis ac tranquillitatis ætas incœpit. (Namque iuxta probabiliorem, meo iudicio, ætatum mundi diuisionem, Christus Dominus in sexta mundi ætate & natus est, & vixit, & spiritum in cruce emisit, atque inde septima ætas initium sumpsit) Illæ autem sex mundi ætates (adhuc sub peccato, & labore homine constituto,) illis primis sex diebus creationis aptissime respondent, in quibus Deum operantem, & quodammodo laborantem nobis diuina scriptura ob oculos proponit. Quod si diuina natura labori, seu dolori posset esse obnoxia, ex nulla alia re tantam, quantam ex peccatis hominum defatigationem molestiamque pateretur. De quo ipse Dominus per Isaiam conqueritur

Isa. 43. dicens: *Seruire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* At cum impatibilis sit, omnisq; molestiæ expers, quem in se ipso de peccatis hominum dolorem sentire minime valebat, in sanctorum Prophetarum mẽtes infundebat, qui quidem diuinitus illustrati, diuiniq; honoris zelo inflammati, hominũ flagitia cõtinuis lachrymis deplorabãt, atq; pro eis cruciabantur futuramq; mundi redemptionem precabantur. Cum vero temporis plenitudo à Deo ab æterno præfinita adesset, filius Dei filius hominis fieri dignatus est: & sicut primũ Adam sexto die est à Deo formatus, & in ipso in peccatum lapsus, in quo omnes peccauerunt & in eo moriuntur, sic secundus Adam Christus Dominus in sexta mundi ætate homo inter homines apparuit, in quo omnes reconciliationem accepimus per sanguinem eius, & in eo viuificamur. Qui cum per omnia nobis similis

factus esset, præter peccatum, ab instanti suæ conceptionis quoad vsque in cruce vltimum exhalauit spiritum, pro peccatis nostris doluit, & laborare non destitit; neque à labore cessauit antequam opus redemptionis perficeret. Quod quidem Isaias cecinit dicens, *Pro eo quod laborauit anima eius*, (animam Christi Domini laborasse dicit, quia ipsa vehementius cruciabatur, miserrimum hominis ad sui imaginem procreati statum deplorans) *videbit & saturabitur.* Quænam autem hæc saturatio fuerit, statim declarat subiungens, *In scientia sua iustificabit ipse seruus meus multos, & iniquitates eorum portabit.* ô admirabilis illius animæ Seruatoris nostri saturatio! quæ quidem insatiabilem famem designat, qua ipse Dominus animarum nostrarum salutem esuriebat, quamque vt expleret, vtque multos iustificaret, omnium peccata in Cruce pertulit, & pro eis ad mortem vsque crudelissime fuit cruciatus. Quamobrem eo die, & hora, in qua hæc pertulit, cum pro peccatis nostris plenissime satisfecerit, vitæque æternæ viam aperuerit, medium annorum seu terminum inter naturalem & scriptam leges, ac nouam gratiæ cõstituit: & inde nouus ille orbis incœpit, quem per eundem Isaiam se creaturum promiserat. Quod de lege gratiæ esse intelligendum est multorum sententia, cui Diuus Paulus adstipulatur cum dixit *si qua ergo in Christo noua creatura, vetera trãsierunt: ecce facta sunt omnia noua.* Cum igitur vetera in Christi morte transierint, & noua inde incœperint, merito Propheta Habacuc Medium annorum, horam illam, ac tempus nuncupauit, non per æqualitatem annorum, sed ob magnã inter vtranq; tempus differentiam. Si illum loquendi modum, quo nobis septimi diei perfectiones explicãtur, attente consideremus, inueniemus sane illum peculiare sibi tempus vendicare: cum enim cæteris sex diebus Deum veluti laborãtem & in opera creationis incumbentem nobis Moyses repræsentet, in hoc cum requieuisse, opusque suum quod fecerat, compleuisse dicit: quia nimirum ea omnia opera licet bona, & bona valde in se essent, nõ tamẽ rationalẽ illã creatu-

Isa. 53.

Isai. 65.

2. Cor. 5.

ram, quam vltimo loco fecerat (hominem scilicet, quem per excellentiam quandam opus suum iudicat) poterant satiare, quietamque reddere, cum eius vltima, & perfecta quies sit ipsemet Deus, in quo solo anima humana perfecte vt in suo vltimo fine conquiescit. Vnde hic septimus dies peculiare tempus constituit, neque vespere & mane limitatur, vt cæteri: quia cum anima ad hanc vltimam quietem peruenerit, sine fine æternaliter quiescet. Ad hunc igitur modum totum illud tempus in sex mundi ætatibus consumptum, quando peccatum regnabat, & mors dominium suum exercebat, nullique mortalium ad vitam immortalem patebat introitus, ad veterem mundum, orbisque antiquos annos pertinet. At ab hoc passionis tempore, vltimaque Christi Domini hora, in qua ille in cruce quieuit, ianuam cæli aperuit, transitum ad æternum regnum etiam Latroni patefecit, atque Ecclesiam suam tot gratiæ donis, diuinisque sacramentis locupletauit, nouus incipit orbis, nouum tempus, noui salutis anni inchoantur: estque illa hora, medium annorum, quem ad viuificandum opus suum Propheta videre desiderabat, cum dixit, *Domine opus tuum, in medio annorum viuifica illud.* Quod si perfectiones rerum in sex illis creationis diebus productarum, consideremus, illas omnes perfectiori quodammodo in hac Christi hora, & vltimo vitæ die existere reperiemus. Si primo creationis die de tenebris dixit Deus lucem splendescere, quæ mundum illuminaret: hoc etiam die postquam tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, inde cœpit noua fidei lux exoriri, quæ per vniuersum orbem radios suos emittere vsque modo non cessat. Si secundo die firmamentum, id est, cælestes orbes fabricatus est: in cruce Ecclesiæ sanctæ fundamenta iecit adeo firma & solida, vt aduersum eam portæ inferi non valeant præualere. Si tertio die diuisis superioribus & inferioribus aquis terram discooperiens, ex ea arbores herbasque fructiferas prodire iussit: in cruce pendens cum lachrymis, &

clamo-

clamore valido ad Deum preces fundens, oculos ad amarissimas matris suæ lachrymas conuertens, inter vtrasque lachrymas terram illam sanctam nobis discooperiens dixit, Mulier ecce filius tuus: deinde Discipulo: Ecce Mater tua: quia scilicet, quoniam eadem sanctissima mater illum ipsum Christum filium suum summo & amore, & dolore Deo patri in cruce pendentem offerebat, vt hominibus redemptionis gratiam impetraret, ideo eam & omnium simul filiorum Dei matrem, peccatorumque mediatricem declarauit: quo eius patrocinio adiuta virtutũ opera in Ecclesia pullulent, fructusque salutares producantur. Si die quarto cælos ipsos stellis ac luminaribus exornauit; ex cruce etiam in cælum splendidiora alia astra emisit; cum iustificatorum animas in Paradisum introduxit, sicut Latroni dixit: Hodie mecum eris in paradiso. Si quinto die ex illis repressis, & congregatis aquis viuentia tam volatilia quã aquatilia produxit; ex repressis aqua & sanguine, atq; in pectore mortui corporis adhuc in cruce pendentis conclusis, indeq; continuo atq; latus fuit lancea apertum exeũtibus, nouam regenerationem per aquã & per cætera sacramenta emanare fecit, quo regenerationis lauacro viuificantur animæ, vt viuentes in Cælum possint aliquando euolare. Si tandem sexto die animantia procreauit, & vltimo hominem ad sui imaginem ac similitudinem efformauit: hoc die & hac hora omnia ea quæ ad reparandum ipsum hominem, ad sui imaginem peccatis deformatam, in melius reformandam erant necessaria, abundantissime peregit. In cuius rei euidentissimum signum voluit in præsepio recens natus in medio duorum animalium collocari, & in cruce inter duos latrones crucifigi, ex ijsq; eum qui totum se illi cõmisit, cœlesti regno donare, vt intelligeretur, quando in mundum venit, se homines in bruta animalia conuersos inuenire: at quando ex mundo discessit, & pro ipsis hominibus moriebatur, ex brutis & iumentis insipientibus simillimis in iustos ac cœlestes spiritus esse com-

commutatos. Inde igitur noua hæc ætas, nouus orbis, noui & anni initium sumpserunt, vt merito Hæc hora medium annorum à Propheta dicatur.

In alio item sensu potuit à Propheta hæc hora mortis nostri Seruatoris Christi Iesu, quæ simul & redemptionis nostræ hora fuit, medium annorum nuncupari, quasi fuerit medium annorum vitæ ipsius, non quidem eorum annorum, quos vixit, sed eorum quibus omnis hominum vita solet comprehendi. Mortuus namque est Christus Dominus in cruce eo die, quo ab incarnatione trigesimum quartum annum complebat, & à natiuitate trigesimum tertium & tres menses, & cum iuxta Dauidem dies Anno-
Psal. 89. rum nostrorum sint, vt plurimum, septuaginta anni, plus minus; ita constat quod eo die mortis dimidiam consuetæ ætatis partem compleuerat. Vbi primum considerandum venit, quod tam ardenti desiderio hanc horam Dominus concupierit, quia redemptionis humanæ Hora erat à Deo Patre constituta, vt cum in ipso ætatis flore vitam suam dimidiauerit, mortique crudelissimæ se traderet, illam mortis horam suam propriam & peculiarem duceret. Hunc mirabilem charitatis affectum declarant illa ipsius Domini verba, quibus Apostolos suos exemplo suo ad hominum salutem pro viribus procurandam excitare conatur, post alia inquiens,
Luc. 12. *Ignem veni mittere in terram & quid volo nisi vt ac-*
Euthy. *cendatur*? Quæ vltima verba Euthymius Græcus sic explicat, Et quid volo si iam est accensus: quasi dicat, Diuinum amoris ignem in terrena hominum corda veni mittere, frigidas humanas voluntates meis & vitæ exemplis & doctrinæ documentis ardentissima diuinæ charitatis flamma veni accendere: iam materiam ignibus aptam præparaui, iam faces adhibui, iam meæ charitatis flamma toto orbe micat: Quid igitur volo quid diutius immoror? quid me ipsum contineo, & non ipsis ignibus habenas laxo, vt inter eos moriendo meæ charitati satisfaciam? Quæ vero sequuntur verba amplius idipsum mani-

manifeſtant. *Baptiſmo,ait,habeo baptizari, quomodo coarctor vſque dum perficiatur*! Quid ais,Domine Ieſu? Illam immenſam dolorum vim corpus tuum vndique cruciantem, & veluti ignem vitam ipſam conſumentem, flagella mille vulnera infligentia, ſpinas ſacrum caput ex omne parte pungentes, clauos manus pedeſque transfigentes, fellem & acetum vſque ad interiora nimio cruciatu pertingentia, hæc inquam ſicut delitioſiſſimum baptiſma ita deſideras, vt quia nondum ad illud perueneras, te nimis coarctari, palam profitearis? ô amoris vis incredibilis! ô flagrantiſſima charitatis flamma in Chriſti Domini pectore accenſa! quæ ita illud in noſtræ redemptionis deſiderium inflammabat, vt magis mortem quam vitam cuperet, pluſque de mortis dilatione quam de vitæ in dimidio annorum amiſsione doleret.

Deinde illud etiam ſe offert cogitandum, quod in ea computatione ac numero annorum ab illo amore, quo nos Chriſtus Dominus dilexit confecta, non ſolum adnumerantur anni illi, quos in hac vita peregit totoſque nobis eſt impertitus, ſed illi etiam, quos in æternum victurus eſt; quia quamuis ea hora illoque annorum medio vitam mortalem amiſerit, viuit tamen nunc vitam immortalem, quam etiam nobis viuit, noſque diligit eodem charitatis affectu, quo hic viuens dilexit. Quod nobis ſatis ſuperque ſequentia Euangeliſtæ verba declarant.

Cum dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. In finem dilexit, iuxta Chryſoſtomum, idem eſt atque ſemper dilexit: quaſi dicat Euangeliſta, eundemmet amorem, qui ab inſtanti incarnationis Chriſti Domini cor poſſederat, cuius flamma ſalutis noſtræ viam percurrens ardentiſſime flagrabat, non tantum ad mortem vſque perueniſſe, sed in æternum perdurare. Quare illud, in finem, non exitum ſeu terminum Chryſ.

amoris

amoris, ſed æternitatem deſignat: quod nos Luſitani dicimus, *En fin dos fins*, quando infinitam durationem volumus declarare. At exiſtimo ſanctum Euangeliſtam hoc loco non loqui de illa diuina dilectione, qua nos Chriſtus Dominus ab æterno in ſe ipſo dilexit, quæ quidem increata eſt; & infinita, ſed de illa charitate creata; quam ſpiritus ſanctus in eius animam infudit in inſtanti incarnationis. Cum enim in eodem inſtanti perfectus homo extiterit, illico ſicut intellectus ille Chriſti Domini omni ſcientia, ac ſapientia fuit repletus, ita etiam voluntas omnibus virtutibus fuit exornata, inter quas cum primum & præcipuum locum charitas obtineat, hæc etiam præcipue totum ſibi illius hominis Chriſti Ieſu cor quamprimum vendicauit, ita ſcilicet vt in eodemmet momento, quo viuere cœpit, cœperit & homines intimo charitatis affectu diligere. Simul igitur ab eo diuino ac humano corde vita, & amor procedere cœperunt. Per vitam ac vitales ſpiritus corpus viuificabatur, at per amorem ad omnia ſalutis humanæ opera exercenda deducebatur. Ab eo primo inſtanti ſimul, & inſeparabiliter duo hi comites, Vita ſcilicet, & amor, curſum æqualem peregerunt, vt ait Euangeliſta. *Cum dilexiſſet ſuos qui erant in mundo.* Amore namque in eo primo vitæ humanæ inſtanti ſeipſum obtulit ad omnia pro ſalute hominum ſuſtinenda. Amore per nouem menſes Virginis vterum, in quo fuit incluſus, non exhorruit. Amore in præſepio, vilique ſtabulo naſci, & collocari voluit. Amore octauo die circumciſus ſanguinis primitias fudit. Amore exilium & fugam Ægypti pati voluit. Amore in ſummo ſilentio, paupertate, & obedientia, in domo materna occultatus per triginta annos vitam duxit. Amore ad baptiſmum Ioannis in Iordanem venit. Amore in deſertum, vt tentaretur ac ieiunaret ductus eſt. Amore regnum Dei per triennium in Iudęa, & Galilæa prædicauit, Apoſtolos & diſcipulos ſocios adhibuit, mirabilia operatus eſt, ciuitates & caſtella circuiuit, defatigatus eſt, eſurijt,

vt peccatores quæreret, animaſque hominum ſaluas faceret. Amore in cænaculo vltimam cœnam præparari iuſſit, Amore inter cænandum à cæna exurgens, depoſuit veſtimenta ſua, linteo ſe præcinxit, aquam miſit in peluim; Apoſtolorum puluerulentos pedes, & inter eos Traditoris ſanguinolentos & lachrymis & aqua lauit, deinde linteo, quo erat præcinctus, abſterſit. Amore ſeipſum in eademmet cæna manducandum exhibuit, cum diuinæ Euchariſtiæ ſacramentum inſtituit. Amore ſeipſum comprehendendum inimicis obtulit. Amore denique ſe in mortem tradidit, totumque ſanguinem in pretium redemptionis noſtræ effudit. Amore igitur tota eius vita vſque ad vltimum halitum fuit aſſociata. At defatigata eſt vita, defecit in doloribus, morti ſe dedit in prædam, illudque cor dereliquit in Cruce: amor vero vt velocior, vlterius progreſſus eſt, in finem dilexit, fortior ipſa morte extitit, & illud emortuum cor quodammodo viuificauit, ita quidem vt cum iam humanam vitam non viueret, amoris vitam viuere videretur, atque à nimio calore charitatis viuificari. Cuius euidentiſſimum ſignum fuit ſanguis ille, & aqua, ex eius pectore profluentia. Ioan.
Vnus militum, ait Euangeliſta, *lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit ſanguis, & aqua.* Vidiſtis aliquando ægrotum ſanguinis abundantia, ac efferueſcentia laborantem, huius ſtatim atque vena fuerit percuſſa, ſanguis magno impetu erumpit, longe lateque diffunditur, ab intrinſeco calore permotus. Vnde igitur illius ſanguinis & aquæ impetus, vt ſtatim atque latus fuit apertum, continuo è pectore exierint? Iam corpus erat exangue, iam membra tot vulneribus aperta, friguerant vndique, omnis deniq; naturalis calor abſceſſerat. At ardentiſſima illa charitas, qua Chriſti Domini cor in vita flagrauerat, & qua in finem nos dilexerat, adeo illud cor in hac hora accenderat, vt cum totum corpus frigore eſſet conſtrictum, vehementi tamen illo amoris calore ſanguis & aqua in pectore efferbuerint, & ob id tanto impetu inde emanarint.

Ne-

Neque obiter prætereundum est miraculum illud, quod nobis voluit ipse Deus, vt lateret, aquam scilicet in eius pectore fuisse eo tempore inclusam: quod naturaliter fieri haudquaquam erat possibile. Fuit quidem prodigium illud magnorum mysteriorum symbolum, quibus modo prætermissis, dicam quid sentiam de hoc mirabili signo, ad nostri instituti rationem confirmandam. Oportet autem vt vobis in memoriam veniat illud, quod secundo creationis die circa aquarum diuisionem diximus, cum de ijs aquis, quæ super cælos sunt, esset dubitatio, certioremque Diui Ambrosij sententiam secuti, veras illas esse aquas, & eiusdem cum inferioribus qualitatis asserimus, frigidas nimirum, & humidas. Cuius quidem præcipuam causam quamuis Dominus voluerit nobis esse occultam, volunt tamen nonnulli ideo ita à Deo fuisse ordinatum (qui omnia suauiter disponit) vt illis aquis frigidis & humidis vehemens ille solis, atque stellarum calor comprimeretur, ne tanto impetu in hæc inferiora ferrentur, eaque nimio ardore consumerent. Quicquid vero de hoc sit, ego inde infero, quam ob causam voluerit Dominus Deus, vt in pectore Christi Iesu filij eius, eo tempore aqua consisteret, illud firmamentum cordis eius vndique circundans? Namque cum sol ille iustitiæ in passione sua tam ardenti amoris igne circa genus humanum flagraret, vt illius ardoris vim cor illud humanum absque aliquo adminiculo sustinere diutius minime valeret, diuina prouidentia effectum est, vt aqua illa cordi præberet auxilium, illud sua frigiditate & humiditate refrigerans, & humectans, ne ante horam illam præfinitam vitalis humor omnino consumeretur, spiritumque vltimum exhalaret. Et quid mirum si hoc mihi persuadeam de hac Domini Iesu dilectione ardentissima, qua suos, qui erant in mundo, In finem dilexit, cum de quadam sanctissima Virgine perlegerim, tanto amoris diuini igne cor eius fuisse quodam die accen-

sum

sum post sacræ Eucharistiæ sumptionem, vt ante ipsum Diuinum sacramentum orans, ibidem ab nimio cordis calore absumpta, animam efflauerit?

In finem dilexit eos. Est item efficacissima alia ratio, qua satis probare possumus Christi Domini erga nos dilectionem mortem ipsam superasse, & finem non habuisse, quæ quidem ex hoc mirabili Eucharistiæ Sacramento in hac vltima cæna ab eo instituto desumitur. In eo enim quodammodo magis nobis hic charitatis tum vehemens ardor, tum æterna duratio commendatur, quam ex eo quod pro nobis & homo fieri voluit, & in cruce vitam finire. Excedere autem videtur opus incarnationis, quia cum homo factus est, per illam vnionem diuinæ personæ filij Dei ad nostram humanam naturam, extitit in mundo homo ille Christus Iesus, vt peculiare quoddam humanæ naturæ indiuiduum, & homo quidam singularis: quia diuinum Verbum humanitatem quandam singularem, & indiuidualem sibi vniuit, & ita vnus tantum Homo fuit. At cum se hominibus in hoc mirabili Sacramento manducandum exhibuit, si eius voluntatem consideres, vult omnes homines quodammodo esse, quia omnes secum vult vnum esse, per intimæ charitatis vnionem. Vnde Paulus ait: *Vnus panis & vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane, & de vno calice participamus.* Propterea quippe sicut etiam ante nos intellexerunt homines Dei (ait Diuus Augustinus) Dominus noster Iesus Christus corpus, & sanguinem suum in eis rebus commendauit, quæ ad vnum aliquid rediguntur: ex multis namque granis vnus panis efficitur, & ex multis racemis vinum confluit.] Ipsum Dominum hunc mirabilem vnionis effectum mediante sacra communione explicantem audiamus, *Qui manducat*, inquit, *meam carnẽ, & bibit meum sanguinẽ in me manet, & ego in eo.* Cum igitur omnes ad huiusmodi manducationẽ non

1. Cor.
Augu
Ioan.
Ioan.

G 2 solum


ſolum exhortetur, ſed & præcepto teneri illis apertiſſimis verbis declarat: *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis.* Nonne ardentiſſimam charitatem illam ſatis ſuperque declarauit, qua omnes homines ſibi vnire, ſecumque vnum quodammodo hominem efficere deſiderat?

Deinde dicere non dubito, quod in huius diuini ſacramenti inſtitutione aliquid ſupra mortem addidit, in quo & ipſam mortem aliqua ex parte ſuperaſſe videtur. Si enim in cruce ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, & vna oblatione omnia conſummauit, maioremque illam charitatem oſtendit cum pro nobis animam ſuam poſuit: in hoc mirabili ſacramento illam mortem ſuam æternam reddere voluit, quotidieque quodammodo pro noſtra ſalute mori. In diuina namque acceptatione quoties ſacroſanctum miſſæ ſacrificium celebratur, toties illud idem ſacrificium pro nobis in cruce oblatum Deo ipſi offertur. Mortem namque Domini, vt ait Paulus, annunciamus donec veniat. Velatur quidem ſacris ſpeciebus panis & vini illa cruenta crucis oblatio, & ideo incruenta à ſanctis patribus nuncupatur, at diuinis oculis, quibus omnia ſemper ſunt præſentia, perinde offertur, atque in cruce pependit. Vnde cum in illam ardentiſsimam Domini Ieſu charitatem, qua pro nobis animam ſuam poſuit, oculos conijcio, mihi certiſsime perſuadeo quod in vnoquoque Miſſæ ſacrificio peculiari gaudio afficitur ipſe Dominus, ex eo præcipue, quod ibi eo modo Deo Patri offertur, quo in cruce pependit, eiuſque oculis illamet hora, quam tantopere expetiuit, vt ſuam diceret, ad viuum repræſentatur. Hinc videre licet aptiſsimam eſſe conſiderationem illam, ad quam Diuus Chryſoſtomus omnes Euchariſtiæ percipientes exhortatur, cum ait, vt perinde vnuſquiſque accedat, atque ſi ad latus illud Chriſti in cruce pendentis apertum os apponeret, exiſtimetque ſe ardentiſsimum illum ſanguinem charitatis igne flagrantem deguſtare, viuamque aquam ex eodemmet vitæ fonte profluentem bibere.

Chryſoſt.

Cum

Cum igitur, Charissimi, ante hoc diuinum sacramentum vnusquisque nostrum steterit, atque per Sacerdotum manus eleuatum viderit, veniat in mentem Christus ipse in Cruce eleuatus, in eaque pro nobis omnibus oblatus, indeque erectis mentis oculis ad Deum Patrem ipsius Domini nostri Iesu Christi, Patremq; misericordiarum, cuius oculis semper oblatio illa est præsens, eum ita humiliter alloquatur: En tibi Pater omnipotens, ego miser homuncio offerre non dubito Vnigenitum filium tuum, pro me in altari crucis, tibi vt fieret obediens, oblatum: hic omnia eius vulnera adsunt, hic eius sanguis, dolores omnes, acerbaque tormenta, omnes itidem vitæ suæ labores, quibus sine intermissione meam salutem quæsiuit, vt me in æternam requiem deduceret, tibi exhibentur. Respice Domine ad hanc filij tui dilectam horam, in qua pro tuo honore meaque salute vitam obtulit: propter hanc sanctissimam horam eius, mihi misero peccatori salutis horam concede, immundam hanc animam sacro illo fonte ab eius pectore profluente purifica, & per hanc cæli ianuam me ad illam requiem, quam in te mihi præparasti, transire iube, vbi tecum & in te in æternum quiescam, Amen.



SERMONES DE FI-lio Prodigo.

IN QVINQVE DOMINICIS *Quadragesimæ Vesperi.*

SERMO PRIMVS IN PRIMA DOMINICA.

Homo quidam habuit duos filios, & dixit Adolescentior ex illis Patri: Pater da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit. Luc. 15.

QVis sit huius Parabolæ finis & scopus ex eodem D. Luc. in huius capitis initio colligere licet: ait namque quod cum essent appropinquantes Christo Domino publicani & peccatores, vt audirent illum, Pharisæi & scribæ murmurabant dicentes. *Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis.* Quorum iniquam murmurationem vt Dominus refelleret, tres successiue parabolas proposuit: atque in prima magnum Pastoris erga perditam ouem amorem expressit, qui eam errantem per desertum & requisiuit, & in humeros impositam ad cæteras reduxit gaudens, & amicos ac vicinos ad secum congaudendum inuitans. Secundam addidit de drachma perdita, quam mulier diligentissime conquisitam vt reperit, summo gaudio amicos ad sibi congratulandum excitauit; & inde eam intulit conclusionem, quod ita maius gaudium est in cœlis pro vno peccatore pœnitentiam agente quam de multis iustis, qui pœnitentia non indigent. Deinde hanc subintulit de duobus filijs Prodigo & frugi, quorum ille, qui prodigus dicitur, cum esset adolescentior, debitam sibi ex paterna hæreditate portionem intempestiue à Patre petijt, qua accepta, peregre profectus in regionem lon-

longinquam omnia dissipauit viuendo luxuriose. Ad summam autem miseriam redactus, tunc in se reuersus, ad patrem ire decreuit, à quo benignissime acceptus, non solum errati veniam ei dedit, sed & ingenti gaudio eius reditum celebrauit: de quo filius senior & frugi conquestus est. Hæc vero tertia parabola plurimum ad nostram eruditionem conducit: cum enim in duabus illis primis commendetur ardens illud diuinæ charitatis desiderium, quo Dominus peccatores quæsiuit, quantumq; laborauerit, vt perditas animas ad salutis viam reduceret: ne quis existimet hanc diuinam voluntatē continuamque curam sibi sufficere ad salutem consequendam absq; libero propriæ voluntatis assensu, & inde inerti otio se tradens in peccatis iaceat, hanc tertiam addidit parabolam, ex quâ intelligere licet, quod quamuis prima & præcipua nostræ conuersionis causa sit diuina illa motio, qua peccatoris animus excitatur ad resipiscendum, & deinde media omnia ad veniam impetrandam necessaria ex Deo sint, Qui dat velle & perficere pro bona voluntate.] tamen requiritur vt peccator ipse libere consentiat, & exurgere velit, atque illis medijs vtatur quibus peccata vitantur, & odio habentur. A Domino tum præueniente tum etiam subsequenti gratia adiuuamur & fouemur: at nostrum est cooperari, & libere diuinæ gratiæ obsequi. Vnde est illud Pauli, *Hortamur vos ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* 2. Cor. 6.

Cum igitur, fratres Charissimi, in hoc sacro Quadragesimæ tempore tot nobis salutis vias, tot media atq; remedia in S. Ecclesia offerantur, quibus ad verā peccatorū pœnitentiā peragendā excitamur, nostrūq; munus, qui verbū Dei prędicamus, illud idē requirat, hanc ego Parabolā vobis exponēdā delegi, vt ex eius declaratione tum miserabilē animæ peccatis infectæ statū, tum etiā resurgendi modū, & diuinæ ac paternę beneuolentiæ recuperandæ viam intelligamus. Eam ergo per hos quinque primos Dominicos dies quibus diuina fauente gratia vesperi iuxta nostram

consuetudinem hic sum concionaturus, diuidenda in duxi hoc modo. Hac prima Dominica de causis perditionis illius filij perditi erit agendum, in quibus & nostras agnoscamus. In secunda ea mala exponemus, in quæ libens incidit. In tertia illa se offerunt tractanda, quæ prodigum ad resipiscendum induxerunt, & quod opere perfecit vt ad patrem perueniret. In quarta paterna illa benignitas summaque liberalitas commendabitur, quando perditum filium recepit. In quinta denique seniorem filium murmurantem, Patremque respondentem audiemus.

Homo quidam habuit duos filios. Hominem hunc duorum filiorum Patrem, siue Patrem ipsum æternum, siue Christum Dominum intelligas, nullum sequetur absurdum: opus namque iustificationis ipsius Dei proprium est, & cum sit opus ad extra, ad totam pertinet Beatissimam Trinitatem, quæ vnus Deus est: per appropriationem autem Patri misericordia tribuitur tamquam ipsius diuinæ misericordiæ primo fonti; quare & à Paulo, Misericordiarum Pater appellatur: Filio vero redemptio & satisfactio, ex eo quia homo factus, & pro nobis in cruce sanguinem fundens, lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, per quem redemptionem accepimus: Spiritui sancto Sanctificatio, ex eo, quia per illum gratia, & charitas, per quam sanctificamur, in corda nostra infunduntur. Per hos duos filios licet multis ex sanctis Patribus visum fuerit duos illos populos Iudaicum & Gentilitium intelligi, & istis populis parabolam coaptent, tamen si ad præcipuam Christi Domini intentionem attendamus, duo hominum genera designari reperiemus, Iustorum scilicet vnum (siue vere & proprie iuste sint, siue ex eo dicantur iusti, quia se iustos esse arbitrantur) Peccatorum aliud, qui in peccatis iacent, & salutis suæ sunt immemores. Namque, vt Hieronymus ait, publicani illi & peccatores qui à Domino recipiebantur, Iudæi erant & non Gentiles: at Pharisæi se iustos arbitrabantur ob exteriorem illam sanctimoniam, quam nimium affectabant:

Hieron.

ctabant: Dominus autem, vt diximus, hanc attulit parabolam, vt eorum murmurationem redargueret. Vtrique igitur filij dicuntur, quia eundem innet Deum colebant, eandemque legem profitebantur, & vtrique per circuncisionem primam gratiam fuerant consecuti: quod nunc quidem per baptismum abundantius Christiano populo conceditur: vnde & post baptismi lauacrum, ac spiritualem regenerationem omnes in hac vita fideles Ecclesiæ filij dicuntur, siue iusti sint siue peccatores.

Et dixit adolescentior ex illis Patri. Hinc primam perditionis causam colligere licet: ea vero est ignorantia, quæ in ætate Adolescentiæ significatur: in ea namque ætate cum desit experientia & primi deprauatæ naturæ motus excitentur, considerationi non datur locus, & vt plurimum, ignorantiâ intellectus occupatur. Hinc ait Ambrosius: Adolescentia sola inualida viribus, infirma consilijs, vitio calens, fastidiosa monitoribus, illecebrosa delitijs.] Quare Dauid senex dominum deprecabatur, inquiens: *Delicta iuuentutis meæ & ignorantias meas ne memineris.* Hæc autem ignorantia adolescentiæ minime vitio caret, neque peccata excusat, quia iam in ea ætate rationis vsus roboratur, & ex se habet vnde malum cognoscere, & vitare valeat, diuina præsertim gratia opitulante. Ex quo infertur, hanc esse primam perditionis humanæ radicem, quia nimirum cum ratione simus præditi, & deinde fidei lumine imbuti, diuinæ legis præceptis instructi, quæ omnia sufficienter ostendunt ea, quæ tum amplectenda tum vitanda à nobis sunt, adolescentes tamen hæc minime considerant, vnde & in quamplurima vitia prolabuntur: quod quidem nihil aliud est quam ignorantia. Hoc enim inter ignorantes, ac sapientes discrimen est, quia sapientes facienda prius considerant, boni vel mali circunstantias expendunt, vt bonum eligant, malum vero deuitent, vnde & abijt in prouerbium: Sapientis non est dicere, non putaram. At ignorantes nihil considerant, & ideo præcipites feruntur, & in malum

Ambros. l. de inter. pell. c. 7.

Psal. 24.

Ecclef. 10. ruunt. *Cor ſapientis*, inquit Sapiens, *in dextera eius, & cor ſtulti in ſiniſtra illius.* Per dexteram ſæpe in ſacris litteris ea intelliguntur, quæ magni ſunt momenti, & fieri oportet: dextera namq; ad operandum eſt apta, ſiniſtra vero res inutiles & infructuoſas ſignificat, cum & ipſa omnia perperam operetur. Sapiens igitur, qui iuxta rectæ rationis regulas omnia gubernare diſponit, in dextera habet cor, quia agenda cõſiderat prius: at ſtultus ſeu ignorans, licet cor habeat, id eſt, ſufficienti rationis lumine ſit prædıtus, non tamen ratione vtitur, ſed ad vana, & inutilia mentem, & conſiderationem conuertit, omiſſis illis quæ magis ſunt neceſſaria. Quot peccata poſſet vnuſquiſq; noſtrum deuitare, ſi quæ ex illis incommoda ſubſequuntur, prius conſideranda duxerit: at aduerſarius noſter diabolus, qui mores, & ſtudia noſtra rimatur, & probe nouit, vt nos pro libitu ad omnia ſibi placita ducat, rationẽ prius obfuſcare, & à recta conſideratione animũ abducere, atq;, vt adoleſcentes, animi leuitatem ſequamur, pro viribus contendit. Nocturni fures cum domum aliquã ingrediuntur furtiue, accenſam lucernã prius extinguũt, deinde ſecurius omnia diripiunt: auriga ebrietate correpto, vel viæ inſcio, & equi, & currus, & qui vehuntur in ruinam ducuntur: nauclerus mente perturbatus nauim non in portũ ſed in ſcopu-
Chryſoſt. los dirigit: ita, ait Chryſoſt. mente exiſtente reproba, omnia facile peſſundantur. Cum D. Paulus diuinam illam miſericordiã, quam in ſe ipſo eſt expertus, vellet extollere, enumerans ea peccata, quæ ſibi fuerunt miſericorditer dimiſſa, ignorantiã ſuper omnia col-
1. Tim. 1. locat, ita inquiens: *Gratias ago ei, qui me confortauit in Chriſto Ieſu Domino noſtro, qui fidelem me exiſtimauit ponens in miniſterio: qui prius fui blaſphemus, & perſecutor, & contumelioſus. Sed miſericordiam conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate.* Non commemorat ignorantiam vt peccatorum grauitatem extenuet, ſed vt magis diuinæ miſericordiæ magnitudinẽ amplificet, quę tunc ei manum porrexit, quando propria malitia obcęcatus, & ignorans lucem ipſam perſeque-

sequebatur, & tenebras diligebat, quod quidem sequentia verba ostendunt, *Superabundauit autem gratia Domini nostri cũ fide, & dilectione.* Hinc intelliges quam artificiose Diabolus Christum Dominũ in deserto tentauerit: vsus namq; fuit paucis verbis, & cõpendiosis, quæ intellectum in varias partes distraherent, rationisq; discursum præpedirent. Quamuis enim primũ scire percuperet, an esset vere filius Dei, ita tamen verba tentationis contexuit, vt si esset purus homo, posset mente perturbari, & absq; præuia consideratione in aliquod vitiũ impelli. Quare in prima tentatione, ait, *Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant.* Eum valde esurientem conspiciens de panibus facit mentionem, vt cibi recordatio (sicut nimiũ esurientibus solet euenire) appetitum magis excitaret, & inde mens perturbaretur: deinde, vt desiderium edendi abstinentiæ prætiũ diminueret, vel saltem miraculum exoptaret, vt fami succurreret: aut demum, vt de Dei bonitate ac prouidentia diffideret, & qui eius adeo obliuisceretur, vt quẽ antea filiũ palam denunciauerat, nunc in tali esset penutia constitutus, vt pro panibus lapides haberet. Hæc & alia plura, hæc pauca Diaboli verba intellectui ex se repræsentabãt, vt iudicium rationis posset anticipare, ac præpedire. In secunda vero tentatione, vt ex pinnaculo templi eum in temerariam ostentationẽ & de seipso iactantiam posset impellere, sacræ scripturę verba de Angelorum custodia retulit, at decurtata, & in deprauatum sensum adducta, quibus si ignoranter crederet, in ruinam vel corporis vel saltem animæ incideret. Tertio demũ illum in excelso monte aggreditur, ostenso eidem vniuerso mundo eiusq; cuncta gloria, at in momento, (vt D. Lucas ait,) vt phantastica illa gloriæ & dominationis specie imprudenter oblectatus, eum ad se adorandum induceret. Certo enim sibi persuaserat Sathan, quod si rationis discursum posset perturbare, & à recto iudicio absque consideratione Christum Dominum abducere, eum statim fore vincendum. At Dominus, & Saluator noster (cuius omnis actio nostra est instructio, ait Diuus Augustinus) vt nos August.

ſuo exemplo admoneret virorum prudentiam ſectari, & adoleſcentiæ ignorantiam deuitare, omnibus illis diaboli tentationibus, non ex animi leuitate, ſed quaſi ex præuia conſideratione reſpondit, ſacræ ſcripturæ doctrinam proferens, in qua vera ſapientia, omniſque prudentia conſiſtit, quam qui ſequitur, ab omni ignorantia facile liberabitur: iuxta illud, *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis.*

Pſal. 118.

Da mihi portionem ſubſtantiæ, quæ me contingit: & diuiſit illis ſubſtantiam. Hoc diuinum patrimonium æqualiter duobus filijs diuiſum, iuxta omnium fere ſententiam, liberum deſignat arbitrium omni rationali creaturæ conceſſum, quo quiſque libere, & ſponte, ſiue bonum, ſiue malum poteſt eligere, ſimulatque ad diſcretionis annos peruenerit. Quod ſapiens Eccleſiaſticus apertiſſimis verbis explicauit, inquiens: *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilij ſui. Adiecit mandata & præcepta ſua: ſi volueris mandata ſeruare, conſeruabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Appoſuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi: quoniam multa ſapientia Dei, & fortis in potentia, videns omnes ſine intermiſſione.* Cum enim omnia ſuauiter diſponat, id eſt, iuxta vniuſcuiuſque naturam, humanam voluntatem in ſua libertate relinquit, vt ad quod voluerit, manum extendat. Libertatem quidem impertitus eſt, vt meritis præmia reſponderent, iuxtaque diuinæ iuſtitiæ regulam coronam redderet: cum radix meriti in libera voluntate magna ex parte fundetur, qua libere vnuſquiſque Dei voluntati ſubijcitur. Et quia humani intellectus atque voluntatis imbecillitatem probe nouerat, præcepta inſtituit, diuinam legem promulgauit, in quibus voluntatem ſuam declarauit, quæ rectæ rationis regula eſt omni errore carens, & inſuper voluntati noſtræ manum porrigit, vireſque ad obediendum præſtat, ſi non obicem poſuerit. At voluntas ipſa adeo

Eccleſ. 15.

adeo libera est, vt sicut neque Deus ipse eam cogere, & inuitam ac nolentem ad bonum vult pertrahere, ita neque dæmon in malum possit impellere. Quod optime adnotauit Ambrosius in illis tribus Christi tentationibus: potuit namque diabolus tentare, oblectamenta offerre, & miro artificio Christum Dominum ad consentiendum inducere. Lapides ostendit, quos in panes cõuerteret: in pinnaculo collocauit & vt deorsum se mitteret, suasit. In monte adduxit, & ab eo vt se adoraret postulauit. Nisi enim adesset liberus volũtatis consensus, nulla ibi poterat esse offensa, neque ipse Satan victoriam reportare. Quamobrem si post ignorantiam, alteram perditionis humanæ causam inquiras, eam esse reperies, cum vnusquisque nostrum propriam sequitur voluntatem (sicut hic ignorans adolescens) suoque se ipsum arbitrio tradit gubernandum. Diuum Ambrosium audiamus propriæ voluntatis mala disertissime explicantem. *Vaga, inquit, incerta, instabilis, imperita, infirma ad efficiendum, facilis ad audendum, in cupiditatibus cæca, in honoribus tumida, curis anxia, suspicionibus inquieta, gloriæ quam virtutis auidior, famæ quã conscientiæ diligentior, & per omnem sui experientiam miserior fruendo ijs quæ concupierit, quam carendo, nihil in suis habet viribus nisi periculi facilitatem Quoniam voluntas mutabilis, quæ [a]b incommutabili voluntate non regitur, tanto ci[t]ius propinquat iniquitati, quanto acrius intendit [ac]tioni.*] Quod huius perditi adolescentis exemplo [D]ominus voluit explicare, qui paternæ obedientiæ [iu]gum excussit, propriamque secutus est volunta[tem]. Si primum Genesis capitulum cum Diuo Au[gus]tino consideremus, in quo summatim de operi[bus] creationis per sex dies continuos agitur, reperie[mus] sane, quod in illis nomini Dei non additur no[men] Dominus, sed vbique dicitur: Dixit Deus, fecit [Deus]. At in secundo capite, in quo iam expressius [de ho]mine agitur, & de modo quo efformatus est, [in qu]o loco collocatus, quæ præcepta eidem data, tunc

Ambros. super Luc.

Ambr. de vocat. gẽt. lib. 1. c. 2.

daret: neq; enim oportebat, ait Bernard. propria iudicare communibus?] Verumenimvero hinc maxime inferre licet summaq; cōsideratione expendere, quod si Christus Dominus vt se verum hominem ostenderet, eam infirmam naturæ humanæ voluntatem declarare voluit, non quidem peccaminosam, nō vitiosam, sed ex debilitate timentem, cui vincendum erat, vt Patris voluntatem adimpleret, quo conflictu positus in agonia sanguinē prolixe sudauit, quid nobis agendū est, in quib⁹ non solū voluntas naturalis est infirma, sed & ad malum prona ab adolescentia nostra? & quod vitium non incurrendum, si propriæ voluntati fuerimus obsequentes. Adolescens igitur filius ignorantia ductus viam perditionis ingrediens paternam hæreditatē è patris manib⁹ eripuit, & seipsum sibi gubernandū tradidit. Notandū obiter cū Petro Chrysol. ꝙ facultates vnitatē, fraternitatē separant, cognitionē spargunt, pacem perdunt & violāt charitatē.] Nonne forē ijs libri sunt pleni quib⁹, tū filij cū parētibus, tū & ipsi inter se ob facultates cōtendūt, & litigāt, intestinisq; odijs in inuicē exardescūt? Quid Esau in fratrē Iacob excitauit, vt eidē necē moliretur, nisi paternæ benedictionis furtiua prǫoccupatio quā ipse in facultatum, rerūq; terrenarū abundāti possessione positam arbitrabatur? Vnde merito à D. Paulo, Cupiditas omniū malorū radix esse dicitur & Auaritia idolorū seruitus nūcupatur, quia qui auaritiæ deseruit, omnis tum humanas tū diuinas leges facile despicit, vt facultates acquirat. Quare non mirū si Satan à Christo Domino (quem iam purū hominem existimabat) vt tentaret, postulauit, cum ei mundi facultates ostendit & promisit, dicens, *Hæc omnia tibi dabo si cadens adoraueris me*: quia experimento didicerat: Quid non mortalia pectora cogit, Auri sacra fames. *Et non post multos dies congregatis omnibus, adolescētior filius peregre perfectus est in regionē lōginquā.* Ecce explicatur, ea quæ præcipua omniū malorum in quę peccādo incidimus: quā quidē Ierem. deplorans ait: *Domine omnes, qui te derelinquūt, confun-*

Chrysol. Serm. 1.

Paul.

Ierem. 17.

dentur, recedentes à te in terra ſcribentur: quoniam dereliquerunt venam aquarum viuentium Dominum. Hoc malum malorum omnium fontem Theologi proprio vocabulo, Auerſionem appellant, in qua propria peccati ratio conſiſtit, quia nimirum omnis qui peccatum committit in primis à Deo parente optimo voluntarie auertitur, eumque à ſe, quoad poteſt, expellit. In regionem autem longinquam proficiſci ideò dicitur peccator, quia licet nihil à Deo longe eſſe poſſit; qui vbique eſt; tamen deformitas peccati adeo ab eo eſt aliena, vt infinite diſtare dicatur. Quæ enim maior poteſt eſſe diſtantia quam ea quæ inter Eſſe & non eſſe reperitur? iam autem peccatum illius eſſe priuationem importat, quod animæ per gratiam confertur, per quod itidem diuinæ naturæ fit conſors, Deumque ſpeciali quodam modo in ſe habet: vnde peccatum ſæpe in ſacris litteris dicitur, nihil, & peccatores, peccando ad nihilum redigi. Ex quo peccati regio longinqua dicitur, quia nihil tam longe abeſt à Deo quam peccatum: ita vt dicere audeam, longius à Deo exiſtere animam, quæ peccato eſt infecta, quam quæ in inferno cruciatur.
Pſal. 138. Deum enim in inferno adeſſe confitetur Dauid cum ait: *Si deſcendero in infernum, ades.* Quia ibi præſentia ſua quicquid habet eſſe, conſeruat: at ab anima peccatrice in quantum peccatrix eſt, omnino abeſt, quia ſummo bono priuatur, & ab eo voluntarie ſe
Orig. in Pſal. 38. hom. 2. auertit. Ad hunc modum expendit Origenes illud Dauidicum, Aduena ego ſum apud te, & peregrinus ſicut omnes patres mei. Remitte mihi vt refrigerer, prius quam abeam, & amplius non ero] quaſi dicat Dauid, quod licet in hac vita per gratiam & charitatem apud Deum ſit conſtitutus, eique inhæreat, attamen adhuc aduena, & peregrinus eſt; ſicut fuerunt omnes antiqui Patres, Abraham, Iſaac, & Iacob: qui iuxta Deum viuentes, ibi tamen peregrini erant, quia locum illum apud Deum non proprijs viribus ſed diuino beneficio incolebant. Tunc, inquit, Abraham eſſe cœpit, quando tu voluiſti, & Iſaac, &
Iacob,

cob, & omnes iusti. Remitte mihi vt refrigeret pri-
quam abeam, & amplius non ero. Quoniam inco-
lum donec apud te sum, & tam diu sum: si autem
e exiero, perdidi etiam hoc ipsum, quod sum, & ero
nquam qui non sum. Quare & de peccatoribus in
ro Sapientię dicitur, *Et erunt tamquam qui nō sint.* Sap. 2.
Diuus Paulus, *Qui vocat ea quæ nō sunt*, peccatores Rom. 4.
telligens. Cum igitur vnusquisque nostrum libere
sponte peccando à Deo recedat, quodammodo in
stra est potestate, inquit Origenes, vt simus, vel vt
n simus, quia nimirum dum huic Patri, qui solus
bet esse, adhæserimus, illud diuinum esse gratiæ
ssidebimus: at ab eo recedentes, in longinquam
ionem proficiscimur, ad nihilumque redigimur.
nne datum optimum, inquit Iacobus Apostolus, *&* Iacob. 1.
ne domum perfectum desursum est descendens à Patre
minum, apud quem non est transmutatio, neque vicis-
udinis obumbratio. Hæc enim mutatio, qua de esse
tiæ à Patre luminum per spiritum sanctum in
da nostra infusæ, ad non esse culpæ transit pecca-
anima, in ipsa anima fit & non in Patre lumi-
n, apud quem non est transmutatio. Ipsa se ani-
à paterna domo absentat, patris prouidentiam
ligit, in longinquam regionem peregre profi-
itur: at Pater, ex quo omne datum optimum do-
nque perfectum emanat, immutabilis in se ipso
nanet, omnibus bonis abundans, & nullius e-
s. Qui igitur in odium ac detestationem pecca-
im se ipsum voluerit excitare, hanc imprimis à
separationem, seu auersionem animo sedulo
luat, hanc præcipue deploret, tamquam summum
um omniumque malorum fontem. Quod qui-
Christus Dominus suo exemplo docuit, quan-
Diabolo suggerenti vt se adoraret, respondit: Va- Ambros.
atana, &c. Namque vt recte notauit Ambrosius, super Luc.
uæ Diabolus ipsi Domino in primis duabus ten-
onibus proposuit, eius erant generis, quæ Domi-
absque vitio poterat efficere, si vellet: poterat
que lapides in panes conuertere sicut aquam in

vinum in nuptijs conuertit, poterat etiam è pinnaculo templi se in terram absque vlla læsione deijcere, sicut super aquas ambulauit. At neque vlla inerat necessitas vel vtilitas talium operum tunc patrandorum, neque ea diabolo persuadente perfici æquum erat. Diabolum vero deserto veri Dei cultu adorare nullo vnquam tempore, nullave ratione absque grauissima impietate fieri poterat. Quo circa Christus Dominus qui duarum tentationum suggestiones mansuete pertulit, & superauit, in hac tertia Sathanam à se quasi indignabundus imperiose reiecit inquiens: Vade Sathana: quia directe ad manifestam impietatem omnimodamque à Deo auersionem eum inducere conabatur. Vt vnusquisque nostrum hinc sciat, & videat, quia malum & amarum est reliquisse Dominum Deum nostrum, fontem aquę viuæ, Patrem misericordiarum, sicut adolescentior filius ignorans fecit, tradens se in manus propriæ volentatis vnde & quam longissime à paterna domo est profectus, atque in perditionis barathrum cecidit. Ergo cum sancto Dauid ad ipsum Dominum

Psal. 27. conuersi dicamus, *Ecce qui elongant se à te, peribunt! perdidisti omnes qui fornicantur abs te.* qui enim debitum pijssimo Patri amorem ad seipsum vel ad creaturas conuertit, cum primam fidem irritam faciat, adulter quodammodo efficitur, & fornicari dicitur. *Mihi autem,* inquit regius vates, *adhærere Deo bonum est, & ponere in Deo spem meam.* Hoc est totum bo-

August. num, inquit Pater Augustinus, quod quidem bonum hic in exilio atque peregrinatione cum timore possidetur, ob voluntatis nostræ imbecillitatem, & inconstantiam & ad malum pronitatem: spe tamen saluus esse potero, si me, Domine, à tua paterna protectione non dimittas, liberum meum arbitrium corrobores, vt tibi in omnibus obsequatur, præuenienti, & subsequenti gratia munias, & perseuerantiam vsque ad finem concedas, vt ad gloriam æternam perduci merear.

Amen.

SER-

ERMO SECVNDVS, in Dominica Secunda.

ibi dißipauit substantiam suam viuendo luxuriose: & postquam omnia consummasset, facta est fames valida in regione illa, & ipse cœpit egere, &c. Luc. 15.

SEcundam ingredimur nostræ Parabolæ partem, quæ ea explicat mala, summamque miseriam, ad quæ Prodigus ille filius deuenit postquam suamet voluntate du- s Paternam domum dereliquit, & in regionem ginquam est profectus: vt ex ijs conijcere liceat, d intus in peccatoris anima accidat, cum à Deo cando recedit. Cum enim hæc animæ detrimen- nec corporeis oculis percipi, neque sensibus expe- queant, voluit Dominus ea exemplo illorum, sæpe ob oculos versantur, manifesta fieri.

Quod si hodie, vt par erat, serotinæ prædicationi ertuistis, cum iuxta Ecclesiæ Romanæ ritum, de riosa Domini Transfiguratione Euangelium decantatum, de illa gloria multa vobis audire it. Inter quæ illud præcipue annotari solet, clari- m nimirum illam, qua sicut sol Christi Domini es resplenduit, & vestes sicut nix factæ sunt albæ, llo ineffabili splendore, quo eius anima iam erat orata (vt iã perfecte beata) processisse. Namq; ab emer diuinę incarnationis instãti Christi Domini na sicut omni gratia omnibusq; virtutũ ornamé- uit plenissime adimpleta, ita etiam lumine glorię strata, quo corroborata diuinam essentiam facie aciem vidit, & beatitudinem est consecuta. Vn- i ipse sua ipsius diuina vi, animæ gloriam non pressisset, ne in corpus redundaret, naturali qua- sequella illico & corpus ipsum foret gloriosum nibusque gloriosis dotibus exornatum. At cum nobis pati vellet, necesse fuit has dotes continuo

pene miraculo intra animam retinere, vt corpus & mortale,& passibile existeret: vnde & in hac trans-
D. Thom. figuratione noua miraculo, vt Diuus Thomas ait,
3. p. claritatem corpori communicauit adhuc mortali existenti,quo aliqua ex parte illius magnæ gloriæ,ad quam adipiscendam per crucem, & mortem suam nobis viam parabat,specimen præberet. Qualis vero quantaque futura sit animæ, & corporis perfecta gloria,exeo potest quoquo modo conijci, quod parua hæc particula vnius corporeę dotis,splendoris scilicet,corpus illud Dominicū mortale adhuc & laboribus attenuatum,tam pulchrum oculisque delectabile exhibuit,vt eo viso Diuus Petrus nihil aliud exoptarit, quam ea visione perpetuo frui. Quod si causam requiras, cur hisce Quadragesimæ diebus lachrymis ac pœnitentiæ destinatis, in ipso fere initio hæc Christi Domini gloria nobis ob oculos proponatur,eam esse existimo,& præcipuam quidem, vt ex tali consideratione vniuscuiusque peccatoris animus in odium, ac detestationem vitiorum adeo excitetur,vt non solum admissa scelera deploret, & coram sacerdote humiliter confiteatur, sed & doleat vehementer, quando se nimis dolere non senserit. Quis enim mentis,& rationis compos dolore (& vehementissimo quidem) non afficiatur,si mente percurrens summam illam gloriam tam animæ quam corporis (cuius exemplar in Christi Domini gloriosa transfigurationes fuit nobis expressum) simul recordetur quod per ea quæ commisit scelera, mortaliaque peccata, amisit diuinam gratiam ac claritatem omniaque illa animæ bona, quibus gloria illa in hac vita promeretur? Huius sane gloriæ recordatione, licet à longe valde eam Dauid aspiceret, grauissimo dolore ob admissa peccata eius animus nimium est affectus, vt in illo Psalmo,qui inter septē pœnitentiales tertium locum obtinet, videre licet: vbi acerbissime ea omnia deplorans diuinamque vindictam,quam meruerat,pertimescens in hæc ver-
Psal. 37. ba prorumpit, *Domine ne in furore tuo arguas me, neq;*

ira tua corripias me. Quoniam sagitta tua infixa
nt mihi,& confirmasti super me manum tuam. Non
sanitas in carne mea à facie ira tua: non est pax os-
ius meis à facie peccatorum meorum. Et cætera quæ
quuntur,quæ ostendunt,in quanta animi anxietate
erit Dauid constitutus. Quod vero ex huius glo-
e recordatione tantus peccatorum dolor fuerit ex-
atus,patet ex illius Psalmi titulo,qui sic habet.Psal-
us Dauid in recordationem Sabbati, vel in reme-
orationem de Sabbato.] Sabbatum enim, ex cu-
recordatione tanta peccatorum contritione Da-
l est commotus,non erat,inquit Diuus Augustinus, August.
bbatum illud legale,quod septimo quoque die ad-
niebat: sed cum Sabbatum requiem designet, &
ernam illam quietem gloriæ, ad quam procreati
nus, quamque peccando perdidimus, præfiguret,
illius gloriæ recordatione, atque attenta conside-
ione Dauid tantopere de peccatis commissis do-
t,quia nimirum cum peccando à gratia diuina se
idisse intelligeret, gloriam illius Sabbati se ami-
e culpa sua cognouerat: quæ quidem gratia la-
ymis, & intimo animi dolore erat à Deo impe-
nda. Hinc intelligere licet, quænam sit illa sub-
itia,diuinumque patrimonium, quæ omnia Pro-
us ille filius à paterna domo in longinquam re-
nem discedens dissipauit, viuendo luxuriose. est
aque illa substantia,inquit Titus,à prodigo dis- In Cate. d. th.
ta, insita animi lux, temperantia, veritatis no-
,Dei memoria,atque amicitia. Quamuis enim
peccatum mortale habitus ille fidei in cuiuslibet
lis animam infusus non amittatur,nisi peccatum
ontra ipsam fidem, fides tamen illa mortua re-
net, vt Diuus Iacobus ait,& deformis, quia denu- Iacob.
r gratia, ac diuina charitate, qua viuificabatur,
erisque bonis,ac operibus meritorijs penitus spo-
r,quibus ad vitam & gloriam æternam prome-
am sibi antea viam parauerat, quæ etiam ipsius
nini ac patris beneficio possidebat. Quod
ninus ipse per Ezechielem ita pronunciat, *Si a-* Ezech. 18.

uerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes, quas operari solet impius, nunquid viuet? Omnes iustitiæ eius, quas operatus
Isa. 64. *est, non recordabuntur.* In hoc sensu expendit Diuus
Hiero. l. 1. Hieronymus illud Isaiæ: Ciuitas sancti tui facta est deserta: Sion deserta facta est, Ierusalem desolata est: domus Sanctificationis nostræ, & gloriæ nostræ, vbi laudauerunt te patres nostri, facta est in exustionem ignis, & omnia desiderabilia nostra facta sunt in ruinam.] Hoc, inquit, Hieronymus, ad vniuscuiusque nostrum animam accommodari potest, quæ quidem cum diuina gratia est decorata, Sion, id est, specula, & Ierusalem, id est, visio pacis optimo iure dicitur: si verò vitio nostro (sunt verba Hieronymi) fuerit derelicta, statim patebit incendio ignitarum Diaboli sagittarum: & expulso pudicitiæ frigore, libidinis in templo Dei flamma grassabitur, vt quicquid in nobis gloriosum prius & inclitum fuit, corruat, deleatur, & pereat.] Hæc est illa substantiæ dissipatio, quæ ex vita luxuriosa Prodigi processit.

Facta est autem fames valida in regione illa, & ipse cœpit egere. Post illam omnimodam spiritualium bonorum, quibus anima & viuit, & alitur, dissipationem, ingens egestas, validaque fames subsequuntur:
August. de quæ quidem fames, valida dicitur, quia, vt Diuus Au-
dec. plag. gustinus ait, acrior, & vehementior est animæ fames quam corporis, & multi per istam famē mortui ambulant, & viuentes portant funera sua.] Huius famis
Psal. 101. causam assignat Dauid inquiens: *Aruit cor meū, quia oblitus sum comedere panem meum.* Liquet namque quod qui ad explendam corporis famem vtitur luto, carbonibus, aut alijs huiusmodi rebus, & connaturalem cibum qui cōmuniter est panis, despicit, non modo non nutritur, neq; vires reficit, sed debilitatur, & arescit. Panis igitur à Deo in Paradiso terrestri in animarum naturarū alimentum constitutus, Erat, inquit
Greg. Pap. in pla. pœnit. Greg. diuinæ visionis dilectio, verbi Dei satietas, internæ quietis gaudium, amor Dei, iubilum spiritus, præsentia creatoris.] Hunc panem statim atq; homo come-

ommedere neglexit & ad vetitos, atq; præternatura-
s cibos manū extendit, inde in validā incidit famē,
ob huius panis defectum aruit. Cui optime conso-
at Chaldaica paraphrasis à Genebrardo relata. Quo- Genesis,
iam, inquit, oblitus sum legem doctrinę meę, id est,
iam à Deo didici.] Hanc validā animæ famē sum-
amq; egestatē malū aliud & periculosum sane co-
itatur, cum sæpe sæpius cōtingat, vt qui ineus in a-
ma hanc famē ac pauperiē patiātur, de ea tamē mi-
me curent fereq; nō sentiant in quo statu, miseri ia-
nt. Quod illa verba ad Angelū seu Episcopū Lao-
ceę directa significare vidētur, *Dicis quia diues sum,* Apoc. 3,
locupletat.. & nullius egeo: & nescis, quia tu es miser,
miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. At ipsum
et parabolæ cōtextum Petrus Chrysol. expendens Chrysol.
quit, Ad talē finem semper voracitas tendit, ad talē Serm. 1,
uenit terminū fugienda voluntatis effusio.] Am-
a patrimonia dissipātur, ipsæ etiā Crœsi diuitiæ cō-
minātur, salus deperditur, nobilitas vilescit & ludi-
o fit, si luxuriæ cæterisq; voluptatibus habenæ la-
tur. De quodā Philosopho memini me legisse, qui
ulos cōijciens in adolescentē quendā nobilē, antea
e diuitem, & postea ex eo quia omnē substantiā suā
sumpserat viuendo luxuriose, ad summā pauperiē
actū ostiatimq; mendicādo victū quærentē, atq;
in angulo vespere vilissimi panis frustum, & quidē
s durum, auide deuorantē fuisset intuitus, ad illū
tersus dixit, si non tam laute prandisses, melius cæ-
es: ostendens quod ex inordinata effusione in tā- Senec. epi.
n miseriā incidisset. Seneca amicū de filij educatio- l. 3. ep. 21,
exhortans, ex Epicuri Philosophi sentētia inter cę-
a dixit, si vis Pythoclea diuitē facere, non pecuniæ
iciēdū sed cupiditatibus detrahēdum est. Et aper-
t, inquit, Seneca, ista sententia est quā vt interpre-
da sit, & disertior quā vt adiuuāda.] Et merito sa-
plus nāq; cupiditates, quā necessitates cōsummāt:
qui cupiditatibus frænum posuerit, omnibus rebus
indabit: qui verò eis deseruierit luxuriose viuēdo,
ni temporis spatio omnia cōsumpturus est, & ege-
e atq; fame torquebitur, sicut Prodigus.

Ad-

Adhæsit vni ciuium regionis illius, & misit illum in villam suam vt pasceret porcos. Qui à Deo amantissimo Patre recedit, primo omnibus animæ bonis priuatus, spiritualem famem atque egestatem patitur, deinde Diabolum sibi eligit Dominum, eiusque seruitio mancipatur, vt omnes fere huius loci interpretes adnotarunt. Cui quidem Dæmoni proprijssime conuenit regionis peccati ciuem esse, quia simulatque in peccatum lapsus est, adeo peccato adhæsit, vt amplius exurgere nolit, neque ab impia voluntate discedere, sed in ea obstinatus in æternum permanebit. Meliorem in hac parte homines peccatores sortiti sunt conditionem, quibus in hac vita datum est, vt si velint, possint illius pessimæ regionis hospites & aduenas esse, prauamque peccandi voluntatem relinquere, atque diuina adiuti gratia ad patriam domum redire. At quandiu voluntas peccato adhæret, peccator ipse Sathanæ regionem incolit, ibi in eius est dominio, illius seruituti subijcitur, sub eius stipendijs militat. Quare à Christo Domino Diabolus
Ioan. 5. Princeps huius mundi dictus est aliquoties, quia nimirum super eos dominium exercet, qui se totos mundanis rebus tradiderunt, à Deo summo bono,
Rom. 6. amore & voluntate alienati. Non regnet, inquit Paulus, peccatum in vestro mortali corpore: vt ostendat
Chrysost. hom. 10. ait Chrysostomus, hoc peccati dominium voluntarium existere, & non violentum: ipse enim peccator sciens, & volens se ad regnum peccati transfert, in quo Diabolus regnat, & ibidem consistit voluntarie & sponte sub tali Domino constitutus. In ea generali fame, quę vniuersum pene orbem occupauit eo tempore, quo Ioseph in Ægypto erat, eius prouidentia, vt scitis, in primis illis septem fertilitatis annis frumenta in horrea sunt congregata, vnde in annis steri-
Genes. 47. litatis populus aleretur: in quibus cum Ægyptij alimenta per singulos annos ex illis horreis emerent, consumptis pecunijs ac pecoribus, cunctaque supellectili, seipsos in seruos, omnesque possessiones suas Pharaoni pro frumento tradiderunt, & ex eo tempore

sub-

biecta fuit Regi vniuersa terra Ægypti, & cuncti
pulì eius à nouissimis terminis vsque ac extremos
nes. Ob eandem famem descenderunt Iacob, & fi-
eius in Ægyptum, & ibidem habitare cœperunt,
i & postea durissima seruitute sunt oppressi, quoad
que per Moysem diuina ope & potenti manu à ca-
uitate Ægyptiaca fuerunt liberati. Hanc histo-
m ad miseram peccati seruitutem sub pessimo
incipe Sathana Origenes diserte accommodat, in- Orig. in Gen. hom.
lens, Quod Pharao Ægypti Rex prauus huius
ssimi tyranni figurā expressit, in cuius captiuitatē
seramque seruitutē, se tradunt peccatrices animæ
validam, quam patiuntur famem, ex eo, quia spi-
ualia bona peccando amiserunt. In hac autem mi-
rima captiuitate detinentur tum Ægyptij tum
am filij Israël: Ægyptij illos designant qui ita
luntarie se dederunt in seruitutem huic pessimo
ebratum Principi, vt ab eo separari nolint, ei o-
nia sua tradunt, & habitatores atque ciues sunt il-
s impiæ regionis. At filij Israël ij sunt, qui etsi vel
imbecillitate, vel vehementi tentatione superati
orantes, vt prodigus, in peccatum sunt prolapsi,
veluti violenter permanent, captiuitatem sen-
nt, seruitutem deplorant & gementes ad Deum
ciferantur, vt eis manum præbeat, ducem mittat,
i eos ad pristinam gratiæ libertatem perducat. ô
arissimi fratres, Deum optimum maximum con-
uo deprecemur, ne nos Ægyptios fore permittat
abolicam seruitutem amantes, in eius captiuitate
n patria degentes, durissimumque eius dominium
libertatem amplectentes: sed simus sicut Israëli-
, ac filij Dei, vt nimirum si vel ex ignorantia,
ex deprauata animi fragilitate aliquandiu in
nc peccati regionem prolapsi, huic pessimo Ciui
us ac Domino adhæserimus, ibidem quasi violen-
etineamur, & diuinis vocibus nostri Moysis Chri-
esu aures aperiamus, quibus excitati nostram ca-
iitatem miseramque seruitutem, famem atque
statem sentiētes, iterum paternā domum exopte-
 mus

mus, ad eam omnes reuertamur. Illos miserrimos Ægyptios voluntariosq; Principis mundi seruos multis deplorat D. Chrysosto. cum videat eos hilari vultu, summaq; animi promptitudine illius omnia mandata exequi, omnia ab eo sibi imperata facere, licet difficilia, & laboriosa sint: si videas, inquit ille, Regem à barbaris in captiuitatem abductum ita haberi ludibrio, vt eum ipsi simet regijs vestibus indutũ, & coronam in capite gestantem cogãt vel sarculo terrã fodere, vel in stabulo equorum curã gerere, nonne miserrimũ iudicabis? At perpende quæso, & vniuersum orbẽ mente percurre, & videbis Reges in ipsisimet regalibus solijs sedentes, Principes & magnates plurimis diuitijs abundãtes, nobiles viros, ac prędiuites sericis vestibus, auro & gemmis fulgentibus exornatos huic mundi pessimo Principi crudelissimoq; tyrãno prõptissime deseruire, in eiusq; obsequiũ omnia sua expẽdere. Et vtinã domum Domini nõ ingrediatur, ibiq; sacra infula insignitos, pontificalibus indumentis exornatos, redditibus Ecclesiasticis abundantes sibi non habeat obsequentes. Nonne satis notum est quod ex illis duodecim Christi Domini Apostolis ab ipso nominatim electis, vt Ecclesiæ suæ Principes cõstituerentur, vnus in ipsomet sacro Apostolorũ Collegio Diabolo deseruiebat, & non Christo Domino, qui adeò Diaboli seruitio erat mancipatus, & adstrictus, vt ab ipso Domino Diabolus nominaretur: *Nõne vos*, inquit, *duodecim elegi & ex vobis vnus diabolus est?* Quare si interroges, cur Dominus omnes duodecim Apostolos noluit secum in mõtem Thabor deferre, & coram ipsis transfigurari, imo & illis tribus, quos adduxit stricte præcepit, ne alijs visionẽ ennarrarent, eã causam non incongrue assignabis, quod cũ Iudas Scariothes iam se ipsum huic tenebrarum ac mundi Principi Sathanæ in seruum tradidisset, cum fur esset & loculos haberet, sic illi adhærebat vt neq; illius gloriæ conspectu aut notitia ad resipiscendum commoueretur, sed econtra inuidia tabesceret, cæterosque & Apostolos inter se inuicem perturbaret.

Chrysost. hom. 18, 1, ad Tim.

Ioan. 6.

Vt

Vt pasceret Porcos. Diabolus enim eos, qui ipsi ad-
rent, ad continuam ac sollicitã corporis, terrena-
mq; rerum curã inducit, atq; vt corporeis sensibus
tisfacere studeãt stricte iubet: scit enim porcis simi-
esse sensus corporis nostri, viles, abiectos, insatia-
les, adeoq; terrę adhærentes, & affixos, vt qui se illis
dunt cælestia penitus obliuiscantur, penitusque
spiciant. Porcorum oculi, inquit Theophylactus, Theophil.
lum minime valent aspicere, versus terrã caput ha-
ntes depressum, vnde & porcorum pastores eum
n possunt compescere porcum clamantem, supi-
ntes illum efficiunt vt minus clamet. Etenim quasi
spectaculũ veniant, spectantes quæ numquã vide-
it, stupent, & silent. Sic euenit eis, qui se totos cor-
ris sensibus tradunt. *Animalis etenim homo*, ait Di- 1. Cor. 2.
s Paulus *non percipit ea quæ sunt spiritus Dei: stulti-
enim est illi.* Ea propter Christus Dominus disci- Math. 7.
los admonuit, Ne margaritas suas mitterent ante
rcos, ne forte conculcarent eas pedibus suis.] Cum
im terrena tantum sapientes, & sensuum corporis
dicium consectantes (qui sunt veluti porci) de cæ-
tibus audierint aliquem differentem, doctrinam
im vt illis ignotam vilipendẽt. Sunt etiam sensus
rcis similes, ob inquietudinem ac edacitatem. Eccles. 1.
inque, vt ait Sapiens, *non satiatur oculus visu, neq;
ris impletur auditu.* Hanc insatiabilem sensuum
riem declarant illa verba Dei per Moysem ad
pulum dicta, quando eis præcepit vt facerent sibi
ibrias per angulos palliorum, & in eis ponerent Num, 15.
tas hyacinthinas, Quas, inquit, cum viderint, re-
rdentur omnium mandatorum Domini, nec
quantur cogitationes suas, & oculos, per res va-
s fornicantes.] Quia nimirum, vt ipse Domi-
s ad Noe de arca egressum dixit, *sensus & cogita-* Genes. 8.
humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia
. Vnde qui ab illis se abduci sinunt, infinitis pro-
modum & flagitiosis desiderijs replentur, ne-
e tamen satiantur. Quare Diuus Hieronymus Hier, &
& Chry-

Chryſoſt. & Chryſoſtomus per porcos, ſordidas ac immundas cogitationes intelligunt, quas Dabolus in animas eorum immittit, qui ei ſeruiunt. Ad quod probandum confert illa allegorica expoſitio eiuſdem Hieronymi circa eam viſionem, quam Ezechiel ſe in templo vidiſſe narrat, cum in Ieruſalem ab ſpiritu fuiſſet ductus. Vidit enim ibi primum Idolum zeli ad prouocandam æmulationem.] quia ſcilicet Deus ipſe zelo & æmulatione in vindictam prouocabatur ſeipſum deſpectum, Diabolum autem ſumma veneratione ac obedientia cultum conſpiciens. Deinde dixit illi Dominus vt per parietis foramen aſpiceret, & oſtium aperiret, per quod intra ingreſſus videret, quæ ibi fierent. Et ingreſſus, inquit, vidi, & ecce omnis ſimilitudo reptilium, & animalium abominatio, & vniuerſa Idola domus Iſraël depicta erant in pariete in circuitu per totum, ſeniores autem & Principes populi ac ſacerdotes cum thuribulis abominationibus illis incenſum adolebant. Poſſumus, (inquit modo Hieronym.) in noſtri templi parietibus idola monſtrare depicta, quando omnibus vitijs ſubiacemus, & pingimus in corde noſtro peccatorum conſcientiam, imaginesque diuerſas, quibus vt Deo ipſi obſequimur, cultumque exhibemus.

Ezech. 8. Hieron. l. 3.

Et cupiebat implerere ventrem ſuum de ſiliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat. Ecce ſatis per ſe patet, quam dura, & crudelis ſit ſeruitus ſub iſto Ægypti principe, & peccati ſiue Diabolo : cum enim per corporeos ſenſus in animas eorum, qui eius ſubduntur imperio, innumera deſideria immitat, adipiſcendi tamẽ occaſiones ſæpe ſæpius ipſemet impedit, ait Hieronym. vt eos, & torqueat, & pluribus nou... laqueatos teneat. Hoc innuit illa Poëtarum fictio de Tantali in inferno tormentis, qui ſitiens intra aquam eſt immerſus vſque ad mentum, & eſuriens ſupra caput pendentia conſpicit pulcherrima poma : quod ſi ad bibendum vult ora aquæ appropinquare, aqua ſe ſubtrahit : ſi ad poma manum extendit, arboris rami eleuantur. O miſeranda miſeri illius

ius hominis sors, qui tali Domino seruit, qui in eo
tissimum delectatur; si nos esurientes, famelicos,
strisque ipsis concupiscentijs tortos & cruciatos
æterna tormenta potest impellere: quare iram
uit, diuitiarum concupiscentiam excitat, libidino-
desiderijs cor inflamma, milleque alijs deprauatis
sordidis cogitationibus per corporeos sensus in-
ductis animam replet, quę quidem expleri nequa-
am possunt, cum tamen misera anima per inte-
rem consensum in plurima incidat flagitia.

Hic autem porcorum cibus siliqua dicitur, quod
cabulum duo significat, quæ hunc miserrimum
ccatoris statum optime declarant: inprimis nam-
siliquæ leguminum folliculos significant, qui
cis gratissimi sunt: qui huiusmodi delectationes,
apparentia bona ad viuum exprimunt. Quis a-
or huiusmodi hominibus cibus, inquit Ambro- Ambr. super Luc.
, quam eis, qui siliquæ modo intus inanis, foris
llis est: quo corpus non reficitur, sed impletur, vt
magis oneri quam vsui. Etenim, ait Diuus Bernar- Bernard. in declam.
, Capacem Dei quicquid Deo minus est, non im-
bit. Est etiam siliqua arboris fructus in fabæ si-
itudinem oblongus, prædulcis quidem in ipso
no gustu, ac deinceps, vt ait Euthymius, vt pluri-
n constringit: quod optime peccatorum natu-
explicat: licet namque ad tempus delectare vi-
ntur, perpetuo tamen cruciant, animamque con- August. in Psal. 57.
gunt. In hunc sensum Diuus Augustinus inter-
atur illud Psalmi, *Priusquam intelligerent
vestra rhamnum, sicut viuentes, sic in ira
bet eos.* quod ille ita legit: Priusquam produ-
spinas vestras rhamnus: quod fere idem est.
d est rhamnus? inquit: spinarum genus est.
o herba est, & cum herba est, mollis & pulchra
bi sunt tamen spinæ postea processuræ. Modo
delectant peccata, & quasi non pungunt. Herba
amnus, & tamen modo est spina: priusquam
ucat spinas rhamnus, priusquam miserarum de-
tionum & voluptatum manifesta tormenta pro-
cedant.


cedant. Intorrogent se qui aliquid amant, & ad id peruenire non possunt: videant si non crucientur desiderio, & cum peruenerint, & ad id quod illicite desiderant, attendant si non crucientur timore.] Has igitur siliquas, imo, & spinas auarus, & crudelis Dæmon seruis suis etiam denegat, cum eos ad peccandum per praua desideria excitat & peccandi materiam tollit, quo plus & delinquant & torqueantur. Quod merito atque optimo iure huic misero iuueni contigit, vt qui non sustinuerat, inquit Euthymius, parere Deo humanissimo, seruiat inhumanissimo Dæmoni. Diuus Hieronymus, illam Ioathan Gedeonis filij parabolam de arboribus regem eligentibus aptissime ad hoc comprobandum allegorice explicat: & arbores eas syluestres steriles, ac infructuosas esse arbitratur, quæ quidem fructuosas arbores, oliuam scilicet, ficum, atque Vitem super se regnare petierunt, quæ regnum detrectauerunt. Pater enim & filius, & spiritus sanctus, cuius beatissimæ Triadis illæ fructuosæ arbores specimen repræsentabant, syluestres, & steriles animas non inhabitant, neque in eis sibi regnum constituunt. Illæ vero Rhamnum sibi regem constituunt, qui densis ac præacutis spinis circumseptus, ad se accedentes pungit, & vt aridus ignem ex se emittit. Hic inquit Hieronymus, Diabolus est, Princeps mundi, & peccati ciuis, qui subditos suos vulnerat, irretit, & tenet.

Iud, 9. Hier, in c. 2. Agri.

Restat igitur, Charissimi, vt ex ijs vnusquisque nostrum apud semetipsum tacitus consideret, & intelligat, quod cum peccando à Dei voluntate atque præceptis auertitur, in ea omnia mala incidit, quæ parabolice in prodigo filio ob oculos proponuntur, & in nobis omnia hæc euenire certo sciat, hanc videlicet miseram sub Diabolo seruitutem, hanc famem hanc egestatem tormentaque interiora, maiusque existere malum, si ea non sentimus neque curamus. Quare Diuus Pater Augustinus reuocans in memoriam tempus illud adolescentiæ suæ, in

quo

uo à Deo alienatus, sub peccati iugo Diabolo de-
ruierat, multis profusis lachrymis ita Deum de-
recabatur : ¡Væ mihi ! vulnerauerunt, & non do-
ui, traxerunt me & non sensi : quia nihil eram,
uia sine te, Vita, eram. Ideo Domine, lux mea, ini-
nici mei fecerunt, quæcumque voluerunt : diuise-
unt sibi vestimenta mea virtutum, quibus ornaue-
is me, sub pedibus conculcauerunt me, fæcibus
eccatorum polluerunt templum sanctum tuum.
bam post eos cæcus, & nudus, & illaqueatus, fu-
bus peccatorum : trahebant me post se in circui-
m de vitio in vitium, & de luto, in lutum. Ser-
s eram, seruitutem amabam : cæcus eram, cæcita-
m desiderabam : vinctus eram, & vincula non
rrebam : amarum dulce, & dulce amarum puta-
m : miser eram, & non cognoscebam.] Tu ergo
ter clementissime, tuamet misericordia motus,
e miserum peccatorem respicere digneris, qui à
abalienatus, summo bono, & bonorum omnium
renni fontem, in crudelem Diaboli seruitutem
cidi, atque sub eo immundissimis desiderijs ve-
i porcis deseruiens, valida fame crucior, vtpote
ne vitæ carens. Ad me paternæ misericordiæ o-
os conuerte, vt ego in meipsum oculos conuer-
tam, miseriam meam agnoscam, & ijs ipsis
spinis compunctus ad te redeam, gra-
tiæque tuæ atque gloriæ dignus
efficiar. Amen.




SER-

cedant. Interrogent se qui aliquid amant, & ad id peruenire non possunt: videant si non crucientur desiderio, & cum peruenerint, & ad id quod illicite desiderant, attendant si non crucientur timore.] Has igitur siliquas, imo, & spinas auarus, & crudelis Dæmon seruis suis etiam denegat, cum eos ad peccandum per praua desideria excitat & peccandi materiam tollit, quo plus & delinquant & torqueantur. Quod merito atque optimo iure huic misero iuueni contigit, vt qui non sustinuerat, inquit Euthymius, parere Deo humanissimo, seruiat inhumanissimo Dæmoni. Diuus Hieronymus, illam Ioathan Gedeonis filij parabolam de arboribus regem eligentibus aptissime ad hoc comprobandum allegorice explicat: & arbores eas syluestres steriles, ac infructuosas esse arbitratur, quæ quidem fructuosas arbores, oliuam scilicet, ficum, atque Vitem super se regnare petierunt, quæ regnum detrectauerunt. Pater enim & filius, & spiritus sanctus, cuius beatissimæ Triadis illæ fructuosæ arbores specimen repræsentabant, syluestres, & steriles animas non inhabitant, neque in eis sibi regnum constituunt. Illæ vero Rhamnum sibi regem constituunt, qui densis ac præacutis spinis circumseptus, ad se accedentes pungit, & vt aridus ignem ex se emittit. Hic inquit Hieronymus, Diabolus est, Princeps mundi, & peccati ciuis, qui subditos suos vulnerat, irretit, & tenet.

Iud, 9. Hier, in c. 2. Agæi.

Restat igitur, Charissimi, vt ex ijs vnusquisque nostrum apud semetipsum tacitus consideret, & intelligat, quod cum peccando à Dei voluntate atque præceptis auertitur, in ea omnia mala incidit, quæ parabolice in prodigo filio ob oculos proponuntur, & in nobis omnia hæc euenire certo sciat, hanc videlicet miseram sub Diabolo seruitutem, hanc famem hanc egestatem tormentaque interiora, maiusque existere malum, si ea non sentimus neque curamus. Quare Diuus Pater Augustinus reuocans in memoriam tempus illud adolescentiæ suæ, in

uo à Deo alienatus, sub peccati iugo Diabolo de-ruierat, multis profusis lachrymis ita Deum de-recabatur : ¡Væ mihi ! vulnerauerunt, & non do-li, traxerunt me & non sensi : quia nihil eram, uia sine te, Vita, eram. Ideo Domine, lux mea, ini-uici mei fecerunt, quæcumque voluerunt : diuise-unt sibi vestimenta mea virtutum, quibus ornaue-s me, sub pedibus conculcauerunt me, fæcibus eccatorum polluerunt templum sanctum tuum. bam post eos cæcus, & nudus, & illaqueatus, fu-bus peccatorum : trahebant me post se in circui-m de vitio in vitium, & de luto, in lutum. Ser-s eram, seruitutem amabam : cæcus eram, cæcita-m desiderabam : vinctus eram, & vincula non rrebam : amarum dulce, & dulce amarum puta-m : miser eram, & non cognoscebam.] Tu ergo ter clementissime, tuamet misericordia motus, miserum peccatorem respicere digneris, qui à abalienatus, summo bono, & bonorum omnium renni fontem, in crudelem Diaboli seruitutem idi, atque sub eo immundissimis desiderijs ve-i portis deseruiens, valida fame crucior, vtpote ne vitæ carens. Ad me paternæ misericordiæ o-os conuerte, vt ego in meipsum oculos conuer-tam, miseriam meam agnoscam, & ijs ipsis spinis compunctus ad te redeam, gra-tiæque tuæ atque gloriæ dignus efficiar. Amen.



SER-

SERMO TERTIVS, in Dominica Tertia.

In se autem reuersus dixit, Quanti mercenarij in domo Patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo. Surgam, & ibo ad Patrem meum, &c. Luc. 15.

ECce tertia se nobis offert parabolæ nostræ pars, in qua de perditi filij conuersione & in paternam domum reuersione est agendum; vbi ea explicantur, quæ ex parte nostra requiruntur, vt ad deperditum gratiæ statum paternamque beneuolentiam redire posimus. Satis namque tritum, & verissimum quidem, atque Catholicæ fidei veritate innixum est proloquium illud Diui Augustini, Qui fecit te sine te, non saluabit te sine te. Qui enim per peccata à Deo auersi erant, ait Sacrum Concil. Trident. per eius excitationem atque adiuuantem gratiam ad conuertendum se, ad suam ipsorum iustificationem eidem gratiæ libere assentiendo disponuntur, ita vt tangente Deo cor hominis per spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam, & abijcere potest, neque tamen sine gratia Dei mouere se ad iustitiam coram illo libera sua voluntate posit. Vnde ipse pius pater prius in perditum filium oculos coniecit, quam ille in se reuerteretur, miserumque statum agnosceret: prius vires præbuit ad exurgendum, linguam soluit ad confitendum, voluntatem excitauit ad redeundum: at filius voluntarie est obsecutus, simulque cooperatus, & quod poterat, opere est executus.

August.

Con. Trid. sess. 6, c, 5,

Vt vero quibus medijs Dominus sæpe sæpius peccatores ad resipiscendum excitare soleat, iuxta hanc parabolam posimus agnoscere, non erit abs re aliqua ex hodierni Euangelij historia vobis in memoriam

r euocare. Narrat namque Diuus Lucas, quod Luc. 11.
Dominus Dæmonium mutum eiecisset, & illi-
atus esset locutus, admirantibus turbis, Phari-
: scribæ grauem in ipsum Dominum murmura-
m excitarunt dicentes, *In Beelzebub Principe
oniorum eijcit Dæmonia.* Cum autem ex huius-
i calumnia Christi Domini fama, & honor adeo
etur, vt & doctrina eius vilesceret, & miracula
ci possent, si quisquam sibi persuaderet eum
um, ac præstigiatorem, atque si hoc in vulgus
iret, in magnum eiusdem populi detrimentum
et, vtpote qui diuina eius doctrina foret salu-
r imbuendus, & miraculis ad eam amplecten-
inducendus: Eam ob rem Christus Dominus,
rogatas sibi iniurias patientissime tolerabat,
calumniam, vt & honori diuino & proximo-
saluti omnino aduersantem, quatuor efficacissi-
ationibus refellit, eiusque falsitatem conuincit.
uibus omnibus cum non sit nostri instituti mo-
gere, tertiam tamen, quæ confert, referam. in ea
que Dominus per parabolam Diabolum mundi
cipem forti armato similem esse dicit, qui cum
m suum custodit, arcemque tuetur, in pace sunt
ia quæ possidet: armis munitur, spolijsque ab-
t, & securus consistit. Se autem ipsum Domi-
ortiori duci comparat, qui superueniens arma-
forte deuincit, ab arce expellit, vniuersa eius ar-
n quibus confidebat, aufert, & spolia detrahit.
io primum expressit tyrannicam illam domina-
em, quam Diabolus exercet super eos, quorum
as per peccatum in captiuitatem redegit, de quo
iori sermone multis egimus. In ea vero posses-
dum quietus permanet, armis munitur, quibus
s Christi in animam ingressum prohibere cona-
ea sane arma, in quibus nimium confidit, sunt
a ipsorum desideria, sunt voluptates corporis,
iaque sæculi oblectamenta. ijs namque armis
uctus & peccatorum animas possidet, & aduer-
Dominum insurgit, eiusque præcepta negligit.

Rom. 6. De ijs armis loquitur Diuus Paulus cum ait, *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentijs eius: Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato.* Nostris enim met armis nos oppugnat, & in captiuitatem redigit Sathan, nostris vinculis nos ligatos tenet. Hoc Diuus Augustinus de se ipso confitetur inquiens: Cui re (omnimodæ scilicet ad Deum conuersioni) ego suspirabam ligatus non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me: quippe ex voluntate peruersa facta est libido, & dum seruitur libidini, facta est consuetudo: & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas: quibus quasi annulis quibusdam sibimet innexis, vnde catenam appellaui, tenebat me obstrictum dura seruitus.] Ecce quibus armis fortis armatus atrium suum custodit. At Christus Dominus illo longe fortior, vt fortitudinem suam mirabiliter ostendat victoriamque illustriorem reddat, & inimicum penitus deuincat, ab eo arma hæc, in quibus confidebat, extrahit, & illisimet armis eum deijcit & expugnat, quando per eas molestias, & afflictiones, quas anima suis desiderijs obtemperans patitur, eam ad seipsum redire facit, & per eandem durissimam seruitutem, qua vnusquisque peccator sub Diabolo opprimitur, eidem oculos aperit, vt sua mala consideret: sicut in prodigo filio parabolice declaratum est, qui inde in se est reuersus, quia cum fame periret, & porcis siliquas in alimentum præberet, nemo tamen eius vicem dolebat, vt saltem ex siliquis partem aliquam ad ventrem explendum concederet: quia sæpe contingit, (diuina sic disponente prouidentia, & misericordia) vt per eas quas vnusquisque peccator concupiscentijs seruiens intus patitur angustias, miserum animæ statum cognoscat, & ad saniorem mentem reducatur: atque ita fauente Deo, suismet armis superatur tyrannica Diaboli dominatio, & ab eius seruitute peccator se eximere desiderat. Sicut enim adolescens

Confess. 8. c. 5.

Dauid

d robustissimi Philistæi Goliath caput suomet
gladio amputauit, & sicut etiam illustris illa
na Iudith, superbi Holefernis caput proprio
pugione abscidit, sic sæpe fit, vt Christus Domi-
sismet inordinatis concupiscentijs quibus pec-
is anima hinc inde distenditur, & ob dæmonis
iam cruciatur, pro armis vtatur, quibus eum à
a peccatorum seruitute abducat, & ad se pertra-
Miserrimum hunc peccatoris statum expressit
o hic Christo Domino oblatus, quem Diabolus
osséderat, vt & mutum ac surdum, & insuper
m redderet: at diuina prouidentia effectum est,
ijsdem malis extremisque miserijs occasione
ota Domino esset oblatus, cuius vi expulso Dæ-
e perfectam sanitatem consequeretur. Audia-
ipsum Dominum per Oseam peccatoris ani- Ose. 2.
misericorditer alloquentem, cum illa post ama-
suos, id est, concupiscentias suas ire festinat,
nam sibi inde promittens fœlicitatem rerumque
ium abundantiam, *Propter hoc,* inquit Domi-
ecce ego sepiam viam tuam spinis, & sepiam eam
ria, & semitas suas non inueniet. Et sequetur a-
res suos & non apprehendet eos; & quæret eos, &
nueniet, & dicet, Vadam, & reuertar ad virum
n priorem, quia bene mihi erat hinc magis quam
. Hoc Diuus Augustinus in seipso fuisse exper- Confess. 6, c. 6
asserit his verbis: Et inhiabam honoribus, lucro,
ugio, & tu irridebas. Patiebar in eis cupidita-
amarisimas difficultates, te propitio tanto ma-
uanto minus sinebas mihi dulcescere quod non
tu. Quam misera erat anima mea! & sensum
eris amiserat, & tu pungebas, vt relictis omni-
conuerteretur ad te & sanaretur.

se autem reuersus dixit, &c. Bene, inquit Am- Ambros. super Luc.
ius in se vertitur, quia à se recessit.] Vnde & a-
nos si aliquis quicquam, siue ira, siue vitio alio
motus perperam velit efficere, ei dicitur, Tu ex- August. in
te ipsum es, ad te redi. Quare Diuus Augustinus, quæst. Euang.
mplius explicans ait, In se reuersus est, quando ab

eis, quæ forinsecus frustra illiciunt, & reducunt, in conscientiæ suæ interiora suam intentionem reduxit.] Extra positus, porcos, id est, corporis sensus terrena tantum sectantes & percipientes, sequebatur, at cum à sensibilibus animum abduxit, & ad interiora cogitationem conuertit, famem sensit, deformitatem suam vidit, egestatem atque miseriam cognouit. Hæc autem interior cogitatio ad veram pœnitentiam vitæque mutationem viam aperit, cum homo ad seipsum reuersus anteactam vitam discurrendo pertransit, qualisque fuerit attente considerat.
Psal. 118. *Cogitaui*, inquit Dauid, *vias meas, & conuerti pedes meos in testimonia tua.* O vtinam, Charissimi, vobis persuadere queam, vt saltem in hac Quadragesima, quando de animæ salute vobis est agendum, ex viginti quatuor horis ex quibus dies constat, vnam tantum, vel saltem dimidiam, aut certe quartam eius partem vnusquisque vestrum sumeret, in quo breuissimo temporis spatio sine labiorum strepitu intra semetipsum animum atque cogitationem colligens, vitam suam, opera operumque intentionem consideret, & expendat, sintne omnia iuxta diuinæ legis regulas ordinata, diuinisque præceptis conformia, an aliter se habeant. Certissime enim mihi persuasum habeo, quod ex hac interiori mentis consideratione quamplurima animæ bona subsequentur. Sed si quæras, quonam modo poteris intra te ipsum hæc cogitando perquirere? breuissime tibi satisfaciens dico, quod sicut multas consumis horas tecum solus, cogitando de plurimis ad vitam temporalem necessarijs, & de rebus humanis discurrendo, per quamplurimos dies animum fatigas, eodem prorsus modo de rebus animæ cum ipsa anima pertractando aliquod temporis spatium percurras, & vias tuas cogitando perquiras, vt si pedes, hoc est, affectiones, & opera, per deuia peccatorum incedere conspexeris, in Dei testimonia, ac diuinæ legis viam conuertas. Ex quo infertur, quod qui ad sacramentalē peccatorum confessionem debite vult accedere, primum in seipsum
reuerti

ti debet, & omnem ante actæ vitæ rationem
nirere, vt quicquid contra Dei præcepta se co-
se inuenerit cogitatione, verbo, vel opere, id o-
palam, & distincte Sacerdoti exponat. Cum e-
peccatorum Confessio integra esse debeat, & Ia- Iacob. 3.
s Apostolus dicat, quod *In multis offendimus o-*
, necesse est, vt vnusquisque debita intra seipsum
entia omnia opera sua interiora, & exteriora co-
ndo disquirat, per dies, hebdomadas, ac menses
rrat, vt quo ad fieri possit, singula peccata in
tem veniant, debiteque confiteatur.
uanti mercenarij in domo Patris mei abundant pa-
s, ego autem hic fame pereo. Post debitum pec-
rum examen, & vitæ præteritæ exactam consi-
tionem, ad intimum peccatorum dolorem, o-
n, atque contritionem debet se peccator excita-
am ob causam, quia Deum parentem optimum
quit & despexit. Iuxta illud Ezechiæ, regis, *Re-*
abo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ Ezech. 38
. Cum vero peccata nostra, de quibus in amari-
ne animæ dolendum est, sint ea opera quæ cum
ctatione comisimus, & quorum voluptatibus at-
concupiscentijs ligamur, vt in earum odium in-
amus, dolentesque compumgamur, necesse est, vt
prodigo ad mentem reuocemus tum paternæ
nus abundantiam, gratiæ scilicet, charitatis, ac
rnæ quietis possessionem, & ea omnia bona, qui-
iam in hac vita abundant ij, qui Dei præcepta
eruant, ei obsequuntur, eius voluntatem adim-
nt. Et deinde eam interiorem egestatem, famem
ummam miseriam consideremus, in quę incidunt
ui in peccatis iacent, & quæ mala eos in futurum
ectent. Non enim adeo stupidi erimus, & nobis
s inimici, vt si hæc consideremus, non nos cum
lore pœniteat tot admisisse scelera, ac peccata per-
asse. Sicut enim si sæpe animo euoluas ea damna
ncommoda, quæ ab aliquo homine sunt tibi illa-
in eius odium continuo exardescis: Sic, inquit Basil. in
silius, si quis mente consideret quantorum malo- regul.

rum causæ atque auctores sint peccata nostra, ea o-
Psal. 118. disse necesse erit ac plurimum detestari, sicut Dauid
quando dixit, *Iniquitatem odio habui, & abominatus
sum.* Adeo autem nostra interest, assidue ea [mala &
damna quæ à peccatis proueniunt, mente euoluere,
vt ex Diui Augustini sententia, non solum pecca-
toribus ad debitam pœnitentiam peragendam ve-
niamque impetrandam sit summe necessarium, sed
etiam ipsis iam iustificatis, & gratiam ac misericor-
diam consecutis ad perseuerandum plurimum con-
August. in ducat. In quo sensu exponit idem Sanctus Augusti-
Psal. 75. nus, illud Psalmi, *Quoniam cogitatio hominis confite-
bitur tibi, & reliquiæ cogitationis diem festum agent
tibi.* Prima peccatorum cogitatio in eis inquirendis
versatur, vt ea debite confiteatur: quæ quidem cogi-
tatio damnat vitam priorem, ait Augustinus, cum
displicet quod erat, vt sit quod non erat, ipsa est pri-
ma cogitatio. Sed quia sic debes recedere à peccatis
prima cogitatione, confessus Deo, vt non tibi rece-
dat de memoria quod peccator fuisti, huius cogita-
tionis reliquijs diem festum Domino agis, cum &
coram & humiliter de te sentis, & ad agendas gratias
2. Reg. 12. excitaris.] Hoc Dauid ipse nobis suo exemplo de-
clarauit, qui licet ex prima illa peccatorum suorum
cogitatione summo dolore ac pœnitentia commo-
tus dixerit ad Natham, Peccaui Domino, & ob eam
intimam contritionem peccatique apertam confes-
sionem veniam ab ipso Domino meruerit obtinere,
tamen postea cum multitudinem miserationum ex-
posceret, & amplius se ab iniquitate lauari peteret,
Psal. 50. ait, *Quoniam iniquitatem meam cognosco, & peccatum
meum contra me* (id est coram me) *est semper.* Illæ
namque erant cogitationum reliquiæ, quæ Domino
diem festum agebant.

Surgam & ibo ad Patrem meum. Hanc peccato-
rum diligentem considerationem dolore, & pœni-
tentia commitatam sequi debet emendationis pro-
positum, & vitæ in melius commutandæ vehemens
desiderium: quod per hæc verba nobis declaratur,
[sur-

am & ibo ad Patrem meum.] Non enim vere
ata odio habet, & abominatur neque eorum fœ-
em, ac grauitatem cognoscit, qui firmissime non
m statuit ea pro viribus deuitare, & illico nõ di-
it eas occasiones, quæ illum ad peccandum ex-
nt. *Lucerna pedibus meis verbum tuum*, inquit Psal, 118.
uid, *& lumen semitis meis*, quia diuino gratiæ lu-
e illustrata peccatoris anima vias suas conside-
& quantum à salutaribus diuinæ legis vijs di-
it, clare cognoscit: & insúper quas deinceps
itis semitas sequi debeat, intelligit. Ex quo il-
sequitur, *Iuraui, & statui custodire iudicia iustitiæ*
. Quod firmissimũ propositum declarat, quo, qui
e ad Deum conuertitur, vitam in melius emen-
te disponit. Dum dolemus admissa, ait Ambro- Ambr. de
s, admittenda excludimus, & fit quædam de con- pœnit. l. 2,
nnatione culpæ disciplina innocentiæ.] Quæ cap. 10,
ro paruo nos dolore afficiunt, facile è memoria ex-
dunt, neque nimis curamus: at si dolor est vehe-
ens, eius apprehensio ab ijs nos abducit, quæ dolo-
m illum effecerunt. Verumenimuero antiqua &
ueterata peccandi consuetudo, ita animam liga-
m tenet, vt se ad resistendum in bonisque perseue-
ndum imbecillem esse arbitretur, atque hac pusil-
iminitate, & vecordia vehementer oppugnantur ij
ui à vita voluptuosa, vitijsque assueta ad meliorem
ugem reuerti disponunt. Quod Diuus Augustinus Aug. Con.
 seipso fuisse expertum declarat eo tempore, quo 8. cap. 11
d vitam cælibem summo effectu anhelabat. Deti-
ebant me, inquit, nugæ nugarum, & vanitates va-
itatum antiquæ amicæ meæ, & recutiebant vestem
neam carneam, & submurmurabant, Dimittisne
nos? & à momento isto non erimus tecum vltra in
æternum: & à momento isto non tibi licebit hoc, &
illud vltra in æternum.] & paulo inferius: Retarda-
bant me cunctantem abripere atque excutere ab eis,
cum diceret mihi consuetudo violenta, Putásne sine
istis poteris?] In hoc autem animæ conflictu ad di-
uinam spem est confugiendum, qua corrobata ani-

 ma non

ma non de suis viribus fidens, sed summa Dei Patris bonitate innixa, diuinum sibi non defuturum auxilium certissime confidit. Vnde & perditus filius in se reuersus dixit, Ibo ad Patrem meum.] Qua spe, (inquit Petrus Chrysologus) qua fiducia? qua confidentia? Illa qua Pater est. Ego perdidi quod erat filij, ille quod Patris est non amisit. Apud Patrem non intercedit extraneus: intus est in Patris pectore, qui interuenit, & exorat affectus.] Et hac sola spe fretus surrexit, & ad Patrem ire perrexit. Christianæ militiæ arma designans Diuus Paulus, spem galeam Salutis appellat, & causam reddit ita inquiens, *Sobrij simus, induti loricam fidei, & charitatis, & galeam spem salutis, quoniam non posuit nos Deus in iram, sed in acquisitionem salutis per Dominum nostrum Iesum Christum, qui mortuus est pro nobis.* Galea caput munitur, in capite autem cogitationes potissimum collocantur: cum igitur qui à peccatis exurgere, eaque omnino vitare deliberant, quamplurimis, vt dixi, cogitationibus oppugnentur, à praua consuetudine prouenientibus, quæ perseuerandi constantiam labefactare conantur, merito caput diuina spe, vt salutis Galea, præmunitur: spe namque erigitur anima, vt Deum sibi non defuturum certò sciat, quippe qui pro nobis sanguinem fudit, & pro nobis mortuus est, & resurrexit: quem etiam & apud Patrem aduocatum habemus, vt nobis gratiæ vigorem atque perseuerandi constantiam promereatur.

Chrysol. Serm. 2,

1. Thessa. 5.

Et dicam ei, Pater peccaui in cælum. Ecce oris verecunda humilisque peccatorum confessio, quæ ad perfectam veniam consequendam in adultis requiritur: quia quamuis per contritionem internumque animi dolorem peccata à Deo condonentur, & gratia acquiratur, adhuc tamen vnusquisque tenetur coram Sacerdote proprio ore seipsum accusare, conscientiæ vulnera detegere, illiusque sententiam humiliter acceptare. Quæ quidem oris confessio ideo primo, & præcipue Deo Patri fieri dicitur, quamuis coram homine fiat, quia Sacerdos licet sit homo, Dei

tamen

tunc vicem gerit, eius loco peccata & audit, soluit vel ligat. Vnde & diuino pene ac admi- miraculo efficitur, vt adeo sit illud iudicium im, talique sigillo obfirmatum, quod non solū, si vniuersus periclitaretur orbis, illud infrin- violare fas sit, sed diuina prouidentia Catholi- Ecclesiam gubernante id efficitur, vt quamuis us Sacerdotis, vel malitia, vel ignorantia con- nis sigillum frangi contingat, ei nulla fides ad- tur. Quare vehementer cauendum nobis est, stultam verecundiam, nos Diabolus mutos effi- cut & miserum illum hominem in hodierno gelio Christo oblatum: imo cum pœnitenti fi- ccata omnia sicut fuerunt perpetrata, proprio nfiteamur, & distincte explicemus, qui enim tum aliquod, quod confiteri tenetur, sponte at- ienter abscondit, & cæterorum, quæ fassus est, m non est consecutus, & insuper grauissimum peccatum commisit. Nouerat quidem Domi- ain peccatum, & tamen, vt adnotauit Ambro- um interrogauit: Vbi est Abel frater tuus? vt ore proprio culpam confiteretur, veniam pos- ipisci. Confessio enim, ait Ambrosius, pœna- compendium est. Est quædam in peccatis ve- dia, & pœnitentiæ portio crimen fateri, nec are culpam, sed recognoscere.] Et quid aliud Dominus per Michæam in spirituali intelligē- tendere voluit, cum dixit, *Decaluare, & tondere filios delitiarum tuarum, dilata caluitium tuum aquila*: quam nudam hanc & apertam peccato- confessionem? sicut enim aquila, vt renouetur, as ad solis radios expandit, & ex alarum percus- igne accenso omnes veteres plumas consumit, am coram Sacerdote peccator ita decaluatur, & etur, vt ne pilus quidem remaneat absconditus, ab ipso iustitiæ sole Christo Iesu charitatis ma in pœnitentis animam immittitur, qua pec- omnia absumuntur, & anima renouatur. Ca- dum etiam ne declinet cor in verba malitiæ ad

Ambr. l.2. de Cain. l.q.

Mich. 1.

 excu-

excuſandas excuſationes in peccatis: imo cum quis peccata recogitat, vt in amaritudine animæ ſit huiuſmodi cogitatio, circumſtantias omnes in mentem reuocet, non eas tantum, quæ ad integritatem Confeſsionis pertinent, ſed eas etiam quæ magis ad pœnitendum poſſunt inducere. Qui enim peccatum extenuat, non quale ſit quantumque malum cognoſcit, veniamque proinde difficilius impetrat. Sicut primo illi homini peccatori Adamo contigit, quem cum Dominus quæreret, & ab eo vbi eſſet, interrogaret, vt ſi tam ipſe quam vxor peccatum & agnoſcerent, & confiterentur, ſtatim veniam obtinerent, illi è contra ſe excuſantes, culpæ grauitatem minime tunc agnouerunt: vnde & Adamus in vxorem Euam, & quodammodo in ipſum Deum culpam reiecit, inquiens, *Mulier, quam dediſti mihi, dedit mihi de ligno, & comedi.* Eua autem de Serpente conqueritur, qui eam deceperat: in quo ſe non vere pœnitere declararunt, quare neque eo tempore remiſsionem ſunt adepti. Veri autem pœnitentis exemplar nobis in hoc adoleſcente ad imitandum proponitur, qui tantum abfuit, vt culpam ſuam extenuaret, vt etiam in cælum ipſum ſe peccaſſe omniaque cæleſtia contempſiſſe confiteatur. Quem & Publicanus ille ſedulo eſt imitatus, quando ad ianuam templi humiliter proſtratus, nec ad cælum oculos audebat attollere, indignum ſe reputans ob admiſſa ſcelera, vt ad cælum, cuius bona deſpexerat, cuius habitatores ſanctos Angelos quodammodo dolore affecerat, oculos leuaret. Namque ſicut gaudium eſt in cælo, vt Chriſtus Dominus dicit, coram Angelis Dei pro vno peccatore pœnitentiam agente; ſic etiam de hominum perditione ac ſceleribus quodammodo contriſtantur.

Geneſ. 3.

In cælum etiam ſe peccaſſe pœnitens hic confitetur quia ob admiſſa ſcelera in tantum Diuini numinis indignationem ſe incurriſſe arbitratur, vt ſi in ira ſua Deus miſericordias ſuas contineat, ita vt cælum hominibus æreum factum videatur, id omne

culpa

ſua fieri ſibi perſuadeat, atque ſibi imputet ſi
num preces à Domino non exaudiantur. Hanc
opinionem conceperat Dauid pœnitens, quan-
ter cætera ita Dominum deprecabatur: *Benigne
omine in bona voluntate tua Syon, vt ædificentur
Ieruſalem.* Meminerat namque eligiſſe Domi-
montem Sion, vt ſibi in eo templum ædificare-
ſſetque in Ciuitate Ieruſalem locus Sanctifica-
s, & habitaculi ſui: timens vero ne ob patrata
ina, quibus ſe grauiſſime diuinam maieſtatem
diſſe cognouerat, hæc diuina promiſſio præpe-
ur, locumque illum Deus deſpiceret, in quo ta-
Dauid ipſe commiſerat ſcelera, ipſummet Deum
iliter deprecabatur, vt ſua ipſius benignitate
orus Sion conſeruet, Ieruſalem tueatur, ab ea
me recedat, licet ſuis peccatis illud prome-
et. Pſal. 50.

t coram te. Cum enim oculi Domini in omni
contemplentur bonos, & malos, omniaque nu-
aperta ſint oculis eius, (vtpote, qui ſolus men-
cogitationes intelligat, & penetret) qui verè
itet, magno dolore, ac verecundia torquetur,
in ſeipſum reuerſus conſiderat, coram diuinæ
eſtatis oculis ſe turpiter non ſolum opere, ſed,
ente ſæpius deliquiſſe. Prauum, & inſcrutabi-
deo eſt cor hominis, vt neque Dæmones, neque
geli virtute ſua naturali illius ſecreta rimentur,
are enim Euangeliſta ſanctus Lucas Chriſtum Luc. 11.
minum à perfidis Phariſæis intra ſemetipſos
murantibus ac in corde dicentibus, quod in
lzebub Dæmoniorum Principe Dæmones eijce-
Deum eſſe verum vellet aperte demonſtrare, ait,
lens autem cogitationes eorum dixit, quod quidem
ius eſt Dei. Diuus Baſilius otioſas, ac vagas mentes Baſil. in
ortans, vt circa neceſſaria cogitando occupentur, reg. breu.
ioſa eſt autem, inquit, mens & curæ expers ex eo q. 21.
a nō credit Deum adeſſe, qui ſcrutatur corda & re-
s. Si enim hoc crederet, faceret omnino quod dictū
: *Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper.*
Nam-

Namq; qui sępe ad memoriam reuocauerit, se coram Deo existere, qui cunctos gressus eius atque cogitatus dinumerat, & de præteritis confuadetur, & ad futura cautior erit, ne purissimos diuinæ maiestatis oculos offendat. Diogenes ille Cynicus conspiciens in templo mulierem inhonestius dijs procidentem, illi dixit, Non vereris mulier, ne forte stante post tergum Deo (cuncta enim plena sunt ipso) inhoneste te habeas?

Dioge.

Et surgens abijt. Statim atque decreuit, menteque concepit firmum surgendi, & ad Patrem redeundi propositum. Non mansit, inquit Chrysostomus, sed totum iter transiuit.] Qui enim sæpius se emendaturum proponit, & opere non exequitur ea, quæ ad vitæ emendationem sunt necessaria, seipsum decipit, sibi mentitur, & non Deo. Si igitur libero tuo arbitrio vt perperam à Deo parente optimo recederes, vsus es, eodemmet arbitrio diuinæ motioni acquiesce, & à peccatis exurgens ad eum redire festina. ipse qui dat velle, & humanæ imbecillitatis fragilitatem agnoscit, dabit & perficere pro bona voluntate, si vnusquisque id quod ex parte sua requiritur, exequatur. Quare, Charissimi, Deum ipsum Pijssimumque parentem, à quo peccando recessimus, & cuius oculos effugere requirimus, cum Sancta Ecclesia in sacro hymno deprecemur, Dans tempus acceptabile, & pœnitens cor tribue, conuertas vt benignitas, quos longa suffert pietas, Amen.

Chrysost.



SER-

RMO QVARTVS, n Dominica Quarta.

autem adhuc longè esset, vidit illum ıter ipsius, & misericordia motus est: & currens cecidit super collum, & oscula- s est eum, &c. Luc. 15.

Q Vartam aggredimur Parabolæ partem, lætam quidem, & humanis auribus satis gratam, quia immensam illam Dei nostri misericordiam in peccatoris receptione ob oculos proponit, illius benignissimi Patris plo, qui redeunti filio, & adhuc longe posito ac- t, & misericordissime eũ suscepit. Deum Paren- ostrum Diuus Paulus non vnius tantum mise- diæ, sed misericordiarum Patrem appellandum udicauit: quod quidem multis in hac parabola ditur. Imprimis enim filij inobedientiam mi- rditer pertulit: eadem ductus misericordia, atque egestate voluit eum torqueri, cum sub liP rincepe profugus deseruiret, vt inde in sei- reuerteretur: eius misericordia illustratus, mi- ı in quo iacebat statum agnouit, dolore est unctus, & reditum exoptauit: eadem præue- e misericordia adiutus, quod exoptauerat, opere ecutus, atque pœnitentiæ viam ingressus, ad m perrexit. Nunc vero misericordiarum ma- ı multitudinem exhibuit, quando peccatorem ı tanta benignitate recepit, & in pristinum lo- summo gaudio restituit.

pportuna quidem hæc se nobis offert materia actanda in hac Dominica quarta, quam Eccle- ncta inter pœnitentiam fletus, ieiunij tristitiam, torum dolorem, lætioribus cæremonijs atque cis celebrandam decreuit. Cuius ratio ea vide- sse, vt eam lætitiam in terris testatam reddat qua in

in cælis filiorum perditorum ad Patrem misericordiarum hoc tempore reditus celebratum, qui veri pœnitentes diuinæ in seipsis misericordiæ magnitudinem experiuntur, cum eos ad pristinum gratiæ statum restituit multisque alijs beneficijs afficit. Ad hoc euidentius comprobandum celebrem illam Euangelij historiam elegit, qua enarratur (non tantum à Diuo Ioanne sed & à cæteris tribus Euangelistis) illud satis magnum miraculum quando Christus Dominus in deserto ex quinq; panibus duobusque piscibus quinque milia hominum satiauit: quæ omnium Euangelistarum ore fuit decantata, & minutissime exposita, licet Missæ Euangelium à solo Diuo Ioanne fuerit acceptum. Namque in hoc diuino miraculo non solum diuinæ omnipotentiæ vis, & potestas explicatur, sed euidentissime etiam eius immensa bonitas ac misericordia commendatur circa eos qui illum sequuntur. Abijt igitur trans mare Galilææ, per desertum est ingressus, & tunc montem ascendit, & ibi sedebat quietus cum discipulis: vt ostenderet, inquit Rupertus, quomodo ipsemet per amarissimum atque rubrum suæ passionis mare, superatis laborum atque tormentorum fluctibus, nobis ad æternam quietem viam aperiebat, & gloriæ satietatem promerebatur. Sequebatur eum multitudo magna ex itinere defatigata, & maiori ex parte peccatis oppressa, omnes tamen Christum quærebant, & vt verbum eius audirent, & quia videbant signa qua faciebat super ijs, qui infirmabantur. In hanc multitudinem cum oculos subleuasset, misericorditer respexit, deque eorum subleuanda fame agere cœpit, quod post cælestem doctrinam infirmitatumque curationem opere compleuit. Quibus omnibus deinceps palam manifestum omnibus esse voluit, ait idem Rupertus, quod illi, qui ad Deum à peccatis redeunt, & culpas agnoscentes amarissimum pœnitentiæ pelagus, dolorisque asperitatem, quasi desertum, pertranseunt, vt Christi doctrinam amplectantur, animæque salu-

Ropertus Abb. super Ioan.

acquirant, abundantius eis omnia præstantur, & a, quæ omne desiderium superant, consequun- Videtis sane quam apte atque dilucide hæc lierni Euangelij verba ea, quæ ex parabola tra-nda occurrunt, exponant & exornent.

Cum adhuc longe esset, vidit illum Pater, & misericordia motus est. Christus item in culmine mon-s positus, eleuans oculos cum vidisset multitudi-em magnam per desertum à longe venientem, mi-ertus est eorum, vt ait Diuus Marcus: peculiaris enim ille aspectus, misericordiæ, ac benignitatis est signum. Veruntamen Diuus Augustinus quærit, quod si oculi Domini in omni loco tam bonos quam malos contemplantur, quomodo de Deo Patre nostro dicitur in parabola, Vidit illum Pater? Cui respondet, quod impios, & superbos conuenienter non videre dicitur, tamquam ante oculos non haberet: ante oculos enim haberi non nisi qui diliguntur, dici solent. Ex quo fit, vt ab impijs oculos auertere, iustos autem respicere Deus sæpe in scriptura dicatur. Ipse igitur misericordiarum Pater tunc primum ad miserendum commouetur, quando in peccatorem adhuc in peccatis iacentem oculos misericordiæ conijcit, atque internis inspirationibus ad resipiscendum commouet. Pater vidit illum, vt & ille Patrem posset attendere, inquit Chrysologus, Patris visus illustrauit filij venientis aspectum, vt tota fugaretur obscuritas, quæ circumfusa fuerat de reatu.] Ab illismet oculis non solum lucem, qua per viam incederet, sed & vires ad percurrendam accepit: tanta enim est naturæ nostræ imbecillitas, summaque miseria, vt qui in peccatum facillime prolabi, & à Deo recedere nostramet voluntate possumus, exurgere, & reuerti absque diuino, & speciali auxilio minime valeamus. Ita Diuus August. expendit illud Dauidicum *De profunctis clamaui ad te Domine.* Idoneus est, inquit, homo ad casum, non est idoneus ad resurrectionem. Quisquis se in pro-

August. de quæst. Euan: l, 2 q. 33,

Serm. 3.

August. in Psal. 129.

profundo intellexerit, clamat, suspirat, gemit, donec de profundo exaudiatur, & veniat ad eum, qui
Ser. 81. super Cant. sedet super Cherubim.] Hoc ipsum Bernardus affirmat inquiens: Peccato factum est, vt corpus quod corrumpitur aggrauet animam, sed amore, non mole. Quo pondere voluntas depressa, & terræ inhærens non potest suismet viribus ad cælestia diligenda subleuari, vtpote quia imbecilla & consuetudine ligata. Est namque, ait Bernardus, vis quædam premendo blandiens, & blandiendo premens; à qua voluntas per seipsam se liberare non valet. Hinc pœnitens
Isa. 38. Ezechias ad Dominum clamat cum lachrymis dicens, Domine vim patior: responde pro me. at cum hanc vim culpa sua perpessus fuerit, addidit, Quid dicam, aut quid respondebit mihi, cum ipse fecerim? Premebatur (Bernard. inquit,) iugo, non alio tamen quam voluntariæ cuiusdam seruitutis: & erat pro seruitute quidem miserabilis, sed pro voluntate inexcusabilis.] Quapropter Dauid præuenientem Dei Misericordiam sibi summe esse necessariam con-
Psal. 58. fessus est, cum dixit, *Et misericordia eius præueniet me.* Sicut & Christus Dominus multitudinem hanc longe venientem misericorditer aspexit, & Pater filium; cum adhuc longe esset, & vidit, & misericordia mo-
Chrysol. Ioan. 6. tus est, ipsique occurrit: quia, vt adnotauit Chrysolo: ad Deum sine ipso Deo minime peccator potest peruenire. *Nemo enim venit ad me*, ait Christus, *nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.*

Et accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum. Quantum hæc verba sonare videntur, ait
Guer: ser. 2 de quadra. Abbas Guerricus, tardius videbatur Patri filio veniam dedisse, quam illi, accepisse: sic festinabat absoluere reum à tormento conscientiæ suæ, quasi plus cruciaret misericordem compasio miseri, quam ipsum miserum pasio sui.] Nonne Christus Dominus hoc suo exemplo satis comprobauit, quando in deserto positus (quo abierat vt tam sibi quam discipulis aliquam corporis quietem concederet) inde in miseram ac fame defatigatam multitudinem oculos
con-

nijciens, misericordia permotus, propriam defatitionem ac famem non curat, quietem negligit, & illorum famem subleuandam discipulos excitat, que miseris, vt opem ferat, lætus occurrit. At quo miserabiliores sunt peccatorum animæ, eo magis eaum Dominus miseretur, & maiores bonitatis diuitias, vt eos ad se pertrahat, ostendit. Quod Diuus Chrysostomus super illa verba Psalmi, Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam, expendens, inquit, Dixisti magnam, edicito quantam. Quanta sit nescio, quod grandis est, noui. Video namque fructum misericordiæ grandem. nisi enim in immensum excederet, admodum pauci saluarentur. Miserere mei Deus. O portus omni tempestate carens: ô portus omni tranquillitate plenus.] Si es auarus, publicanum attende; si libidinosus, Peccatricem mulierem, si homicida; Latronem cum Christo crucifixum, si blasphemus, Diuum Paulum, pluresque alios peccatores ob oculos propone, in quibus diuinæ misericordiæ magnitudinis nobis exempla sunt exhibita. Est enim peccatum, inquit Chrysostomus, ad Dei misericordiam, tela araneæ, quæ vento flante nusquam compareat.] Hanc diuinæ misericordiæ magnitudinem incomprehensibilem aliqua ex parte nobis per hæc, quæ Pater circa filium redeuntem peregit, explicari certum est. Imprimis enim occursus ille adeo velox, quid aliud ostendit, quam summum illud desiderium salutis nostræ toties in sacris literis decantatum? qui enim vehementer alicuius aduentum desiderat, eidem venienti festinus occurrit, sicut senex Tobias fecit, cum audito filij aduentu, consurgens cæcus pater, cœpit offendens pedibus currere, & data manu puero, occurrit obuiam filio suo. Cum autem additur, Cecidit super collum, adeo proprium Dei esse misereri semper, & parcere ostenditur, vt quasi naturali motu videatur ferri cum misericordiam exhibet, atque sicut lapis ad centrum proprio ac naturali pondere defertur, ita Dominus suamet misericordia ad miserendum

Chryso. in Psal. 50.

Tob. 11.

 inclina-

Petr. Chrysol. inclinatur. Cecidit, inquit Chrysologus, vt amoris onere, onus tolleret peccatorum.] Et Ambrosius; Ambr. super Luc. Cecidit super collum, vt iacentem erigat, & oneratum peccatis atque in terrena deflexum, reflectat ad cælum.] Et osculatus est eum, quod magnæ benignitatis suauissimique amoris est signum. Quare senex Isaac cum caligantibus oculis filium benedicere Gen. 27. vellet, prius ei dixit: *Da mihi osculum fili mi. & accessit, & osculatus est eum.* Ideo Chrysologus recte dicit, delicta non vidit vis amoris, & ideo pater pec- Chrysost. cata filij redemit osculo.] At Chrysostomus aliter huius osculi causam assignans ait, Osculatur os, per quod confessio pœnitentis exierat, quam pater lætus exceperat.] Quare cum multis locis ostendat Diuus Augustinus duplicem reperiri in sacris literis confessionem, peccatorum videlicet, & laudis, quando vel diuinas perfectiones, vel collata in nos beneficia decantamus ac pro illis gratias agimus, adeo tamen Dominus de vera ac humili peccatorum confessione lætatur, vt eam etiam pro summa bonitatis suę August. de Verb. Do. Serm. 7. laude ducat. Pia est, inquit August. vtraq; confessio, siue cum te reprehendis, siue cũ illum laudas, qui non potest habere peccatum. Si autem bene cogitemus, reprehensio tua, laus ipsius est.] Quod ex eo probat, Ecclesi. 17. quia iuxta scripturã, *A mortuo quasi nihil* (vel quasi nõ sit vt ipse legit) *perit confessio*, qui enim in peccato mortuus est, quasi nihil & quasi non sit reputatur, vt superius diximus, & est mortuus, quia à Deo, qui vita est, separatur. Quod si peccata debite confiteatur, ab ipso Deo ad vitam reuocatur, ac viuus eius potentiam ac bonitatem ostendit. Ergo, infert, in confessione sui accusatio, Dei laudatio est.] Et notandum quod prius osculatus est Pater filium pœnitentem, quam ipse ad confessionem os aperiret, vt etiam diuinæ gratiæ effectum esse intelligamus, quando debite, & pure ac sincere peccata nostra sacerdoti confitemur : quam gratiam humiliter ab ipso Deo ante confessionem debet vnusquisque annixe postulare, atque cum Dauide dicere: Domine labia mea aperies

& os

s meum annunciabit laudem tuam.] Laudem m, inquit Augustinus, quia creatus sum: laudem m, quia vt confiterer iam monitus sum: laudem am, quia peccans non derelictus sum. August. in psal. 50.

Pater, peccaui in cælum & coram te: non sum dignus ocari filius tuus. Ecce peccatorum confessio, quam ntea animo conceperat. At simul etiam decreue- at Patri dicere, Fac me sicut vnum de mercenarijs uis,] quod tamen minime dixit. Quod si pœniten- tis animum attendas, duplici ratione permotum fuisse dixerim, vt vltra humilem confessionem nihil adderet. Primo, quia, cum iam satis experimento didicisset, quantum sibi damnum intulisset ex eo, quod se sibi commisisset, suoque arbitrio & non patris iudicio, ac prouidentia gubernandum tradidisset, cum iterum paternam beneuolentiam cœpit experiri, totum se illi submisit, neque quid sibi deinceps agendum esset, etiam ad recte viuendum, ex proprio iudicio, seu voluntate voluit statuere. Humiliamini, inquit Diuus Petrus, sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore visitationis, omnem sollicitudinem vestram proijcientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.] In quot præcipitia atque perturbationum barathra incidunt quamplurimi, ob id quia licet à peccatis abstineant, à proprio tamen spiritu se abduci atque gubernari sinunt, & cum quid sibi eligendum sit, ignorent, facillime ruunt, & à vera virtutis via quam longissime abeunt. Quocirca qui securus cupit incedere, spiritualem Patrem prudentem quidem atque expertum adeat, cui posteaquam omnem anteactæ vitæ rationem palam exposuerit, eius se iudicio subijciat, eius mandata tamquam diuinitus inspirata sedulo exequatur. Talem sibi Diuus Augustinus Patrem atque magistrum legisse fatetur diuinitus inspiratus, quando iam ad Catholicam fidem interius conuersus, & præteritorum satis pœnitens, de ratione instituendæ vitæ dubitabat: adijt namque sanctissimum senem Simplicianum, qui à iuuentute sua deuotissime Deo viuebat, & tam

1. Pet. 5.

Confes. 8 ca p.

longa ætate in tam bono ſtudio ſectandæ vitæ perfe-
ctæ multa expertus, multa edoctus erat. Vnde & cum
illo vitæ ſuæ æſtus contulit, eiuſq; conſilium perqui-
ſiuit: quiſnam eſſet modus viuendi ſic affecto, vt
ipſe tunc erat, ad ambulandum in via Dei. Videbat
namque Auguſtinus Eccleſiam plenam, & in ea a-
lius ſic ibat, & alius ſic: cum igitur ſe totum tanti Pa-
tris magiſterio tradidiſſet, eiuſque conſilijs proprium
intellectum ac voluntatem ſubdidiſſet; inde effe-
ctum eſt vt ad altiſsimum perfectionis Euangelicæ
gradum à Domino proueheretur, & huius perfe-
ctionis regulam non ſolum ipſe perfectiſsime obſer-
uaret, ſed & multis alijs ſeruandam traderet. Altera
deinde ſe offert ratio cur cætera prætermiſerit: ex il-
lis namque paternæ benignitatis indicijs, & ex illa
ineffabili charitate, quã primis labris in oſculo degu-
Pſal. 50. ſtauerat, animum ad altiora erexit, & multo potiora
ſibi fore ſperanda exiſtimauit. Hoc Dauid pœni-
tens nos edocuit, quando poſt illa verba, Aſperges
me Hyſopo, & mundabor, lauabis me & ſuper niuem
dealbabor, (in quibus diuinæ miſericordiæ magni-
tudinem teſtatam reddit ex eo, quia per hyſopi aſper-
ſionem externaſque & facillimas ablutiones, quibus
ſe in pœnitentiæ ſignum ſanctificandum iuxta præ-
ceptum legis præſentauerat, à tot peccatorum ſordi-
bus interius ſe adeo ablutum ſenſerat, vt niuem i-
pſam candore excederet) in tantam deinde ſpem
4. Reg. 2. erectus eſt, vt triplicem Spiritum petere non dubita-
rit, Rectum nimirum, ſanctum, & Principalem: Cum
tamen Eliſæus à Deo mirabiliter electus duplicem
tantum Eliæ ſpiritum auderet poſtulare.

Si vero Patrem filium tam benigne recipientẽ at-
tendamus, ipſe filium præoccupauit, & poſt humilem
confeſsionem vlterius progredi non eſt paſſus, vt
quam grata ſibi talis confeſsio exiſtat palam faciat.
Sæpiſsime enim fit, vt per illum dolorem, ac vere-
cundiam, quam pœnitens in confeſsione patitur, non
ſolum à culpæ reatu emundetur, ſed & pœnarum o-
mnium plenam remiſsionem obtineat, vtque gratiæ,
& diui-

uini amoris abundantiam consequatur. Hoc
iunt illa Diui Pauli verba, post quam palam pro- 1.ad Tim.1.
is est se prius fuisse blasphemum, persecutorem,
ontumeliosum : quibus addidit, *superabundauit*
m gratia Domini nostri cum fide & dilectione, quæ
n Christo Iesu. Huius rei præclarum exemplum
rt Diuus Ioannes Climacus in sua spirituali sca- Clima.
Contigisse namque ait, vt facinorosus quidam
o Monachorum Cœnobium in Ægypti desertis
m adiret, atque religionis habitum postularet:
us spiritum vt Abbas iuxta Apostoli doctrinam
bare vellet, vtrumnam ex Deo esset, eundem ante
nasterij ianuam per multos dies permanere iussit.
ius cum perseuerantiam iam satis esset expertus,
mplius animum pertentaret, ei dixit, quod si in-
fratrum numerum recipi vellet, prius in eorum
uentu publice peccata omnia deberet confiteri,
licamque pœnitentiam peragere, qui respondit
ion solum esse paratum ad ea ibi confitenda, sed
a iuberet, in ciuitatis Alexandrinæ medio omnia
le patefacere. Conuocatis igitur ad Ecclesiam
tribus omnibus, in conspectu eorum est introdu-
s, cilicio indutus, cinere capite aspersus, & coram
itus, genibus flexis, oculis ad terram demissis, lar-
que lachrymantibus ad Abbatis iussum omnia
eactæ vitæ scelera grauissima, homicidia nimi-
n, latrocinia, adulteria, stupra, innumeraque alia
am summa & verecundia, & ingenti dolore con-
us est. Eo vero tempore, vni ex illis sanctissimis
ibus per visum ostendit Dominus virum quendam
tam astantem, atque manu chartam gestantem, in
a omnia ea peccata erant descripta, qui statim at-
e pœnitens ille ore aliquod ex illis proferebat, illud
charta delebat, peractaque confessione omnia ita
paruerunt deleta & expuncta atque si nunquam
i fuissent exarata. O immensa Dei nostri bonitas,
ineffabilis benignitas : ô inexhaustum misericor-
æ pelagus! Inobedientem atque perditum filium,
ii vt inter mercenarios connumeraretur, non est

ausus petere, clementissimus Pater in pristinum filij locum non tantum restituit, sed & maioribus bonis exornauit. vnde & sequitur:

Dixit autem Pater ad seruos suos, cito proferte stolam primam & induite illum. Vbi primum cum Diuo Chrysostomo, perpende quod licet filius Patrem alloqueretur, ipse tamen pater ad seruos conuertitur, & eorum ministerio filium restituit, & exornat. Peccator namque, qui culpas sacerdoti confitetur, præcipue cum Deo loquitur, & quamuis ab ipso Dei ore responsum non audiat, Deus tamen per sacerdotum ora & manus peccatorum absolutionem, gratiæque sanctificationem impertitur, sicut videre licet in hoc conuiuio à Christo Domino in deserto exhibito: ipse enim sua diuina virtute panes ac pisciculos benedixit, ipse ea omnia multiplicauit: at per Apostolorum manus hæc multiplicatio facta est, & per eas turbæ sunt satiatæ. Quoniam Sacramentorum auctor, & institutor solus est Christus, ipse vero per Sacerdotum ministerium mirabiles gratiæ & sanctificationis effectus intrinsecus in anima operatur. Prima vero stola illud est gratiæ & charitatis donum, quod vnusquisque baptizatus in baptismo recipit, quo etiam anima pulchra redditur, & exornatur: quam quidem primam stolam peccator per peccatum amittit, & nudus atque deformis diuinis oculis apparet. Hoc apposite in græco articuli explicare videntur, Afferte illam stolam, illam primam: illam, inquam, quam Prodigus sponte amisit, cum à Patre recessit. Cuius typum gessit talaris illa tunica atque Genes. 37. polymita, quam fecit Iacob filio Ioseph vnice dilecto. Cum enim Diuus Paulus dicat charitatem Dei in corda per spiritum sanctum diffundi, & spiritus sanctus sit ipse diuinus amor, recte sequitur Deum parentem nostrum benignissimum, suomet amore ductum, pulcherrimam gratiæ, & charitatis stolam illis, quas sanctificat, animabus concedere, sine qua nudæ, & deformes ante illum adeo reputantur, vt cum vnaquæque anima ante illum ad iudicium sistitur

tur, in hanc vestem primo oculos conijciat, & quam animam exutam conspicit, ab æterno gloriæ conuiuio foras reijcit, illis vtens verbis: *Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* Et Diuus Paulus de corporum gloriosa resurrectione disserens, quam vnusquisq; fidelium fide, & spe futuram exspectat, addit, *Si tamen vestiti & non nudi inueniamur.* 2.Cor.5.

Date annulum in manus eius. Annulum hunc Hieronym. & Ambros. & plerique alij fidem viuam, gratia, & charitate decoratam interpretantur. Annulus namque mutuæ inter sponsum & sponsam fidelissimæque dilectionis est signum. Quare licet per peccatum fidei habitus non amittatur (vt iam alibi dixi) fidei tamen pulchritudo omnis, & ornatus deperditur, & sponsæ dignitate anima spoliatur. Cum vero diuino beneficio ad paternam redit gratiam, fides reuirescit, deperditum decorem recuperat, desponsatio reformatur. Neque prætermittendum cum Hieronym. & Beda, expressisse patrem vt in manu annulus collocaretur: vt scilicet edoceret, non otiosam debere esse fidem, postquam gratia & charitate decoratur: Diuus namque Paulus fidem, quæ per charitatem operatur, apud Deum in pretio haberi affirmat, non autem desidem & otiosam, quippe quæ diu permanere viua non possit. Merito igitur Ecclesia Catholica tertiam sacramenti Patientiæ partem satisfactionem assignat, vt Ieiunijs, eleemosynis, orationibus, cæterisq; bonis operibus non solum pœnarum remissionem assequamur, sed vt charitas conseruetur, & indies magis ac magis augeatur. Sicut enim ad ignem conseruandum materia apta debet continuo adhiberi, alioquin facile extinguitur: sic vt fides ignem charitatis foueat, operibus ex eadem charitate profectis debet nutriri & exerceri. Galat. 5.

Et calceamenta in pedes eius. Calceamenta, inquit Chrysostomus, ex animalium pellibus confecta, deprauatæ voluntatis atque concupiscentiæ mortificationem significant: quibus veluti pedibus anima ad

ad mortem deducitur, quę vere pœnitens comprimere debet, atque in seipſo occidere, & mortificare, vt per ſalutis viam ſecurus incedat. Quarę Diuus Paulus de ſpirituali animæ reſurrectione per viuam fidem verba faciens, continuo ſubiunxit. *Mortificate ergo membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiſcentiam malam &c.*

Coloſ. 3.

Ambroſ. *Et adducite vitulum ſaginatum, & occidite.* Ambroſius, Bene carnem vituli, quia ſacerdotalis eſt victima, quæ pro peccatis fiebat.] Sanctum igitur exprimitur ſacrificium corporis, & ſanguinis Chriſti Domini pro nobis in cruce oblatum, & in ſacra Euchariſtia pœnitentibus poſt debitam peccatorum confeſsionem, ac pœnitentiam in Eccleſia præparatum, & exhibitum. Vitulus enim ille, inquit Auguſtinus, & offertur Patri, & paſcit totam domum.] Seruis præcipitur, vt vitulum deferant, & occidant, & conuiuium præparent, quia per ſacerdotum manus hæc ſalutaris victima, & Deo Patri offertur, & fidelibus miniſtratur.

Auguſt.

Manducemus, & epulemur: quia hic filius meus mortuus erat & reuixit &c. Quoniam paternus ęſt, eſt cibus ſalus noſtra, ait Ambroſius, & Patris gaudium noſtrorum redemptio peccatorum,] quod quidem ſummum Dei noſtri amorem declarat: adeo namque ſalutem noſtram deſiderat, deque ea lætatur, ac ſi illi ex ea aliquid accreſceret, cum noſtra ſolum interſit. Vt enim à ſemetipſo miſericordiæ atque liberalitatis exercendæ occaſiones acciperet, ſalutem noſtram cibum ſuum, commodum, & gloriam arbitratur. Ad hunc modum Diuus Chryſoſtomus, illa Pauli verba expendit. *Diues*, inquit Paulus, *in omnes qui inuocant illum: omnis enim qui inuocauerit nomen Domini ſaluus erit.* Vides, ait Chryſoſtomus, quomodo Deum ſalutis noſtræ cupidum oſtendat? ſiquidem illam diuitias ſuas peculiares æſtimat, ita illi iam vt nihil habeant cauſæ, quæ vel deſperent, vel ſi reſipiſcere voluerint nullam ſe reperturos veniam arbitren-

Ambroſ.

Rom. 10. Chryſoſt. hom. 17.

rentur. Qui enim peculiares suas putat esse as, si nos saluet, ditescere non cessabit: nam & ant diuitiæ, quod donum suum in omnes effun- Quare tunc se epulari atque gaudere profite- um hominibus gratiæ, & gloriæ dona largitur. n.

ERMO QVINTVS, n Dominica Passionis.

autem filius eius senior in agro: & cum eniret, & appropinquaret domui, audi- it symphoniam, & chorum, &c. Luc. 15.

AD quintam atque vltimam deuenimus nostræ Parabolæ partem, quæ senioris at- que frugi filij querelam de benigna ac læta prodigi fratris à Patre susceptione, e condignam Patris satisfactionem continet, in etiam tota parabolæ ratio atque finis explicatur. nque vt in primo sermone breuiter adnotaui- , in Pharisæos præcipue hæc parabola à Domino proposita, qui cum se iustos arbitrarentur, aduer- um murmurabant, quia peccatores ad se venien- benigne recipiebat. Quare per hunc seniorem rem imprimis Pharisæi ipsi intelliguntur, qui de nnocentia ac sanctitate se nimium iactabant, tamen longissime à vera sanctitate abessent: ide ad eos etiam accommodari potest, qui licet sint iusti, & innocentes, aliquando tamen igno- i zelo seu æmulatione ducuntur in eos, qui pec- palam commiserunt, cum diuinæ misericordiæ litatem qua eos pœnitentes recipit, considerant, ipsis eos facit æquales. Vt enim optime adno- t Chrysostomus, & post eum Theophylactus, non c inferri potest, iustos ac innocentes viros inui- Chrysost.

 diæ

diæ morbo laborare, sed vt diuinæ misericordiæ magnitudo exaltetur, tantam circa peccatores esse declaratur, cum ex sceleratissimis sanctissimos facit, vt si salua innocentiæ puritate iusti possent esse inuidi, ob hanc causam maxima commouerentur inuidia. At Pharisæi, qui se iustos esse arbitrabantur, & sanctitatem solum exterius profitebantur, tanta inuidia ac liuore tabescebant, vt inde immane odium in Christum conciperent, deque eo occidendo consilium sæpe inirent. Cum vero Christus Dominus eos solum peccatores tanta benignitate receperit, qui propria agnoscentes scelera eaque detestantes ac relinquentes, eius misericordiam implorabant, hinc euenit vt sacrosancta Ecclesia, quæ etiam filiorum perditorum curam gerit sollicitam, omnibus quibus potest medijs vtatur, vt eos ad salutis viam reducat. Quare cum hoc præcipue tempore, quod à septuagesima initium sumpsit, ad pœnitentiam Christianum populum excitare desideret, multa ob oculos proponit, quæ peccatores in peccatorum cognitionem, ac detestationem possunt inducere. Adami pœnam inobedientiæ peccatum exposuit, in quo, cum & omnes ex eo originem ducentes peccauerimus, similibus pœnis subiacemus. Mundum omnem in diluuio aquarum submersum in scelerum vindictam ennarrauit. Abrahami peregrinationem, Iacobi labores, filiorum eius in Iosephum inuidiam, atque Ægyptiacam captiuitatem retulit: multaque alia ex Euangelica historia, per hæc tempora proposuit, per quæ, vel ea quæ per peccatum amittantur bona, vel quæ acquiruntur mala tam interiora quam exteriora, vel quæ in futurum reseruantur damna, exponuntur. quare partim aspera proponendo, partim blandis alliciendo peccatores filios in vitiorum odium, & veniæ fiduciam, quibus potest medijs excitat. Sed quamuis ea quæ hactenus ad hoc efficiendum adhibuit, magnam habeant vim, illa tamen quæ ab hac Dominica Passionis dicta, & deinceps vsq; ad Sanctum Pascha nobis ob oculos proponit,
vehe-

ementius in peccata nostra exurgunt, eorumque
iitatem sicut supra modum exaggerant, ita etiam
naiorem reconciliationis & misericordiæ spem
nium erigunt. Quid enim (vt Diui Leonis Papæ
bis vtar) inter omnia opera Dei, in quibus hu-
næ admirationis fatigatur intentio, ita contem-
tionem mentis nostræ oblectat & superat, sicut
io Saluatoris? Qui vt humanum genus vinculis
rtiferæ præuaricationis absolueret, & Diabolo
entiam suæ maiestatis occultauit, & infirmita-
i nostræ humilitatis objecit.] At licet maiesta-
, vtpote pati posset, occultauerit, vitæ tamen in-
entiam ab omnique peccati labe immunem ad-
estatam esse voluit, vt apud ipsos, qui illum sum-
odio persequebantur, vitæ examen subire non
itauerit, quando in eorum medio constitutus, in
omet templo Ierosolimitano eis dicebat, *Quis ex
bis arguet me de peccato?* arguet, idem est atque
uincet, quasi dicat, vitam ac mores meos sedulo
eruatis, omnia opera mea magna diligentia
cutitis, doctrinam publice auditis: si ergo me de
quo peccato potestis conuincere, in medio ve-
m sto, coarguite, & conuincite me. Quod
ocentissimæ vitæ suæ euidentissimum docu-
ntum, ideo Dominus coram ipsis inimicis ex-
uit, quia cum sciret eos iam secum decreuisse
m quibus modis possent occidere, voluit vt ipsi-
t prius de eius innocentia iudicium ferrent, pa-
nque vniuerso orbi fieret eum non ob culpam
quam suam morti fuisse adiudicatum: vt inde
usquisque fidelium secum cogitet, animoque re-
luat, quod si Vnigenitus Dei filius pro nobis ho-
factus, crudelissimæ mortis iudicium subiuit,
m ab omni culpa adeo esset liber, vt neque ini-
corum lyncei oculi aliquam licet minimam in
potuerint reperire, eam mortem ob nostra
nium scelera fuisse perpessum, nobisque il-
n pœnarum acerbitatem esse debitam qui
de

Leo Serm. de passion.

Ioan. 8.

de multis peccatis coargui, & conuinci possumus. 2. Cor. 5. Diuum Paulum Corinthijs hæc exponentem audiamus. *Deus, inquit, erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum & posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo igitur legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. Eum, qui non nouerat peccatum pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso.* Vt ergo Deus Pater in peccatores iuxta diuinæ iustitiæ rigorem non desæuiret, & eis reconciliationis ianuam aperiret, in filium innocentem peccata quodammodo transfudit, eumque pro nobis peccatum, hoc est peccati expiatorium sacrificium fecit, & pœnarum acerbitatem in eum transtulit, vt per illum reconciliationem, ac iustitiam consequeremur. Quod autem ex acerbissimis Christi Domini doloribus innumerisque tormentis quam grauia sint nostra crimina, & quali vindictæ subiaceant, euidenter conuincatur, ostendunt illa ipsius Domini verba, quando ad montem Caluariæ crucem portans, & spinis coronatus im- Luc. 23. manissime deductus, videns mulieres Ierusalem ad miserationem commotas & collacrymantes, ad eas conuersus, dixit, ne super illum flerent, sed super seipsas ac super filios suos, ob imminentem super eos diuinam vindictam, Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?] Seipsum ligno viridi comparauit ob innocentiæ virorem: sicut enim viride lignum non est igni materia apta, & flammas à se reijcit, aridum autem ad suscipiendum ignem debite est dispositum: sic Christi Domini summa vitæ innocentia ab omni peccati labe immunis omnia tormenta quodammodo à se reijciebat, vtpote quæ peccatoribus sunt debita. Quod si ipse ob id talia pertulit, quia pro peccatoribus pati voluit, quid perpetientur illi, qui proprijs peccatis sunt coinquinatis, & ab omni virore gratiæ, ex se sunt destituti! Bern. ser. 3. de Natiui. Diuus Bernardus de seipso fatetur, quod cum Christi lachrymas ac passiones ob oculos proponebat sum-

summo non solum pudore, sed & dolore atque timore afficiebatur. Vtique, inquit, ex consideratione remedij periculi mei æstimo quantitatem. Agnosce, ô homo, quam grauia sunt vulnera tua, pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari. Si non essent hæc ad mortem, & mortem sempiternam, numquam pro eorum remedio Dei filius moreretur. Exinde tamen in magnam fiduciam animum erigit, inquiens: sicut enim grauē agnosco morbum, cui tanta apponitur medicina, sic & ex hoc ipso non incurabilem esse conijcio: neque enim pretiosissimas species frustra insumeret medicus sapiens, imò sapientia ipsa. Porro frustra insumi constat non solum si absque eis facilis esset curatio, sed multo magis si & cum eis sit impossibilis. Animat itaq; ad pœnitentiam, & accendit desiderium spes concepta.] Quæ quidem spes inde concipitur, & animum excitat, quia firmissima fide credit vnusquisque fidelium, Christum Dominum non pro suis peccatis, quæ neque habuit, neque habere potuit, sed pro nostris omnia pertulisse, vt nos Deo patri reconciliaret, filiorumque adoptionem adipisceremur. Et quid aliud in nostra Parabola per saginati vituli occisionem ad epulum in filij perditi recuperatione significatur, quam hæc abundans & copiosa per Christi mortem redemptio? Sic enim ait Chrysostomus: Chrysost.
Vitulum saginatum, Dominum nostrum IesumChristum intelligi, quem vitulum nominat, propter hostiam corporis immaculati, saginatum autem dixit, quia pinguis, & optimus in tantum est, vt pro totius mundi salute sufficiat.] Cui consonat Diuus Augustinus inquiens, Vitulus saginatus est ipse Dominus secundum carnem, saturatus opprobrijs, & per ea opprobria nobis pinguissimam satisfactionem promeruit.] Cum igitur euidentissime constet Christum vnigenitum Dei pro peccatis hominum morti fuisse traditum, sanguinem præcipue pro peccatoribus fudisse, vt maiores charitatis diuitias ostenderet scilicet, vt si peccata non essent, ipse nec tormenta per- August.

ta perferret, neque mortem subiret) inde efficitur vt ad amplificandam huius immensæ charitatis incomprehensibilem magnitudinem innocentes, ac iusti inducantur veluti inuidi & querulosi, quia vident beneficium hoc peccatoribus in remedium præcipue fuisse collatum; quod sane illa senioris filij indignatio & querimonia præ se fert, quem quidem non ex eo indignatum dicit, quia fratrem vidit indutum stola candida, neque annulum in manu gestantem, calceamentaque in pedibus habentem, aut quia symphoniam, & chorum audiuit, sed solum quia vitulum saginatum illi occiderat. *Occidisti*, inquit, *illi vitulum saginatum.* Illi, inquam, & non mihi. Ipse namque Dominus profitetur: *Non veni vocare iustos, sed peccatores.* Quod amplius amplificans Diuus Paulus ait, *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est.* Si vero ijs addas illud quod à quibusdam circa hanc parabolam dicitur, per hunc nimirum seniorem filium, qui nunquam diuinum præceptum aliquod est transgressus, neque à paterna domo recessit, hierarchiam illam Angelicam per nouem sanctorum Angelorum choros distributam intelligi, qui homines in creatione præcesserunt, & cum quibus etiam homines filiorum nomen sortiuntur: poteris hinc inferre, quod si illi beatissimi spiritus Angelici aliquem inuidiæ motum possent quoquo modo sentire, ex eo commouerentur cum vidissent, quo amore, quo charitatis affectu Deus ipse in homines peccatores & diuinorum præceptorum transgressores fuerit incensus, cum filium suum vnigenitum misit in mundum peccatores saluos facere & pro eorum salute mortem subire. Quamuis enim Christus Dominus Angelorum & hominum sit caput, & Angeli ipsi per ipsum Dominum gratiam, & gloriam sint adepti, tamen iuxta communiorem Theologorum sententiam pro Angelis non est mortuus, sed pro nobis omnibus, vt ait Paulus, vt pecca-

Math. 9.
Rom. 5.

peccatis mortui iustitiæ viuamus nec dicitur proprie Angelorum Redemptor, sed hominum tantum. Recte igitur frater senior,& palam confitetur, Occidisti illi vitulum saginatum, id est, filium tuum vnigenitum pro peccatoribus ad mortem tradidisti.

Indignatus est autem, & nolebat introire. Vt autem ex ipso parabolæ contextu aliquid ad mores colligamus,notãdum cum Petro Chrysologo, quantum malum sit inuidia, quæ hunc seniorem fratrem prudentiorem,& vsque ad illud tempus Patri in omnibus obsequentem aduersum eundemmet Parentem indignari fecit; ita vt domum nollet ingredi, eam solum ob causam, quia perditum intro receperat fratrem atque in eius aduentum vitulum occiderat. O zeli tumor,inquit ille,duos non capit domus ampla germanos. Et quid mirum fratres, fecit inuidia, fecit vt mundi tota duobus esset angusta fratribus latitudo.] Ideo namque Cain fratrem Abel occidit, vt solus ipse in mundo Parentum hæres existeret. Vnde & Diuus Chysostomus Cain primum Sathanæ satellitem appellat, quem inuidia armauit, vt fratricidium perpetraret. Peruetustum est Inuidia malum, venenum antiquum, quo infecta magna etiam Angelorum pars è cælis cecidit, & ad inferna descendit. Hæc primos hominum parentes è paradiso relegauit, & morti fecit obnoxios. Hæc Patriarchæ Iacob filios in fratris Iosephi necem conspirare fecit- Hæc, ait rursus Chrysologus, Abrahæ progeniem, populum sanctitatis ad autoris sui cædem,ad mortem [illegible] Saluatoris armauit.] Quod quidem & Pilatus ipse intellexit, sciebat enim quod per inuidiam tradidissent eum.] Quæ igitur mala ex inuidia non prouenient,& quid boni in inuidi anima poterit reperiri? *Putredo ossium inuidia*, ait Sapiens] [illegible]a scilicet cum per ossa animæ virtutes [illegible]lligantur, quæ eam veluti suffulciunt, eas omnes

Chrysol. Serm. 4.

Chrysost.

Prou. 14.

omnes inuidia corrumpit, & quodammodo putre-
Ambros. scere facit. Vnde à Diuo Ambrosio optime adnotatur, quod ideo & senior hic filius Inuidens dicitur, eo quod cito aliquis per inuidiam consenescat.] Qui etiam in agro fuisse dicitur, quia vile, & agreste vitium est inuidia, atque animum satis abiectum se habere declarat, qui de alienis bonis cruciatur. Ex quo fit vt mente Inuidi obcæcati aliorum bona opera quoad possunt deprimant, & in prauum intellectum detorqueant, vt pro malis habeantur, sicut in Iudæis licet videre, qui miranda Christi Domini opera, diuinamque doctrinam Dæmoniorum virtuti adscribebant, quare, & dicebant ei: Nonne bene dicimus nos, quia Samaratanus es, tu & Dæmonium habes.] Sed quid mirum, eum adeo aliena bona inuidos torqueant, vt propria pro nihilo ducant, neque de eis lætentur? Hic namque senior filius ob inuidiam fratris, quem Pater cum gaudio exceperat, ad ipsum Patrem ait, Et nunquam dedisti mihi hædum, vt cum amicis meis epularer.] Nonne quando Pater substantiam diuisit, integram eidem partem dedit? dictum namq; est supra, & diuisit illis substantiam.] Quod si in Patris potestate remansit, hoc in maius beneficium illius cessit, quia plures redditus inde acquisiuit. Quam tamen patris liberalitatem ingratus despicit, & ob inuidiam in fratrem aperte denegat.
Pet. Chrysol. Chrysost. Inuidus, inquit Chrysol. simulat semper, mentitur inuidus semper.] Cui adstipulatur dictum Chrysostomi. Inuidia, inquit, non quærit quid dicat, sed solum vt dicat.] Cum enim illius, cui inuidet, famam lædere bonaque extenuare desideret, omnia quæ se offerunt siue vera sint siue falsa, in publicum deferre non dubitat.

Licet autem hæc in eos proprie sint dicta, qui simulatam sanctimoniam exterius ostendunt, cum intus pleni sint omni malitia (vt erant Pharisæi, quibus Christus Dominus parabolam proposuit) illis etiam, qui reuera iusti sunt, & Deo placere desiderant, datur admonitio satis necessaria. Cum enim aliquan-

aliquando videant se diuino beneficio maiora peccata deuitare, & virtutis operibus pro posse insistere, Deique honorem, & gloriam super omnia desiderare, inde periculum illis imminet si nimio zelo, atque indignatione in aliena scelera commoueantur, ita vt plus diuinam in eos vindictam cadere quam misericordiam exerceri exoptent. Hanc grauissimam tentationem passus est sanctus Propheta Ionas, quando ad prædicandum Niniuitis missus est: Ionas. Primo namque fugam arripuit per mare in Tarsis, vbi cum diuinam sentiret vltionem in Ceti ventrem immissus, inde reuocatus, mandatum vel inuitus impleuit. Ciuitatem Niniue ingressus terribilem illam comminationem magnis vocibus discurrendo proclamauit: Ad huc quadraginta dies, & Niniue subuertetur.] Cum deinde vidisset Niniuitas à summis vsque ad infimos timore perteritos pœnitentiam agere non minimam, diuinamque misericordiam humiliter implorare, indignatione permotus ita Dominum est allocutus, *Obsecro Domine, nunquid non hoc est verbum meum, cum ad huc essem in terra mea? propter hoc praoccupaui vt fugerem in Tarsis. Scio enim quia tu Domine clemens & misericors es, patiens & multa miserationis & ignoscens super malitia.* Adeoque hoc nimio zelo perturbatus est, vt mortem deprecaretur. Quem vt Dominus redargueret, præ- Cap. 4. parauit hederam, siue cucurbitam, quæ vno die folia super ipsum expandens, æstum à capite arcebat: altero vero die corrosa à vermiculo radice aruit, & à sole fatigatus iterum mortem exoptabat. Cui Dominus: Tu doles super hæderam in qua nō laborasti, neque fecisti vt cresceret, quæ sub vna nocte nata est, & sub vna nocte perijt. Et ego non parcam Niniue Ciuitati magnæ, in qua sunt plusquam centum viginti millia hominum, qui nesciunt quid sit inter dexteram & sinistram suam, & pecora multa?] Quibus verbis diuinæ bonitatis immensitas declaratur, quæ illos tam facile ad veniam recipit, in quos ipsius Dei amicus tantum desæuiebat, & vt puni-

rentur exoptabat. Eodem nimio zelo ductus sanctus Carpus (vt Diuus Dionysius enarrat) contra duos homines peccatores vehementem quadam die indignationem, atque amaritudinem animo imbibit: qua affectus Deum deprecabatur, vt amborum vitam turbine aliquo, & fulmine prorsus extingueret. Cui Dominus cælum apertum ostendit, eiusque cardini ipsum Iesum insidentem: deflectens deinde ad inferiora obtutus profundam vidit voraginem, virosque illos iuxta stantes trementes, ac miserabiles, vtpote qui ab inferiori partes serpentes emergere cernebant circa illorum pedes instabiles ac nutantes, caudis, ac dentibus circumientes, illosque omnibus modis deorsum pertrahere molientes: videbat etiam & viros quosdam, qui cum serpentibus in eos impetum facerent, ita vt lapsui essent proximi. Ipse vero Carpus superiora despiciens hæc aspiciendo delectabatur, indigneque ferebat, quod illi nec dum cecidissent, eosque & ipse nitebatur impellere, quod cum frustra moliretur molestissime ferebat, & contra eos imprecabatur. Cùm ecce vix tandem reuocatis ad superna luminibus vidit Iesum, miseratum quod fiebat, de cælesti illa sede consurgentem, ad homines illos descendere, & porrigere clementissimam manum, Angelosque vna opem ferentes, ac Iesum dixisse Carpo, stanti adhuc porrecta manu: Iam percute aduersum me. Paratus enim sum etiam iterum pro saluandis hominibus pati: gratum mihi istud est dum non alij homines peccent. Tu autem inspice, an tibi sit vtile hanc istius profundi, & cum serpentibus mansionem, Dei ac bonorum clementiumque Angelorum præferre consortio.] Hactenus ex Dionysio. Hinc inferes quantum beneficium Deus optim. maxim. in homines peccatores contulerit, quando peccatorum remissionem in sua primo & præcipue posuit potestate: verissime namque à Pharisæis dictum est, *Nemo dimittit peccata nisi solus Deus*. Illa enim Sacerdotalis potestas, qua peccata remittuntur, ministerialis est, & diuino subest iudicio,

Dionys. Areop. epist. ad Demoph. lib. 1.

cio, vnde firmitatem habet sententia à Sacerdote latà, cum Deus ipse sit qui per seipsum, & propter seipsum iniquitates delet, gratiamque remissionis infundit. Quod si hoc in sola hominum potestate consisteret, quamplurimi reperirentur, qui peccatoribus minime parcerent; sicut & hic senior frater desiderabat, vt Pater faceret, nec pœnitentem filium reciperet. Quocirca Dominum ipsum per Oseam loquentem audiamus, postquam se nimis iratum contra Ephraim ostenderat: *Conuersum est in me cor meum, pariter commotæ sunt miserationes meæ. Non faciam furorem iræ meæ, non conuertar vt disperdam Ephraim: quoniam Deus ego & non homo.* At Moyses etiam vlterius progreditur, cui cum Dominus diceret, exeo quia populus ille duræ ceruicis erat, nolle se cum illo ascendere, ne eum in via disperderet, missurumque Angelum præcursorem, qui populum præcederet, respondit, *si non tu ipse præcedas, ne educas nos de loco isto.* Sapientissime iudicans neque in Angelo quopiam, sed in solo Deo tantam inesse mansuetudinem, ac benignitatem, quæ populi illius duritiem, & ingratitudinem diu ferre posset, eidemque misericordiam imploranti facile veniam dare. Ex ijs non contemnenda ratio desumi potest, quare Deus Pater ad mundi redemptionem non alium, quàm filium suum miserit. Quis enim, nisi Deus esset, tantam illius populi Iudaici inuidiam, tale odium, tot opprobria: tantam perfidiam posset debitè perferre, pro eorummet salute, qui odio illum gratis habuerunt? Hoc certè ex præsentis Dominicæ Euangelio satis probari videtur, cùm videamus Christum Dominum post tot illatas iniurias, tot infamissima scelera obiecta, diuinitatem suam apertissimis verbis eis exposuisse, ita inquiens: *Amen, Amen dico vobis, antequam Abraham fieret, Ego sum,*] vt nimirum ostenderet patientiam illam atque admirabilem mansuetudinem diuinam potius esse, quàm humanam. Facit ad hoc illud quod Chrysostomus Iudæis, Christum in Cruce pendentem, blas-

Oseæ 11.
Exod. 33.
Ioan. 8.

blaſphemantibus reſponderi poſſe dixit. Ipſi namque dicebant, *Si filius Dei eſt, deſcendat de cruce, & credemus ei.*] Sed ideo, inquit Chryſoſt. de cruce non deſcendit, quia filius Dei eſt: ſi enim talis non eſſet, tanta illius populi ingratitudo ſufficiens ex ſe cauſa erat, vt incepta redemptio præpediri poſſet. At cùm filius Dei eſſet, neque tot ſceleribus offenſus, neque ininiurijs laceſſitus, ab incepto deſtitit, & mundi redemptionem miſericorditer eſt ad mortem vſque operatus.

Chryſ. hom. de Cru. & Latro.

Tex. *Fili, tu ſemper mecum es, & omnia mea, tua ſunt.*] At ne peccatoribus conuerſis ex eo quod ſe videant tam benignè à Domino recipi tantiſque beneficijs, ac miſerationibus exornari & foueri, in mentem veniat bona ſibi fuiſſe peccata, melioremque peccatoribus, quàm iuſtis, & innocentibus ſortem obtigiſſe, his in parabola vtitur verbis, ſeniorem filium alloquens, (qui, vt dixi, innocentium perſonam repræſentat) quibus oſtẽdit multo melius cum illis actum eſſe, qui innocenter vixerunt, & diuina fauente gratia, à grauioribus peccatis per totam vitam abſtinuerunt. Cui opinioni ſeu tentationi Diuus etiam Paulus vt occurreret, poſtquam dixerat, quod vbi abundauerat delictum, ſuperabundauerat gratia, continuo addidit: *Quid ergo dicemus? permanebimus in peccato vt gratia abundet? Abſit.* Imo, ideo malitia peccati amplius patefacta eſt, quia tam abundanti gratia, per Chriſti Ieſu mortem comparata, ad ſui expiationẽ indiguit. Stultè ille quidem atq; ineptè grauẽ morbem deſiderabit, vel vulnus ſibi infliget, vt alicuius præſtantiſsimi medici artem experiatur, & illius beneficio ſalutem acquirat: ſatius namque & ſalubrius eſt non ægrotaſſe. Vnde, ſi tam innocentis quàm peccatoris ſtatum conſideres, innocentia vitæ, & à peccatis grauioribus libera ex ſe, peccatorum pœnitentiam multis antecellit, multoque præſtat non peccaſſe, quàm à peccatis diuina ope liberari. Sufficiat ad hoc comprobandum Diui Auguſtini illa de ſeipſo enarratio, & confeſsio, quando adhuc puer in mor-

Rom. 5. & 6.

Aug Conf. 1. cap. 1.

in mortis periculo constitutus, atque baptismi lauacrum instantissimè postulans, non tamen obtinuit, quia Mater sanctissima pertimescebat, ne post baptismum in grauiora peccata incideret, baptismique gratiam deperderet: quare Dominum ita alloquitur, Rogo te Deus meus vellem scire, si tu velles, quo consilio dilatus sum, ne tunc baptizarer, vtrùm bono meo mihi quasi laxata sint lora peccandi, an non laxata?] & infra, quasi reespondens: Quanto ergo melius, vt cito sanarer, & id ageretur mecum, meorum meaque diligentia, vt recepta salus animæ meæ, tuta esset tutela tua, qui dedisses eam? Melius verò.]

Epulari autem & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat & reuixit, perierat, & inuentus est. Diuus Pater Augustinus, post enarratam Victorini præclarissimi Romani Rhetoris, & Oratoris conuersionem, hanc excitat Dominum alloquens quæstionem. Deus bone quid agitur in homine, vt plus gaudeat de salute desperatæ animæ, & de maiore periculo liberatæ, quàm si spes semper affuisset, aut periculum minus fuisset?] Id probat ex ijs quæ ab ipso Domino sunt dicta in tribus illis parabolis de oue per desertum errante, & à pastore super humeros ad nonaginta nouem reducta, de drachma perdita, & inuenta, atque vltimo de filio prodigo, qui perierat, & inuentus est, mortuus fuerat, & reuixit. Gaudet quippe Dominus in nobis & in Angelis suis sancta charitate sanctis. Nam Deus semper idem, ea, quæ non semper, nec eodem modo sunt, eodem modo cognouit. Quid ergo agitur in anima, cum amplius delectatur inuẽtis, aut redditis rebus, quas diligit, quàm si eas semper habuisset? Contestantur enim hoc plura alia: triumphat victor imperator, & quanto maius periculum fuit in prœlio, tãto maius est gaudium in triumpho. Tempestas minatur naufragium, omnes futura morte pallescunt: tranquillatur mare, exultant nimis, quoniam timuerunt nimis. Æger est charus, illius salus periclitatur, qui diligunt, grauiter contristantur. Fit ei rectè, & sic tale gaudium, quale

Aug Conf. li. 8. c. 3. & 4.

non fuit, cùm antea saluus & fortis ambularet. Vtrique maius gaudium, molestia maior præcedit.] Ex quibus omnibus infert sanctus Augustinus, quòd quanto aliquis peccator, qui ad Deum conuertitur, antea in sæculo notior & illustrior erat, tanto in eius conuersione plus Ecclesia lætatur, & Dominus se gaudere cum sanctis Angelis dicit: quia quod multis noti, multis sunt auctoritati ad salutem, & multis præeunt secuturis, ideoque multum de illis, qui & eos præcesserunt, lætantur: quia non de solis lætantur. Confirmat hoc Diui Pauli exemplo, qui cùm antea Saulus diceretur, postquam Proconsulem Sergium Paulum ad fidem conuertit, ex priori Saulo Paulus vocari amauit, ob tam magnæ insigne victoriæ. Sicut enim Romanorum duces & Imperatores ex debellatis prouincijs cognomina sibi vendicabant (scilicet Africanus, Asiaticus, Germanicus, Numidicus, Macedonicus, & cætera huiusmodi) sic Diuus Paulus, vt multos ad fidem amplectendam excitaret, ex Proconsulis Pauli conuersione se Paulum appellari maluit. Quare & ad Timotheum scribens, de se ipso ita dicebat: Fidelis sermo, & omni acceptione dignus: Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus, (id est, præcipuus) ego sum: sed ideo misericordiam consecutus sum, vt in me primo ostẽderet Christus Iesus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri sunt illi in vitam æternam,] sicut enim, qui aucupio operam dant, auem aliquam primo apprehendunt, quam ante aliarum oculos exponunt, vt eos ad se pertrahant, & in retia vel laqueos injjciant: sic pius, & misericors Dominus mirabiles peccatorum conuersiones publicè voluit innotescere, & quanta eos beneuolentia exceperit, quibusque beneficijs affecerit, omnibus palam fieri, vt eorum exemplo plures alios ad pœnitentiam prouocaret. Quare Dauid pœnitens cùm tres illos spiritus à Domino postulasset, causam reddens cur tam præclara dona post tot scelera commissa audeat petere, *Docebo*


1. Timoth. 1.

cebo

cebo, inquit, *iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur.*] quasi dicat, A me discent iniqui latissimas misericordiæ tuæ vias, & cùm me tot peccatis fœdatum, tantis affectum beneficijs viderint, meo exemplo permoti, illi etiam qui deteriores fuerint, ad te conuertentur, vt tuam benignitatem experiantur. Psal. 50.

Eia igitur clementissime misericordiarum Pater, qui tot perditos filios, ac domus tuæ desertores toleras, atque quot mala in pessima illa regione longinquâ sub peccati principe sathana patiantur, postquam diuinam sibi à te concessam substantiam dissiparunt, conspicis: cùm Vnigenitus tuus dixerit, neminem ad eum venire posse, si tu ipse illum non traxeris: Trahe Domine ad illum nos miseros ac prodigos filios, vt de nobis mortuis iam ad vitam reuocatis collætetur: & de perditis iam recuperatis gaudium sumat: atque simul omnes te Deum Patrem, eumdemque Vnigenitum tuum atque viuificum Spiritum collaudemus, atque veneremur, per æterna sæculorum sæcula.

Amen.



FERIA TERTIA maioris hebdomadæ, de ſancto Latrone.

SERMO PRIMVS.

Et cum eo crucifigunt duos latrones, vnum à dextris, & alium à ſiniſtris eius, &c. Marci cap. 15.



Luc.25. Anctus Lucas Euangeliſta, ex cuius Euangelio ſequenti die Paſſio Dominica decantabitur, horum duorum latronum hiſtoriam proſecutus, quonam pacto cũ Chriſto Domino in medio pendente egerint, ita enarrat: *Vnus autem de his qui pendebant, latronibus, blaſphemabat eum, dicens: Si tu es Chriſtus, ſaluum fac temetipſum & nos. Reſpondens autem alter, increpabat eum, dicens: Neq; tu times Deum, qui in eadem damnatione es? Et nos quidem iuſtè, nam digna factis recipimus: hic verò nihil mali geſſit. Et dicebat ad Ieſum: Domine, memento mei, dum veneris in regnum tuum. Et dixit illi Ieſus, Amen dico tibi: Hodie mecum eris in Paradiſo.*] Quibus Ioannes addit, quod poſtquam Chriſtus Dominus in Cruce expirauit, milites vtriuſque latronis crura fregerunt, vt citius morerentur: atque ita in eo tormento vterque occubuit. Hæc eſt tota ſancti latronis hiſtoria ſacris literis conſignata, breuis quidem & paucis concluſa periodis, attamen tot virtutum exemplis eo tempore, quo in cruce pependit, referta, vt Diuus Ambroſius eum magnum vitæ Chriſtianæ Philoſophum appellare non dubitauerit, & Arnoldus illuſtrem prædicatorem nuncupauerit.

Ioan.14. Ambroſ. Arnold. de 7. verbis.

sit. Cuius prędicationi cùm beatissima Virgo interfuerit, & attentis auribus omnia illius verba exceperit, absque dubio pro eo affectuosissimè apud filium intercessit, & tali oratione adiuto, magnum gratiæ incrementum, & vsque ad vltimum perseuerantiam promeruisse credendum est.

Sed antequam ad singulas huius historiæ partes expendendas deueniamus, prius cum Diuo Augustino consideremus, quod duobus modis in hac vita periclitantur homines, sperando scilicet, & desperando: contrarijs rebus, contrarijs affectionibus.] In desperationis barathrum incidunt ij, qui peccatorum magnitudinem, ac multitudinem, ac peccandi prauam consuetudinem secum considerantes, Deum adeo sibi iratum esse existimant, vt misericordiæ aditum penitus interclusum esse sibi persuadeant: vnde de venia omnino desperant, & vitæ emendationem sibi fore impossibilem arbitrantur. Ex qua inepta desperatione duo grauissima mala subsequuntur, in quorum alterum desperantem animam incidere necesse est. Vel in omnia vitia effrænatè se immergunt, omnibus cupiditatibus, ac deprauatis concupiscentijs habenas laxant, dicentes intra se, vt Diuus Augustinus ait, Iam damnandi sumus: quare non quod volumus facimus?] atque ita gladiatorum more, neq; peccata licet horrenda, neque mortem timent. Vel aliam perditionis viam sequendo, proprijs se manibus interimunt, cùm tristem nimis atque acerbum desperationis cruciatum ferre minimè valeant. Vtriusque mali in diuinis literis exempla licet reperire. Inprimis namque Cain à Deo obiurgatus cum de grauissimo fratricidij crimine veniam desperasset, sibiq; persuasisset ad meliorem frugem non posse reuerti, in omnem se dedit impietatem, vsq; ad finalem impœnitentiã, in qua è vita licet longissima decessit. Econtrario Iudas proditor in eundem desperationis profundum alia via decidit, quãdo pœnitentia ductus grauissimũ illud proditionis facinus adeo exhorruit, vt cum remitti sibi impossibile iudicaret, laqueo

Aug. in Ioa. tract. 33. & alibi.

Gen. 4.

laqueo se suspenderit, atque ita in duplicem mortem inciderit. Magnum sane ex hac parte nobis imminet periculum, quia licet non multi reperiantur, qui ob desperationem seipsos perimant, vt Iudas, non tamen pauci sunt, qui cùm se à vitijs abstinere posse diffidant, cum Cain vitam in peius ducunt, & de vitijs in vitia prolabentes, ad æternam mortem properant. Aliud non minus timendum instat periculum à nimia atque indiscreta diuinæ misericordiæ spe, cùm sperando (vt cum Diuo Augustino loquar) quis decipitur: qui dicit: Bonus est Deus, misericors est Deus, faciam quod mihi placet, quod libet, laxabo habenas cupiditatibus meis, implebo desideria animæ meæ. Quare hoc? quia misericors est Deus, bonus est Deus, mansuetus est Deus. Spe isti periclitantur.] Pœnitentiam enim ac vitæ mutationem procrastinando vsque ad mortem differunt. De quo per Prophetam Dauid Dominum conquestum fuisse intelligunt
Psalm. 128. multi in illis verbis: *Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitatem suam*: quia multi super diuinæ bonitatis diuitias, latissimumque miserationis campum Babylonicam peccatorum turrim ædificant, & peccata peccatis addere non verentur. Ad quod sufficienter comprobandum, sufficiat nobis perfidi latronis vnicum exemplum in sacra Euangelica historia etiam nobis decantatum, qui perfidiam suam finalemque impœnitentiam non solum in eo ostendit, cùm per irrisionem blasphemando dixit: Si tu es Christus, salua temetipsum, & nos.] Sed quia etiam sibi persuasit, quod si verè esset Christus, ex eo solum quia iuxta illum erat crucifixus ab illa morte foret saluandus, licet in eadem peccandi voluntate persisteret, & vitam non ad emendationem, sed ad alia denuo perpetranda crimina exoptaret. Quam impiam fiduciam à sancto latrone primo reprehensam fuisse existimo illis verbis, *Neque tu times Deum.*] qui namque diuini timoris frænum abijcit, in hanc

va-

vanam, & peruersam spem deijcitur, vt omnino pereat. Noster igitur hic Philosophiæ Christianæ magister securam inter vtrumque periculum viam ostendit, cùm inter desperationem, atque vanam spem incedit timendo, & sperando. Si enim peccatorum pondere pressa anima diuini iudicij rigorosum examen expauescens nimio timore percutitur, tunc immensam Dei nostri misericordiam consideret, vt spe corroboratus ex ea parte periculum desperationis euadat: at si ex assidua diuinæ miserationis, ac longanimitatis consideratione se in desidiam ferri persenserit, timore excitetur, ne vana spe deludatur. *Beneplacitum est Domino*, ait regius Vates, *super timentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia eius.*] de quo Bernardus: Dicturus, inquit, qui sperant, signanter præmisit, super timentes, vt scilicet ostendat eam esse securam spem, quæ timore fulcitur. Psalm. 146. Bern. in Ps. Qui habitat serm. 1.

Quamuis autem hæc Christiana Philosophia non esset toties in sacris literis inculcata, neque tot sanctorum Patrum testimonijs roborata, sufficerent tamen ad eam firmissime comprobandam, animisque imprimendam, ea quæ nobis hodie ante oculos proponuntur, ex quibus quodnam iter sit securius, apertè constat. Ait namque sacer Euangelista: *Et cum eo crucifixerunt duos latrones, vnum à dextris, & alium à sinistris eius.*] Si igitur Caluariæ locum mente conscendas, & in eos qui ibi crucifixi sunt, oculos conijcias, videbis Christum Iesum vnigenitum Dei filium in medio collocatum, & in ea Cruce, cui affixus erat, seipsum pro hominum salute offerentem: videbis sanguinis vndas ex toto eius corpore in remissionem peccatorum vbertim effluentes: videbis diuinæ misericordiæ flumina per tot portas quot vulnera emanantia. Deinde à dextris, & à sinistris duos alios crucifixos conspicies, æquè ab ipso mundi redemptore distantes, eiusdem pœnæ socios, easdemmet mirabiles

les res aſpicientes, & eodem ſanguine forte aſperſos. At ſi vnus ex illis diuinam Chriſti crucifixi miſericordiam eſt conſecutus, & in paradiſi gloriam tranſlatus, alter ab eodemmet loco, & ab ea cruce ad inferni ignem in ęternum puniendus deſcendit. Quis non timore concutiatur quis non diuinum iudicium expaueſcat. Quoniam ſi eo pleniſsimi Iubilæi Dei, quo mundi omnia peccata ſufficientiſsimo pretio ſunt redempta, nihil ſpes illa inanis obſtinato latroni profuit, quia neq; Deum timuit neq; peccandi voluntatem dereliquit, alter ibidem veniam, & miſericordiam eſt adeptus, quia in eo vltimo vitæ tempore, licet breuiſsimo, vere, & ex animo pœnituit, de peccatis cõmiſsis vehementer doluit, diuinã miſericordiam implorauit, & quicquid potuit fecit: quis ſapiens, quis mentis compos ad vltimam horã pœnitentiam differre non pertimeſcet. Quis morũ mutationem ad extremum vitæ ſpiritum reſeruabit. Quod ſi dicas in corde tuo, quando me correxero Deus mihi omnia peccata dimittet. Negare nõ poſſumus, inquit Auguſtinus, quod correctis, atq; conuerſis indulgentiam Deus promiſit. Nam in quo Propheta mihi legis, quia promiſit correcto indulgentiam: non mihi legis, quia promiſit tibi Deus longam vitam,] neque inſuper pœnitendi animum, neque cor contritum & humiliatum in vltima hora eſt pollicitus. At inquies, addit Chryſoſt. Forte concedet mihi Dominus miſericordiam in fine vitæ. Quod ſi non conceſſerit, quid ages cùm in æternum dãnaberis? de irreparabili dãno ſalutis animę tuę agitur, & dicis, Forſan. magna ſtultitia eſt.] Quare nõ ſine particulari Dei prouidentia effectum eſt, vt cùm in ſacris literis, tot nobis proponãtur exempla hominum peccatorum, qui ex magnis, ac multis peccatis conuerſi diuinam miſericordiam in vita ſunt conſecuti atque magnis beneficijs affecti, vitam deinceps in melius mutauerunt, vnius tantum latronis in vltima vitæ hora conuerſi, & ſalutem conſecuti exemplum refertur: vt quàm periculoſum ſit ad eam horam

Auguſt.

Chryſoſt.

ram pœnitentiam differre intelligamus, vtpote quia difficillimum sit debitam tunc anteactæ vitæ plenitudinem, & sufficientem peccatorũ dolorem animo concipere: non enim diuinæ misericordiæ dignus efficitur nisi ille qui debitè de peccatis conteritur, & ad Deum per fidem & charitatem totus conuertitur. Iuxta illud: *Conuertimini ad me, dicit Dominus, & ego conuertar ad vos.* Vnde adnotauit Stephanus Episcopus Cauensis in expositione Missæ, quod ideo in sacro Canone cum ad eum locum peruenitur, Nobis quoque peccatoribus, vox eleuatur, & pectus percutitur, vt nimirum, ait, Veniat nobis in mentem Latronis confessio, & pietas Domini: vtrumque enim ad salutem consequendam fuit necessarium; & cùm latro diuina adiutus gratia, totum quod potuit fecit, Dominus multo plura in eum beneficia contulit.

Zach.1.
Steph. Episc.

Neq; tu times Deum, &c.] Videamus, inquit Diuus Gregorius, qualis ad crucis tormentum venit, & qualis ab eo exiuit. Venit reus fraterno sanguine, venit cruentus, sed interna gratia est mutatus in cruce. In ea videtur esse sententia, vt existimet hunc latronem non solum homicidam, sed & fratricidam fuisse. Cùm enim perfidus Cain ob fratricidium de Dei misericordia impiè desperauerit, voluit Dominus ostendere nullum esse peccatum adeo graue, quod ab eo non possit remitti illi, qui perfectè dolet, & humiliter veniam deprecatur. Addit Gregorius, In cruce claui manus eius pedesque ligauerant, nihilque in eo à pœnis liberum, nisi cor & lingua remanserant, inspirante Deo totum illud obtulit, quod in se liberum inuenit: iuxta illud, *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* In corde autem fidelium tres summoperè virtutes manere, testatur Apostolus, *Nunc autem manent fides, spes, charitas.* quas accepit latro, & seruauit in cruce. Arnoldus vltra progreditur, & multas ac excellentes virtutes latronem exercuisse in cruce affirmat, quæ in ipsius verbis explicantur: Credit, (inquit) timet, compungitur, & pœnitet, confitetur, & prædicat, amat, confidit, & orat.

Greg. moral. lib.18.c.25.
Rom.10.
1.Cor.13.
Arnold. de verb.

orat. Credit, inquam, & illustrißimum fidei actum elicuit, quando & Christi Domini innocentiam cognouit, & eum post mortem regnaturum intellexit. Timuit diuinum ipsius iudicium quando blasphemantem latronem increpauit: Neq; tu times Deum. Interiorem cordis compunctionem atque veram peccatorum pœnitentiam se habere ostēdit illis verbis: Et nos quidē iustè, nam digna factis recipimus. Qui enim verè pœnitet, cùm vitiorum grauitatem, & impia facta perpendat, se omni pœna dignà arbitratur. At non tantum hæc animo concepit, sed palā, & apertis verbis ex crucis sugestu confessus est, & prędicauit. Quam fidei professionem eo tempore factā, ac delictorum condemnationem sancti Patres miris laudibus extollunt: sed vnum, D. nimirū Aug. audiamus: arguens namq; contra eos, qui baptismi sacramentum paruulis ad salutem nō esse necessariū affirmabant, & exemplo latronis sancti baptismo in paradisum introducti, (vt dicebant) errorem suum confirmabant, ita sanctus Doctor: Nemo, inquit, fit mēbrū Christi, nisi aut baptismate in Christo, aut morte pro Christo. Vnde & latro ille, non ante crucem Dñi sectator, sed in cruce confessor, de quo nonnunquam pręiudiciū captatur, siue tentatur contra baptismatis sacramentum, à Cypriano sancto inter Martyres cōputatur, qui suo sanguine baptizantur, quod plerisq; non baptizatis feruente persecutione prouenit. Tāto namq; pondere appensum est, tantumq; valuit apud eū, qui hæc nouit appēdere, quod confessus est Dñm crucifixū, quantum si fuisset pro Domino crucifixus. Tunc enim fides eius de ligno floruit, quando discipulorum marcuit; nisi cuius mortis terrore marcuerat, eius resurrectione reuiresceret. Illi enim desperauerūt de moriēte: Ille sperauit in cōmoriente. Refugerūt illi authorem vitæ, rogauit ille consortē pœnę: Doluerunt illi tanquā hominis mortem, credidit ille regnaturum esse post mortē. Deseruerunt illi sponsorem salutis, honorauit ille socium crucis. Inuenta est in eo mensura martyris, qui tunc in Christum credidit,

Aug. de anima & eius orig. li. 1. c. 9.

dit, quādo defecerūt, qui futuri erāt martyres. Et hoc quidem Domini oculis clarū fuit, qui non baptizato tanquam martyrij sanguine abluto, tātam fœlicitatē statim contulit. Sed etiā nostrū quis consideret, quanta fide, quanta spe, quanta charitate mortē pro Christo viuēte suscipere potuit, qui vitā in moriente quæsiuit. Huc accedit, quia non incredibiliter dicitur latronem, qui tunc credidit iuxta Dominum crucifixū, aqua illa, quæ de latere eius emicuit, tanquam sacratissimo baptismate fuisse perfusum.] Hæc omnia ex D. Aug. quibus satis cōprobatur quàm eximia, quantiq; meriti apud Deū extiterit illa, tum fidei in Christum tum etiam suijpsius confessio. Quantum etiam iam Christum amauerit, ex eo liquet, quod ab eo se non diuelli summo affectu petierit, & exoptauerit. Vnde D. Ambrosius addubitans quomodo reus tantorum criminum tam citò à Saluatore paradisum promeruerit, cùm multi alij per totam vitam peccata deflentes, vix eorum veniam se cōsequi posse arbitrentur. Cui dubitationi satisfaciēs ait, quod magna & multiplex causa extitit, eamq; primam & pręcipuā esse dicit, quod illico ita omnē anteactæ vitæ rationē in melius commutauit, vt omnium terrenarum rerum, atque ipsius vitæ amorem penitus exuerit, pœnarumq; quas patiebatur, oblitus ad Christi Dñi societatem æternam tantum aspirauerit, & eam expetierit. Plus, inquit Ambr. incipit dolere quod sperat, quàm sentire quod patitur: licet namq; grauissimis torqueretur cruciatibus illi cruci clauis affixus, atq; inter ipsas mortis angustias positus, plus tamen ex eo cruciatur, quia timet ne ob sua scelera, & impietates præteritas à Christi sanctissimo consortio separetur, cuius amore iam ardentissime flagrabat. At cum iam Christum ipsum pro suis crucifixoribus à Patre veniam deprecantem audiuisset, talem de eius benignitate opinionem animo concepit, vt summa fiducia certissimaque spe eum pro se exorare non dubitauerit, sicut Arnoldus dicebat, Amat, confidit, & orat. Amb. ser. 44.

Domini

Domine memẽto mei dum veneris in regnum tuum.] Breuis quidem & satis diserta oratio, de qua nobis latius in alio sermone agendum est, nunc solùm D. Bernardi dictum expendamus, qui de passione & cruce Domini loquens, hæc addidit: Hæc est via vitæ, tribulatio præsens, via gloriæ, via ciuitatis habitaculi, via regni, secundum quod clamat Latro de cruce, Memento mei Domine, dum, &c. Euntem in regnum vidit, quo cum peruenisset, sui memorem esse rogauit. Peruenit ergo & ipse, sed si vis nosse, quàm compendiosa via, eadem die meruit cum Domino esse in paradiso.] Quare si à Diuo Bernardo quæras causam, cur Latro Christum in cruce pendentem conspiciens in regnum euntem certo sciret, respondebit, quia vidit eum in via positum, qua breuissimè ad regnum peruenitur, quæ via scilicet Crux ipsa est, quia ergo in cruce pendentem aspexit, ideo in regnum euntem vidit. Cui adstipulatur Chrysost. cùm, postquam Crucem paradisi clauem nuncupasset, addidit, Nonne nobis dixit (Christus scilicet) quod regnum cœlorum vim patitur? qui in cruce est non vim facit: nihil est medium: & Crux, & statim paradisus. At ne tibi persuadeas omnes Cruces ex se rectà ad regnum deducere, perfidum latronem etiam in Cruce pendentem considera, qui per illam ad tartara descendit. Quare vt quænam sint cruces ad cœlum ducentes intelligas, duo illorum genera expende, Innocentium scilicet vnum, alterum verò nocentium. Illa dicitur innocentium Crux, quando aliquis persecutiones, probra, cruciatus, & mortem ipsam absque culpa quæ talia promereatur, perpetitur: sicut Christus Dominus, qui, sicut agnus innocens ad victimam Crucis ductus est. Hanc crucem post ipsum Christum portauerunt omnes eius Apostoli, ac sancti Martyres qui pro illius nominis gloria acerbissima tormenta, violentasque mortes sunt perpessi, quibus Diuus Ambrosius illud Psalmi rectè accommodat: *Principes persecuti sunt me gratis*. Bene, inquiens, hoc martyr dicit, quod iniustè persecutionum

Bern. ser. 1. in ramis.

Chrys. ho. de latro. & cruc.

Ambros. in Psalm. 118.

num

num tormenta sustineat: qui nihil rapuerit, nullum violentum oppresserit, nullius sanguinem fuderit, nullius thorum putauerit esse violandum: qui nihil legibus debeat, ac grauiora latronum sustinere cogatur supplicia, qui loquatnr plena salutis, & impugnetur. Cùm loquebar illis impugnabant me gratis. Gratis igitur persecutionem patitur, qui impugnatur vt noxius, cùm sit in tali confessione laudabilis, impugnatur quasi veneficus, qui in nomine Domini gloriatur.] Hanc similiter crucem post Christum deferunt omnes illi, qui iniustas sibi illatas iniurias, falsas calumnias, detractiones iniquas, famæ, & honoris læsiones bonorumque huius vitæ expoliationes æquo & patienti animo ad mortem vsque tolerant, non reddentes malum pro malo, neque maledictum pro maledicto, sed econtra persecutoribns ipsis benedicentes, & illis pro viribus benefacientes. In hac cruce gloriatur Apostolus, dum ait: *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.*] Nam quid præclarius & magis potest esse gloriosum, quàm cum innnocenti Christo innocenter quæuis tormenta & probra pro eius nomine tolerare? Non nobis ignominia est pati à fratribus, inquit Cyprianus, quod passus est Christus, neque illis gloria facere, quod fecit & Iudas.] Nocentium verò Crux illa est quæ infligitur nocentibus in pœnam delictorum, & pro quibus iustè tali tormento puniuntur, quales erant illæ Cruces, in quibus duo illi latrones pendebant, sicut & noster latro confessus est, cùm dixit: *Et nos quidem iustè, nam digna factis recipimus.*] Hæc quidem Crux potest etiam ad regnum viam parare, si eodem animo, eademque peccatorum cognitione, qua latro ipse, vnusquisque delinquens, cùm vel iuxta humanas leges punitur, vel à Deo laboribus, ærumnis, temporalibusque malis affligitur, Crucem illam ac pœnas sibi debitas amplectitur, & voluntariè illis subijcitur, Deumque iustum credit, & confitetur, atque illius æquissimum iudicium quibus potest laudibus celebrat. Hoc enim pacto Crux illa

Gal. 6.

Cyprian.

cto Crux illa licet in peccatorum pœnam fuerit destinata, per hanc humilitatem & volũtariam acceptationem vertitur in meritum, & viam ad regnum parat. Cùm Dauid filium Absalon fugeret, & Semei fugientem regem maledictis lacesseret, in eumque ex montis supercilio lapides mitteret; Abisai indignatus de eo occidendo cum ipso Rege Dauid egit, cui ille inter cætera: *Dimittite eum vt maledicat, iuxta præceptum Domini: si fortè respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum, pro maledictione hac hodierna.* Meminerat namque quod ob adulterium cum Bersabe, & iniustam mortem Vriæ ea omnia mala super eum veniebant, iuxta Nathan prophetæ prædictionem, Dominumque adeo esse clementem cognouerat, vt & delictorum pœnas merito & iure in peccatores inflictas, in remedium atq; beneficiorũ causas vertere soleat, si eas magna animi submissione, & spontanea acceptatione perferunt. Quare Diuus Bernardus sancti latronis crucem Pontem in cœlum appellat, Latro inquiens, breui quoq; contentus ponte crucis ad trãseundum de regione dissimilitudinis in terrã viuentium. Breuem pontem appellat, quia breuissimo tẽporis spatio per illud crucis tormẽtum æquo animo ac humili delictorum cognitione toleratũ, in regnũ meruit introduci. Econtra verò perfidus latro, qui in crucem inuitus est actus, & inuitus in ea stetit, & inuitus obijt, neque peccata detestans, sed peccatis peccata addens, Christum Dominum blasphemando, ex illa cruce ad inferna descendit, & per acerba tormenta, licet transitoria, ad acerbissimos inferni cruciatus æternos est translatus. Cui similes existunt omnes illi, qui in laboribus huius vitæ constituti, de Deo conqueruntur, molestissimè ærumnas, & cruciatus perferunt, & nihil illis in mentem venit, nisi pœnas illas euadere, quibus in præsenti torquentur: & sic per tormenta ad tormenta pergunt. Non igitur quæ vnusquisque patiatur, aut qua in cruce sit positus, considerat Dominus, sed quo animo

2. Reg. 16.

Bern. epist. 8.

mo in ea sit Cruce, expendit. Væ enim, ait Bernardus, portantibus crucem, non sicut Saluator suam, sed sicut Cirenæus alienam] quem angariauerunt, & per vim crucem post Christum portare coëgerunt. Quamobrem cum omnia mala pœnæ, quibus continuo vexamur, iustè pro peccatis nostris patiamur, quantum sancto latroni debemus, qui nobis satis facilem viam ostendit, qua per easdemmet pœnas iustissimè inflictas diuinam misericordiam, sicut ipse, promereamur? Bernard.


Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.] Iam perspexistis ea, quæ latro pro Christo fecerit, quid ab eo postulauerit: nunc breuiter quę Christus illi contulerit, videamus. Plus illi Dominus promisit, inquit Ambrosius, quam postulauerat: ipse namque nihil aliud ausus est petere, quàm vt sui meminisset, postquam in regnum suum peruenisset, neq; ad huiusmodi recordationem temporis terminum præfixit, sed totum diuinæ voluntati commisit. At Dominus, Amen dico tibi; tibi, inquam, latroni, & fratricidæ dico, quod neq; Abrahamo, Isaaco, & Iacobo, siue alteri ex intimis meis amicis hactenus dixi, sc. Hodie mecum eris in Paradiso. In Paradiso autem dixit, & non in regno, vt palam faceret quod per virtutem suæ crucis paradisi ianua ob Adami peccatum hominibus etiam iustissimis interclusa, omnibus ingredi volentibus patefiebat, neque amplius futuri essent Cherubini, flammeive gladij atque versatiles, qui aditum prohiberent. Quemadmodum quisque Rex victoriosus, inquit Theophylactus, rediens ex triumpho, optima prædarũ fert secum, sic & Dominus prędatus portionem diabolicarum prædarum, scilicet latronem ducit secum in paradisum, sicuti gladium Goliath Dauid triumphans secum duxit, Dominoque dedicauit. & huiusmodi prædæ spolia opima à Romanis dicebantur. Cùm igitur, vt superius diximus, D. Gregor. latronem hunc non homicidam tantum, sed & fratricidam fuisse asseruerit, non incongruè arbitrabimur, quòd cùm Dominus per Textus. Ambros. Theophil.

Coloss. 2. mortem suam, vt Paulus ait, principatus ac potestates expoliauerit (hoc est, imperium sathanæ) palamque confidenter traduxerit, traducens illos in semetipso, & ipse tenebrarum princeps gloriaretur fraude sua primum hominem Adam circumuentum, latronem extitisse) cùm & ad vetitum pomum manum extendit furtiuè, & Dei gloriam surripere desiderauit) & deinde ipsius hominis primogenitū Cain per fratricidium ad inferna secum deduxisse, vt Dominus eum debellatum omnino & penitus deuictum palā ostendisset, duxit in triumpho illum, qui & latro simul,& fratricida extiterat, & primū omnium in paradisum introduxit. Duo simul, ait Chrys. beneficia, Chrys. ho. de latro. & magna quidem, Christus Dominus hominibus eo tempore beneficia contulit; primum quia paradisi portas à principio mundi clausas omnibus aperuit, deinde quia per eas latronem primo ingredi iussit: quod, inquit Chrysost. etiam fecit, vt Paradisum honoraret. [Honor enim loci est talem Dominum promereri, qui & latronem dignum reddiderit paradiso.] Reddidit namque illum paradiso dignum, cùm eius animam interius illustrauit, fidem, spem, & charitatem, cæterasque virtutes cum summa delictorum contritione infudit, quibus in alterum virum mutatus, dignus effectus est, vt in paradisum cum Domino introiret.

Et notandum quod non tantum dixit Dominus latroni: *Hodie eris in Paradiso*, sed addidit, *Mecum*: cùm enim Christi charitas in eius corde esset abundè diffusa per Spiritum sanctum, qui ei datus erat, charitatis autem præcipuus sit effectus Christo in æternum adhærere super omnia velle, latroni societatem suam, & paradisi habitationem secum repromisit, quo eius & amori satisfaceret, & in spem tantæ beatitudinis consequendæ excitaret. Quis poterit explicare quot quantisque desideriorum flammis accensum fuerit sancti huius latronis cor, quando Christum Dominum vltimum efflasse spiritum perspexit? quot suspiria post eum emisit? quot lachrymas pro-

profudit? quo animi affectu mortis aduentum præstolabatur? Quare cùm aduenientes milites ad crurifragium iuxta consuetudinem circumspexit, non graue tormentum exhorruit, sed læto atque hilari vultu illud excepit, vtpote qui sciret eo modo citius à vinculis corporis se fore soluendum, vt cum Christo esse posset. Qui captiuus vel carceri mancipatus ferreis compedibus constringitur, si liberator adest, licèt non sine magno dolore compedes ipsi aperiantur, tamen magno afficitur gaudio, quia ita è vinculis illis, ac carcere liberatur, desideratamque recuperat libertatem. Corpus autem animæ carcerem compedesque existere etiam Seneca cognouit, cum dixit, se non aliter illud aspicere quàm vinculũ libertate sua circundatum. Latro igitur, qui corporis vinculis se detineri molestissimè ferebat, ne ad iam summè dilectum Christum Iesum perueniret, atque ideo dissolui, vt cum illo posset esse ardentissimè cupiebat, milites crura frangentes vt libertatis suæ ministros lætissimè aspexit; & inter acerbissimos illos dolores sancta illa atque fœlix anima ab angelis choros ducentibus Dominique triumphum diuinis laudibus concelebrantibus, ad ipsum, quem desiderabat, Christum, est deportata, & in paradisum cum eo introducta. Ad quam gloriam nos perducat ipse Dominus Iesus. Seneca.

Amen.



FERIA TERTIA hebdomadæ ſanctæ, de ſancto Latrone.

SERMO SECVNDVS.

Domine memento mei dum veneris in regnum tuum. Luc.cap 23.

INter quamplurimos eoſque præclaros honoris titulos, quibus ſancti Patres beatum latronem exornare contendunt, non minimum locum obtinet ille, qui à D. Ioanne Chryſoſt. ei imponitur, cùm eum magnum virtutum magiſtrum appellare non dubitauit: *Nam qui ad iuſtitiam* (id eſt, virtutes) *erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.*] Si verò dubites, quinam fieri potuerit, vt in tam breui temporis ſpatio ex vitiorum magiſtro, virtutum magiſter potuerit euadere: veniat tibi in mentem Chriſtum crucifixum librum eſſe vitæ, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei abſconditi, in quem ex illa crucis cathedra latro animæ & corporis oculos conijciens, diuinam inde virtutum ſapientiam abundantiſſimè hauſit. Iudæis ſigna petentibus, & Græcis ſapientiam poſtulantibus, Paulus Chriſtum crucifixum prædicabat quod licet Iudæis eſſet ſcandalum, gentibus autem ſtultitia, ipſis autem vocatis Iudæis, & Græcis Dei virtus erat, & Dei ſapientia. E cruce, in qua Chriſtus crucifixus pendebat, latronem in cruce etiam pendentem vocauit: cui vocationi latro acquieſcens, ſtatim Chriſtum crucifixum Dei virtutem, atque Dei ſapientiam, & cognouit, & confeſſus eſt. Diuina igitur illa crucifixi Domini virtute, & mirabili ſapientia effectum eſt, vt ille qui tot ſceleribus inquinatus, quo debitas illis pœnas exolueret, in crucem fuerat actus, in alterum virum mutatus tam præclaros virtutum actus eliceret, vt illarum non ſolum

Chryſoſt.
Dan. 12.
1. Cor. 1.

ium sectator, sed & magister esse potuerit: quarum cùm nonnullas superiori sermone expenderimus, nunc de hac eius oratione est agendum, quæ licet perbreuis, multis est documentis referta, quibus ad orandum instruimur, vt orationes nostræ Deo gratæ & acceptabiles existant.

Maximè quidem nostra interest scire, quomodo sit orandus Deus, & quomodo cum illo de rebus nostris sit agendum, quidve petendum, prout res & necessitas requirit: *Omne namq; datum optimum, & donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum*] totius boni fonte atque effectore: qui mediante oratione ita omnia, vt plurimum, impertire decreuit, vt Christus Dominus etiam quotidianum illum, quo alimur panem, ab eo petendum esse docuerit: & multis tum similitudinibus, tum verbis ostendit, quod *oportet semper orare, & non deficere.*] Cùm enim semper & vbique diuino indigeamus auxilio, ac fauore, semper Dominus oratione est interpellandus, vt opem ferat. Quocirca summopere est necessarium talem esse orationem, vt ad aures Domini valeat peruenire, & ab eo exaudiri. Ostendens D. Ambrosius quantum malum sit vitiosas Domino orationes offerre, & repulsam pati in illis, An nescis, inquit, quã graue sit in oratione contrahere peccatum, vbi sperabas remedium,] quod satis Dauid declarauit, cùm inter eas, quas aduersus impios maledictiones est imprecatus, ait: *& oratio eius fiat in peccatum.*] Quare D. Paulus Spiritum sanctum orandi magistrum, & auctorem præcipuum esse ostendit, ita inquiens, *Spiritus adiuuat infirmitatem nostram: nam quid oremus sicut oportet, nescimus: sed ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*] postulat, inquam, pro nobis, cùm nos postulare docet, cùm ad rectè orandum mentem instruit, cùm animum ad gemitum intimumq; effectum excitat. Quo diuino spiritu latro interius adiutus, orandi formam didicit, atque ita orationem composuit, vt illico meruerit exaudiri, nobisque bene orandi exemplum prębuit.

Iac. 1.
Luc. 18.
Ambr lib. 1. de Cain.
Psalm. 108.
Rom. 8.

Vt verò quænam præcipua sint huius orationis documenta intelligamus, prius orantis statum consideremus. Fuerat antea per multa tempora viarum insidiator, multa per vim rapuerat, multos occiderat; & insuper, si Diuo Gregorio credimus, germano fratri mortem intulerat, ob quæ, & alia multa crimina, in carcerem fuit primo coniectus, deinde cruci adiudicatus, & flagellis antea cæsus, in eam crucem actus, clauisque confixus, atque in Caluariæ loco iuxta Dominum collocatus. meritas igitur pro suis delictis dabat pœnas, vt ipse socium arguens, palam confessus est, & in eo statu eorum personam gerit, qui cùm se plurima admisisse crimina certo sciant, in pœnis atque cruciatibus se vident constitutos, siue pœnæ illæ ab humano iudice infligantur, siue à Deo supremo & iustissimo iudice immittantur. Qui tales & sunt. per hanc latronis orationem instruuntur, quomodo Deum ipsum debeant deprecari, vt similem misericordiam adipiscantur. Tria præcipuè documenta ex hac oratione nobis elicienda. Primum, humilis propriorum criminum, & miseriarum cognitio, & detestatio. Deinde omnimoda in diuinum beneplacitum resignatio. Demum firmissima de ipsius Dei bonitate fiducia.

Domine memento mei.] Liceat nobis hunc latronem interrogare, qua fronte, quo iure, qua spe fretus, Dominnm, cuius summam innocentiam cognouerat, & palam professus fuerat, vt sui meminisset, ausus est postulare? Cuius si mentem respicias, respondebit, quòd cùm mala sua omnia, præteritasque fœditates, atque animæ miserias conspexisset, eas omnes ipsi misericordiæ fonti obtulisse, vt proprium illius obiectū. Misericordia enim circa miserias versatur, & quo plures atque ingentiores miseriæ extiterint, eo maior miserendi materia misericordibus exhibetur.

Quare illud, *Mei*, humillimam illius animæ suijpsius cognitionem declarat, cùm interius illuminatus omnia præterita scelera ob oculos versans, & se

mi-

miserrimum iudicans, qualis qualis fuerat, se Domino obtulit. Mei, inquam, Latronis, mei raptoris, mei adulteri, mei homicidæ. Nonne simili orandi modo vsus est Regius ille, & peccator, & vates, cùm effundens orationem suam ante Dominum, ita exorsus est: *Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam*, atque vt palam faceret, cur magnam misericordiam, & miserationum multitudinem exposceret, & cur amplius lauari exoptaret, addidit, *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco,*] id est, quia scio in quantum miseriarum profundum sim deiectus, & mea omnia mala, quàm fœda, & immunda sint, conspicio; ideo vt mei miserrimi peccatoris miserearis, exoro, quippe quia tu es Deus magnæ misericordiæ, & multarum miserationum. Nihil ergo magis misericordem Deum ad miserandum inclinat, quàm propriæ miseriæ cognitio, & humilis apud ipsum confessio. Cùm sanctus Abram Dominum contra illas infames ciuitates Sodomorum iratum, & ad vindictam properantem ad miserandum vellet inducere, ita deprecabatur: *Quia semel cœpi, loquar ad Dominum meum, cùm sim puluis, & cinis.*] Quid ô sancte Patriarcha, te cinerem atque puluerem esse, Domino repræsentas, quando animum eius in miseros atque nimium peccatores homines iustè irascentem, emollire? nonne fidam ac promptam obedientiam poteras offerre, vel certè beneuolentiam illam, quam tibi satis declarauit, cùm te noluerit celare, quæ esset effecturus? Non hęc apud Dominum commemorat: sed quod ipse sit puluis, & cinis, quasi dicat, si ego, quem tu Domine tot beneficijs affecisti, & reuelationibus illustrasti, adhuc tamen ex meipso sum sicut puluis, & cinis instabilis, & à quolibet vento circumactus, nisi manum porrigas, & me firmes; quid isti erunt cæci, & à tua cognitione alieni? Hunc etiam orandi modum secutus est alibi Dauid, dicens: *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se. Quoniam ipse cognouit figmentum nostrum, Recordatus est quoniam puluis sumus.*]

Psal. 50.

Gen. 18.

Psalm. 102.

sumus:] quod alia versio per orationẽ declarat, Memento quoniam puluis sumus. Eãdem viam amplexus S. Propheta Daniel ita Dominum deprecabatur: *Peccauimus, iniquitatem fecimus, impiè egimus, & recessimus, & declinauimus à mandatis tuis, & iudicijs*] & multis alijs verbis populi Israelitici peccata exaggerat, vt Dominum ad misericordiam permoueat. Quid plura commemorem? nonne Publicanus ille simili oratione iustificationẽ acquisiuit? dixit enim: *Deus propitius esto mihi peccatori.*] nihil aliud pro se allegare posse intellexit, quàm in miserrimo peccati statu iacere. At non sat est culparum fœditatem cognoscere, sed simul ea odisse & abominari necesse: namq; iniquitatum cognitio absq; illarum detestatione & pœnitentia etiam in damnatis reperitur: & blasphemus latro, qui ex altera parte in cruce pendebat, se latronem esse, & iustè damnatum sciebat: peccandi tamen voluntatem non amiserat: damnati etiam in inferno dicũt: *Ergo errauimus à via veritatis*] Pharisæi itidem illi, qui mulierẽ in adulterio deprehensam apud Dñm acerrimè accusabãt, Dño in terra scribente omnia sua mala atq; nequitias etiam inuiti perspexêre, & talia esse cognouerunt, vt corã cõsistere non auderent, & vnus post vnũ abierint. Attamen cũ ij oẽs, licet vitiorum fœditatem agnoscerent, non tñ vitia ipsa detestarentur, sed eis voluntate adhærerẽt, ideo nihil illis talis cognitio profuit. Nõne videre licet mendicos fœdissimis vlceribus plenos, quæ cum oculis aspiciant, & illorum fœtorem persentiant, tñ quia ob id plures eleemosynas acquirũt, vulnera ipsa quodãmodo diligunt, & ea nutriunt? Sic sunt illi qui peccata cognoscunt, & peccatis inhærent. Nihil peccare, inquit Ambr. solius est Dei, emẽdare sapiẽtis est, & corrigere peccatum, & pœnitẽtiam agere peccati. Id tamen est difficile in hac vita hominũ. Quid enim tam rarũ, quàm vt inuenias virum qui coarguat seipsum, & factum condemnet suũ? Rara itaq; confessio de peccato, rara pœnitentia.] Vnde & alio loco idem S. Doctor asserere nõ dubitauit, facilius se inuenisse, qui

Dan. 9. Sap. 5. Ioan. 8. Amb. epist. 3. De pœnit. li. 2. c. 10.

qui innocentiam seruauerint quàm qui egerint congruè pœnitentiam.] Noster autem latro verè, & ex animo pœnitēs non tantum se peccasse cognouit, sed & in odium peccatorum seipsum excitauit, cōtra seipsum sentētiam tulit, cùm ait: *Et nos quidem iustè nā digna factis recipimus.*] vnde nō ab illis pœnis liberari aut exoptauit, aut petijt, sed tantum, *Memento mei*] mei inquam miserrimi latronis, & iustissime puniti.

Domine memento mei.] Aliud orationis documentum, ab hoc magistro perdiscamus, vt orātes nosmet diuinæ voluntati committamus, vt ipse quod magis expedire cognouerit, illud cōcedat. Nihil enim aliud noster latro petijt, nisi vt sui recordaretur, cum ad regnum suum peruenisset. *Reuela Domino viam tuam*, ait Dauid *& spera in eo & ipse faciet.*] non tamen quid facturus sit declarat: vt doceat, sic esse in oratione præsentandas Deo necessitates, quas vnusquisq; patitur, vt cùm de ipsius bonitate ac potentia nihil dubitet, non tñ quomodo sibi succurrēdum sit ipse sibi eligat, sed ad diuinum beneplacitū referat. Idem D. Paul. latius explicat, inquiens: *Nihil solliciti sitis: sed in omni oratione, & obseruatione cum gratiarū actione petitiones vestræ innotescant apud Deum.*] Duo Apost. admonet, vt scilicet in oratione, oēs petitiones nostræ ac desideria Domino exponantur, deinde ne de effectu simus solliciti, sed id diuinę ordinationi relinquamus. Et merito quidē: nam cùm (vt superius ex eodem D. Paulo retulimus) quid oremus, sicut oportet nescimus, quia videlicet nemo nostrum quid sibi expediat, potest debitè cognoscere, quid magis rationi consentaneū, quàm se totū diuinę dispositioni cōmittere, quia bonus est Dn̄s & sapiens, & nostri amātissimus: si amico fideli, & prudenti sæpissimè res tuas cōmittere nō dubitas, vt ipse quod tibi cōmodius existere cognouerit, illud perficiat: quomodo teipsum, & omnia tua Deo tuo tradere dubitas, cuius sapientia attingit à fine vsq; ad finē, fortiter & suauiter disponit omnia, cuius dilectionē tot ac tātis beneficijs continuè experitis? Quocirca sæpissimè euenire solet, ut qui nimium voluntati adhærētes aliqua instantis-

Psalm. 36.

Phil. 4.

ſsimè à Deo poſtulant, ea eis iratus Dominus, & in pœnam concedat. Ad hoc probandum adducit D. Auguſtinus illud Pſalmi, *Emitte lucem tuam & veritatem tuam, ipſa me deduxerunt in montem ſanctum tuum.*] Mons iſte ſanctus (inquit Auguſtinus) Chriſtus eſt Dominus, qui à Prophetis toties mons appellatur. quiſquis præter iſtum montem orat, (ſunt verba ipſius) non ſe ſperet exaudiri ad vitam æternam. Exaudiuntur enim multi, & ad multa: nec ſibi plaudant, quod exaudiantur. exauditi ſunt Dæmones, vt in porcos mitterentur] Præter iſtum montem orare, nihil eſt aliud, quàm ſibi ipſi fidere, iuxta propriam voluntatem velle ſibi poſtulata concedi, neque diuinæ prouidentiæ cuncta ſua relinquere. At noſter latro iuxta hunc diuinum montem non ſolum corpore, ſed etiam mente ac voluntate collocatus, illiſque innixus totum ſe eidem commiſit, neque quicquam aliud, quàm vt ſui meminiſſet, poſtulauit. Vt autem facilius intelligamus, quonam pacto cum Deo de noſtris rebus agendum nobis ſit, oportet conſiderarare res omnes de quibus cum eo agi poteſt, in tripliei eſſe differentia. Quædam enim adeo ex ſe bonæ ſunt, & nobis neceſſariæ ad ſalutem, vt apertiſſimè conſtet Deum illas velle concedere (cùm velit omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire) eæ autem ſunt: fides recta, ſpes firma, charitas perfecta, gratia, cordis humilitas, conſcientiæ puritas, cæteræque virtutes, ac animi bona, quæ nos Deo ipſi gratos reddunt, animamque ſanctificant. Quæ omnia ſumma fiducia abſque vlla hæſitatione petere licet, cùm de Domini voluntate nobis certiſſimè conſtet. Quædam verò adeo ex ſe ſunt mala, atque tam apertè diuinæ voluntati contraria, vt ea odiſſe, atque omnino deteſtari, ſummè ſit neceſſarium: qualia ſunt peccata omnia cuiuſcunque ſint generis: namque cùm odio ſint Deo impius, & impietas eius, qui diuinam vult exequi voluntatem, iniquitatem debet odiſſe, & abominari, atque ipſum Dominum continuè deprecari, vt ab hoc peſſimo malo eum liberet.

August. in Pſalm. 42.

beret. Tertij generis ea sunt, quæ ex se, & ex natura sua præter eam bonitatem naturalem, in qua à Deo sunt condita, nullam aliam habent bonitatem, aut malitiam annnexam, sed iuxta bonum vel malum cuiusq; hominis vsum vel bona vel mala dicuntur: qualia sunt omnia corporalia, & temporalia bona vel mala, videlicet salus vel ægritudo, diuitiæ siue paupertas, honor seu vituperium, vita aut mors, & cætera huiusmodi. Quæ quidem omnia indifferentia dicuntur, quia qui bene illis, & iuxta Domini voluntatem vtuntur, in bonum conuertuntur, eis verò, qui peruersè se habent, in malum deueniunt: de quibus dicit August. Mala tibi erunt, deserto eo, à quo bona facta sunt. Cùm ergò nullus scire possit, quonam modo ijs rebus sit vsurus, & quidnam sibi expediat ad æternam salutem consequendam (quod solus nouit ille, qui cognoscit figmentum nostrum) ideò si rectè, & fructuosè quis cupit orare, non sibi fidat, neque propriæ voluntati obsequatur, sed ipsi Domino totum committat, dicens cum latrone, Domine, memento mei. August.

Domine, memento mei.] Qui prima duo documenta probè didicerit, ad tertium securè procedet, & omnia de Dei sui bonitate sibi speranda fore firmissime statuet: sicuti & latro nos edocet, cùm Dominum sui meminisset in regno tanta fiducia deprecatur. meritò quidem eo tempore, quo Christum ipsum Dominum esse etiam in ipsa cruce, & postmodum regnaturum firma fide confitetur) corona spinea redimitum, & clauis per manus affixum conspiciebat, eiusdem memoriæ se totum committit. Cùmque sedes memoriæ caput est, iuxta Philosophorum, & Medicorum doctrinam, liberalitas autem in manibus ostenditur. Quanta igitur, & quàm certa spe, firmaque fiducia, vt sui haberet memoriam poterat latro Dominum exorare, qui, vt eius peccata ablueret, & malis omnibus remedium adhiberet, spinis vndique in capite pungebatur, & manus habebat clauis apertas, per quas misericordiæ atque libe-

liberalitatis diuinę riuuli, simul cũ sanguine defluebãt. Verissimè quidem considerare licet, quod oẽs acerbissimę pũctiones, quibus singulæ spinæ sacratissimũ Christi Domini caput pungebãt; simul in memoriam reducebat causam illam, ob quam dolores illos patiebatur. Intellexit igitur sapientissimus hic latro, quòd quamuis Christi Dñi caput, postquam fuisset in regno collocatum, & gloria, & honore coronatum, ab ijs spinarum punctionibus foret liberandum, non tamen obliturum dolores illos; quos tunc in cruce patiebatur, quinimò eosdeinmet cruciatus Deo Patri pro ipsis hominibus esset oblaturus: vnde prudenter quidem atq; fiducialiter ad eius memoriam cõfugit. Cùm Isaias de hominibus per Christum saluandis ageret, & eorũ ingentem fœlicitatem vellet extollere, ait inter cætera, *Et eris corona gloriæ in manu Domini.*] nouã Ierusalẽ (fidelium sc. sanctorum congregationẽ per Christũ redemptam) alloquitur, de qua Dñs ipse gloriatur, atq; de regali gloriæ corona. Sed quomodo in manu, & non in capite? locus namq; coronę caput est. At dũ corona in capite consistit non ab eo, qui ea est exornatus, conspicitur; quam si oculis vult aspicere, vt in ea oblectetur, in manibus defert. Peccatores igitur, qui vitiorũ spinis innocuũ Christi Dñi caput in cruce coronarũt, quando per eandẽmet crucẽ ac passionem redemptionem consequuntur, corona sunt in manu ipsius Dñi, quia eos summo gaudio intuetur, atq; de eorũ salute delectatur. Quibus adde illud quod Dñs per ipsum Prophetam dicit alibi. *Nũquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? & si illa oblita fuerit, ego non obliuiscar tui; ecce in manibus meis descripsi te*] quod quidẽ iuxta multorum sententiam tunc adimpleuit, quando ipsa clauorum foramina atq; fixuras in manib⁹ post resurrectionẽ reseruauit. Quę omnia cũ latro in cruce diuinitus illustratus aliquo modo præsentiret, non dubitauit se suaq; omnia tã memori Dño cõmendare inquiẽs, *Domine memẽto mei, dũ veneris in regnũ tuũ.*

Isai. 62.

Isai. 49.


Amen dico tibi, Hodie mecũ eris in paradiso.] Humilis, deuota, ac fidelis deprecatio talem promeruit responsionem

spōsionem, in qua iuxta tres illas supra enarratas rectè orandi circūstantias, plura latroni, quàm postulauerat à Dño cōceduntur: de quibus, ne cuiquā liceret dubitare, affirmādo pollicetur, inquiens *Amen*] quod ineffabilē ostēdit veritatē in promissione. *Dico tibi*] tibi, inquā, qui te impiū atq; sceleratū cognouisti, & palā professus es: tibi latroni rerū terrenarū, qui modò cęlestia vehemēter rapuisti: tibi viarū insidiatori, qui salutis viā in ipsa mortis via, cruce sc. quæsiuisti: tibi homicidæ, qui quoniā multis vitā eripuisti, vitā, ac crucis tormēta iustitiæ meæ in debitā pœnā obtulisti: tibi fratricidæ, qui vt immane scelus in germani fratris morte perpetratū compēsares, socio criminis, & vti fratri in pœna, pro tua virili parte vitā animę procurasti: tibi deniq;, qui aduersus teipsum iudex & tortor fuisti. Dico, i. spondeo, vel promitto: Hodie,] quia ita te voluntati meæ tradidisti, vt tempus ad tui reminiscendū nō præfigeres, neq; terminū constitueres, ideo beneficiū accelero, & hoc eodē die accipies. Mecū] addidit, vt illius spē magis ac magis corroboraret: cùm enim latro de suis meritis iure optimo diffisus ad eius misericordiā totus confugisset, vt eū securū redderet, dixit, *Mecū eris*] veluti diceret, in mea societate atq; comitatu, mihi innixus, & inhærens non est ꝙ verearis, ego te saluum & incolumē per mortis atq; iudicij asperā difficilemq; viā ducam. Qua promissione illa iam sancta anima obfirmata cum Dauid decantare poterat, *Nam etsi ambulauero in medio vmbra mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Psalm. 22

In Paradiso] In regno petierat latro, vt sui Dñs meminisset, at ille Paradisū promittit, vt summā futuræ gloriæ, & securitatē, & lætitiā explicaret. Nomē nāq; regni simpliciter prolatū, cùm terrenū etiā regnū significet, inquietudines ac varias curas inuoluit, ꝙ multis verbis sapiēs Salomon declarauit, quādo postquā se regē esse, regnumq; Ierusalē, & Israël posidere cū summa fœlicitate cōmemorat, addidit tñ omnia esse vanitatē & afflictionē spirit⁹, nihilq; sub sole pmanere. At Paradisi nomē imperturbabilē pacē, ęternāq; gloriā ac beatitudinē pręfert. Hūc igitur locū Dñs Eccl. 1. & 2.
latro-

latroni promittit, & veritati promiſsionis rei euentus reſpondit: namque eademmet hora, eodemque temporis momento, quo ſancti latronis anima poſt crurifragium, è corpore in cruce pendenti exijt, ad Chriſtum Dominum aduolauit, & gloriæ lumine illuſtrata diuinæ eſſentiæ viſionem eſt conſecuta, in qua cum perfecta conſiſtat beatitudo, ſtatim in Paradiſo fuit. Hanc admirabilem Chriſti crucifixi virtutem ac liberalitatem conſiderans D. Sophronius, non ſolum exiſtimat ipſos inferorum principes, tartareaſque poteſtates obſtupuiſſe, cùm ab illa cruce latronis animam mira claritate fulgentem, atque diuina gloria circundatam, ad Chriſtum illico euntem vidiſſent, ſed etiam illoſmet Cherubinos, Paradiſi cuſtodes, tanta fuiſſe admiratione commotos latronis animam conſpicientes, vt ſigniferum ante omnes iuſtos præeuntem, vt ſtatim arma ignea deponerent, terga verterent, ſtationem relinquerent: atque exinde paradiſi portæ patefactæ ſunt, omnibuſque ingredi volentibus patent, ſi crucem amplectantur, atque vel Chriſtum Dominum innocentem, ſumma cum patientia omnia perferentem, vel ſaltem ſanctum hunc latronem pro peccatis iuſtè damnatum, ſed humiliter peccata cognoſcentem imitentur, fauente ipſo Domino Ieſu, cui eſt honor, & gloria cum Patre, & Spiritu ſancto, per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

S. Sophron.



FERIA

FERIA QVINTA in Cœna Domini.

SERMO SECVNDVS.

Sciens Iesus, quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem, cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Ioan. 13.



QVid sit in finem diligere, variè à sanctis Patribus cæterisque Ecclesiæ doctoribus interpretatur: quod licet loci difficultatem non minimam declaret, nihilominus multis ac varijs huius diei mysterijs explicandis ansam præbet. Cùm igitur de eximia illa charitate, quam Christus Dominus in hac vltima hora, ac transitu ad Patrem ostendit, nobis præcipuè sit agendum, D.P. Augustinum sequendum duxi, qui finem hunc ipsummet Christum interpretatur, ductus illis D.Pauli verbis, *Finis legis Christus, ad iustitiam omni credenti*] quare & arbitratur omnes illos Dauidicos psalmos, in quorum titulis apponitur In finem] ad Christum præcipuè pertinere, & ad illum dirigi. Quando ergo dilectus Euangelista dicit, quòd Christus Dominus cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos, perinde est, ac si diceret, in seipsum dilexit, id est, ad hoc nos dilexit, vt ad se perduceret, faceretque eo transire, quo ipse præcessit. iuxta quam expositionem non erit à sacri Euangelistæ mente alienum, si dicamus voluisse illum nobis veluti digito ostendere primum, ac præcipuum fontem, ex quo magnum illud admirabilium operum flumen emanauit, & vnde tot ac tanta in homines

August. in Ioan.

Rom. 10.

peccatores beneficia processerunt. Namque cùm illa Christi charitas in ipsammet ipsius Christi diuinitatem infinitamque dilectionem tamquam in præcipuum finem intenderet, ad illius amoris vnionem omnia perficiebat, & per admiranda huius diei opera, mirabilesque charitatis effectus omnium hominum mentes ad eundem finem dirigere, secumque vnire satagebat: *Omnia flumina intrant in mare,* inquit Sapiens, *& mare non redundat: ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant*] ita etiam illa miserationum flumina per tot vulnera in hac vltima hora à Christi Domini humanitate profluentia, abundantes illi benignitatis fluuij ex illo sacro pectore procedentes ab immenso diuinitatis pelago exierunt: atque ad illud quidem inexhaustum mare reuerti oportere docet Euangelista, cùm dixit: *in finem dilexit eos.*] Vnde denuò maiori impetu refluentes vniuersam terram misericordijs repleuerunt, miserationibus irrigarunt, & infinitis beneficijs affecerunt.

Eccle. c. 1.

Ad hanc igitur expositionem latius expendendam considerandum est, quod inter omnes eas virtutes, quibus Spiritus sanctus fidelium animas illustrat, atque ad æternam beatitudinem consequendam aptas reddit, tres illæ, quæ Theologales dicuntur, primum, & præcipuum locum obtinent, Fides, Spes, & Charitas, quia circa ipsum beatitudinis obiectum, qui Deus Optimus, & Maximus est, versantur, & de eo præcipuè agunt. Fides namque est illud lumen certissimum, & ineffabile, quo debilis intellectus ab ipso Deo illustratus ad diuinas veritates cognoscendas eleuatur, quas quidem homo per seipsum minimè cognoscere valebat: quibus etiam, licet obscurè cognitis, fide tamen innixus firmissimè, & indubitanter assentitur. Spes autem voluntatis humanæ imbecillitatem corroborat, pusillanimitatem erigit, vt absque vlla hæsitatione à Deo omnipotenti supernaturale auxilium, & insuper æternam illam beatitudinem, quæ Dominus ipse est, expectare non dubitet. Charitatis vero munus proprium exi-

ſtit eandem voluntatem Deo ipſi venire, & illi ſummo bono adglutinare, quod infinito amore dignum eſſe fides oſtendit, & ſpes ad illud adipiſcendum auxilium pollicetur. Cùm igitur tres iſtæ virtutes de Deo ipſo nulla alia remediante agant, ob infinitam obiecti excellentiam cæteras virtutes merito excellunt. Quod ſi quæras, quænam harum trium præcipua ſit, Diuum Paulum reſpondentem audi: *Nunc autem manet, fides ſpes, charitas, tria hæc: maior autem horum eſt charitas.*] Cuius cauſam aſſignans angelicus Thomas, inquit, quod fides intellectum, & voluntatem ad Deum eleuat, ipſumque attingit, vt ab eo veritatis cognitionem percipiat: ſpes verò in ipſum etiam Deum fertur, vt ab eo veritatis cognitionem percipiat, ſpes verò in ipſum etiam Deum fertur, vt eius ope beatitudinem adipiſcatur. At charitas Deum ipſum quærit, ſolum vt in ipſo ſiſtat, non vt ab eo aliquid ſibi proueniat: quare cum abſque vllo reſpectu ipſi Deo adhærere, eidemque vniri exoptet, & in eo conquieſcere, merito, & optimo iure primum ſibi locum vendicauit. Hanc charitatis excellentiam explicans D. Bernard. mellifluis verbis ita inquit: Non ſine præmio diligitur Deus, etſi abſque premij intuitu diligendus ſit. Vacua namque vera charitas eſſe non poteſt, nec tamen mercenaria eſt. Affectus eſt, non contractus, nec acquiritur pacto, nec acquirit. Verus amor ſeipſo contentus eſt, habet præmium, ſed id quod amatur: verus amor præmium non requirit, ſed meretur.] Ob hanc charitatis excellentiam eidem ſoli conceditur, vt æterna ſit, & in beatitudine gloriæ non ſolum permaneat, ſed & vltimam perfectionem acquirat. Ceſſabit tunc fides, quia beata anima lumine gloriæ illuſtrata, Deum ipſum ſicuti eſt intuebitur: ſpe non indigebit, quia ſecurè poſſidebit bonum, quod antea expectabat: charitas ardentius & perfectius ſummo bono clare viſo adhærebit, eidemque intime, & inſeparabiliter vnietur. Ex quibus infertur, quod Chriſti Domini anima licet omnibus virtutibus ſupernatu-

1. Cor. 13.

2. 2. q. 23. ar. 6.

Bern. de dilig. Deo.

ralibus atque moralibus exornata perfectissimè existeret, ex Theologalibus tamen solam habuisse charitatem: namque cum ab instanti incarnationis eius anima fuerit perfectè beata, diuinamque suam essentiam clarè intueretur, fide, & spe minimè indigebat: Charitas verò in illam animam per Spiritum sanctum diffusa abundantissimè, & qua maior de lege dari nequit, humanum illud cor totum possedit, sibique vendicauit: qua quidem charitate ab illo instanti vehementissimè accensum Deum suum super omnia diligebat, eidem adhærebat, ad eum omnia referebat: quam etiam infusam diuinitus charitatem adhuc anima illa sanctissima Christi Domini in cœlo habet, & per eam in Deo summo bono & quiescit & delectatur.

Dubitabis forsan, quod si hæc diuina charitas Deum ipsum solummodo vt proprium obiectum intuetur, eidemque vt vltimo fini se vnire absque vllo medio, & in eo conquiescere peroptat, quem locum infimi homunciones in illo Christi Domini corde sibi vendicabunt, aut quo iure illius diuinæ charitatis partem aliquam sibi deberi existimabunt? Cuius dubitationis solutio patebit, si aduertas eundemmet esse charitatis habitum, quo & ad Deum, & ad proximos diligendos inducimur. licet enim Deus solus vt vltimus finis summumque bonum sit diligendus, vult tamen ipse vt propter eum proximos diligamus, ita vt diligendi causa præcipua & ratio sit ipse Deus summè dilectus, ob id scilicet, quia proximi nostri ipsius Dei opera, & creaturæ sunt. Cùm ergò illa creata Christi Domini charitas eiusdem naturæ existat atque & nostra, & similiter Theologalis virtus, liquidò constat quod eodemmet charitatis habitu anima illa sanctissima, & Deum suum super omnia diligebat, & suos proximos qui erant in mundo, vtpote à Deo ipso dilectos, ardenti charitatis affectu amplectebatur: imò & eo amplius in hominum amorem incendebatur, quo euidentius per diuinam sapientiam percipiebat, quantum natura

tura humana à Deo diligeretur. Hunc summæ charitatis affectum circa humanum genus à se redemptum voluit Dominus exprimere in ea mirabili visione eidem dilecto discipulo ostensa in insula Pathmos, quando videlicet in spiritu positus vidit *similem filio hominis vestitum podere, & præcinctum ad mamillas Zona aurea.*] Ille enim similis filio hominis absq; dubio ipsum Christum Dominum repræsentabat, qui venit in similitudinem carnis peccati, & per omnia fratribus assimilari voluit præter peccatum. Illud autem vestis genus ad sacerdotes pertinens, ad talos vsque defluebat, & corpori vndique absque vlla ruga adhærebat, quæ quidem vestis iuxta Diui Augustini sensum, Ecclesiam designabat (id est, fidelium congregationem (in eo statu, quem Dominus ipse desiderat, id est, non habentem maculam, quæ eam deformem reddat, neque rugam quæ omnimodam secum vnionem impediat. Quomodo & per illam inconsutilem Domini tunicam fuit significata, cuius diuisionem in partes ipse prohibuit, vt Ecclesiæ vnitatem declararet. Hanc igitur adeo sibi dilectam vestem, hos fideles & proximos suos ipse secum constringit ad mamillas, vbi cor residet, Zona aurea, eo scilicet arctissimo, purissimo, atque ardentissimo charitatis affectu, quem nobis eiusdem Euangelistæ verba declarant, quando dixit: *Cùm dilexisset suos, qui erant in hoc mundo, In finem dilexit eos*] Vt enim mea fert opinio, non est hic sermo de illa increata charitate, quæ etiam ipse est, & qua ab æterno in seipso nos dilexit, sed de creata ea charitate, qua ipsius Christi Domini cor fuit accensum ab instanti incarnationis, ita vt iam inde suos qui erant in mundo intimè diligeret. Cuius charitatis perfectionem, vt sacer Euangelista perspicuam reddat, In finem eum dilexisse suos dicit, quasi dicens, quod illa charitas, illa dilectio, qua suos semper dilexerat, illum respiciebat finem, vt eos secum vnum faceret per eandemmet charitatem; atque eadem aurea amoris diuini zona eorum corda secum constringeret,

Apoc. 1.

August. in Psalm. 132.

sumus:] quod alia versio per orationē declarat, Memento quoniam puluis sumus. Eādem viam amplexus S. Propheta Daniel ita Dominum deprecabatur: *Peccauimus, iniquitatem fecimus, impiè egimus, & recessimus, & declinauimus à mandatis tuis, & iudicijs*] & multis alijs verbis populi Israelitici peccata exaggerat, vt Dominum ad misericordiam permoueat. Quid plura commemorem? nonne Publicanus ille simili oratione iustificationē acquisiuit? dixit enim: *Deus propitius esto mihi peccatori.*] nihil aliud pro se allegare posse intellexit, quàm in miserrimo peccati statu iacere. At non sat est culparum fœditatem cognoscere, sed simul ea odisse & abominari necesse; namq; iniquitatum cognitio absq; illarum detestatione & pœnitentia etiam in damnatis reperitur: & blasphemus latro, qui ex altera parte in cruce pendebat, se latronem esse, & iustè damnatum sciebat: peccandi tamen voluntatem non amiserat: damnati etiam in inferno dicūt: *Ergo errauimus à via veritatis*] Pharisæi itidem illi, qui mulierē in adulterio deprehensam apud Dñm acerrimè accusabāt, Dño in terra scribente omnia sua mala atq; nequitias etiam inuiti perspexêre, & talia esse cognouerunt, vt corā cōsistere non auderent, & vnus post vnū abierint. Attamen cū ij oēs, licet vitiorum fœditatem agnoscerent, non tū vitia ipsa detestarentur, sed eis voluntate adhærerēt, ideo nihil illis talis cognitio profuit. Nōne videre licet mendicos fœdissimis vlceribus plenos, quæ cum oculis aspiciant, & illorum fœtorem persentiant, tū quia ob id plures eleemosynas acquirūt, vulnera ipsa quodāmodo diligunt, & ea nutriunt? Sic sunt illi qui peccata cognoscunt, & peccatis inhærent. Nihil peccare, inquit Ambr. solius est Dei, emēdare sapiētis est, & corrigere peccatum, & pœnitētiam agere peccati. Id tamen est diffic l in hac vita hominū. Quid enim tam rarū, quàm vt inuenias virum qui coarguat seipsum, & factum condemnet suū? Rara itaq; confessio de peccato, rara pœnitentia.] Vnde & alio loco idem S. Doctor asserere nō dubitauit, facilius se inuenisse, qui

Dan. 9. | Sap. 5. | Ioan. 8. | Amb. epist. 3. | De pœnit. li. 2. c. 10.

qui innocentiam seruauerint quàm qu egerint congruè pœnitentiam.] Noster autem latro verè, & ex animo pœnitēs non tantum se peccasse cognouit, sed & in odium peccatorum seipsum excitauit, cōtra seipsum sentētiam tulit, cùm ait: *Et nos quidem iustè nā digna factis recipimus.*] vnde nō ab illis pœnis liberari aut exoptauit, aut petijt, sed tantum, *Memento mei*] mei inquam miserrimi latronis, & iustissimè puniti.

Domine memento mei.] Aliud orationis documentum, ab hoc magistro perdiscamus, vt orātes nosmet diuinæ voluntati committamus, vt ipse quod magis expedire cognouerit, illud cōcedat. Nihil enim aliud noster latro petijt, nisi vt sui recordaretur, cum ad regnum suum peruenisset. *Reuela Domino viam tuam*, ait Dauid *& spera in eo & ipse faciet.*] non tamen quid facturus sit declarat: vt doceat, sic esse in oratione præsentandas Deo necessitates, quas vnusquisq; patitur, vt cùm de ipsius bonitate ac potentia nihil dubitet, non tñ quomodo sibi succurrēdum sit ipse sibi eligat, sed ad diuinum beneplacitū referat. Idem D. Paul. latius explicat, inquiens: *Nihil solliciti sitis: sed in omni oratione, & obseruatione cum gratiarū actione petitiones vestræ innotescant apud Deum.*] Duo Apost. admonet, vt scilicet in oratione, oēs petitiones nostræ ac desideria Domino exponantur, deinde ne de effectu simus solliciti, sed id diuinę ordinationi relinquamus. Et merito quidē: nam cùm (vt superius ex eodem D. Paulo retulimus) quid oremus, sicut oportet nescimus, quia videlicet nemo nostrum quid sibi expediat, potest debitè cognoscere, quid magis rationi consentaneū, quàm se totū diuinę dispositioni cōmittere, quia bonus est Dñs & sapiens, & nostrī amātissimus: si amico fideli, & prudenti sæpissimè res tuas cōmittere nō dubitas, vt ipse quod tibi cōmodius existere cognouerit, illud perficiat: quomodo teipsum, & omnia tua Deo tuo tradere dubitas, cuius sapientia attingit à fine vsq; ad finē, fortiter & suauiter disponit omnia, cuius dilectionē tot ac tātis beneficijs cōtinuè experiris? Quocirca sæpissimè euenire solet, vt qui nimium voluntati adhærētes aliqua instantis-

Psalm. 36.

Phil. 4.

ſimè à Deo poſtulant, ea eis iratus Dominus, & in pœnam concedat. Ad hoc probandum adducit D. Auguſtinus illud Pſalmi, *Emitte lucem tuam & veritatem tuam, ipſa me deduxerunt in montem ſanctum tuum.*] Mons iſte ſanctus (inquit Auguſtinus) Chriſtus eſt Dominus, qui à Prophetis toties mons appellatur. quiſquis præter iſtum montem orat, (ſunt verba ipſius) non ſe ſperet exaudiri ad vitam æternam. Exaudiuntur enim multi, & ad multa: nec ſibi plaudant, quod exaudiantur. exauditi ſunt Dæmones, vt in porcos mitterentur] Præter iſtum montem orare, nihil eſt aliud, quàm ſibi ipſi fidere, iuxta propriam voluntatem velle ſibi poſtulata concedi, neque diuinæ prouidentiæ cuncta ſua relinquere. At noſter latro iuxta hunc diuinum montem non ſolum corpore, ſed etiam mente ac voluntate collocatus, illiſque innixus totum ſe eidem commiſit, neque quicquam aliud, quàm vt ſui meminiſſet, poſtulauit. Vt autem facilius intelligamus, quonam pacto cum Deo de noſtris rebus agendum nobis ſit, oportet conſideraare res omnes de quibus cum eo agi poteſt, in triplici eſſe differentia. Quædam enim adeo ex ſe bonæ ſunt, & nobis neceſſariæ ad ſalutem, vt apertiſſimè conſtet Deum illas velle concedere (cùm velit omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire) eæ autem ſunt fides recta, ſpes firma, charitas perfecta, gratia, cordis humilitas, conſcientiæ puritas, cæteræque virtutes, ac animi bona, quæ nos Deo ipſi gratos reddunt, animamque ſanctificant. Quæ omnia ſumma fiducia abſque vlla hæſitatione petere licet, cùm de Domini voluntate nobis certiſſimè conſtet. Quædam verò adeo ex ſe ſunt mala, atque tam apertè diuinæ voluntati contraria, vt ea odiſſe, atque omnino deteſtari, ſummè ſit neceſſarium: qualia ſunt peccata omnia cuiuſcunque ſint generis: namque cùm odio ſint Deo impius, & impietas eius, qui diuinam vult exequi voluntatem, iniquitatem debet odiſſe, & abominari, atque ipſum Dominum continuè deprecari, vt ab hoc peſſimo malo eum liberet.

August in Pſalm. 42.

beret. Tertij generis ea sunt, quæ ex se, & ex natura sua præter eam bonitatem naturalem, in qua à Deo sunt condita, nullam aliam habent bonitatem, aut malitiam annnexam, sed iuxta bonum vel malum cuiusq; hominis vsum vel bona vel mala dicuntur: qualia sunt omnia corporalia, & temporalia bona vel mala, videlicet salus vel ægritudo, diuitiæ siue paupertas, honor seu vituperium, vita aut mors, & cætera huiusmodi. Quæ quidem omnia indifferentia dicuntur, quia qui bene illis, & iuxta Domini voluntatem vtuntur, in bonum conuertuntur, eis verò, qui peruersè se habent, in malum deueniunt: de quibus dicit August. Mala tibi erunt, deserto eo, à quo bona facta sunt. Cùm ergò nullus scire possit, quonam modo ijs rebus sit vsurus, & quidnam sibi expediat ad æternam salutem consequendam (quod solus nouit ille, qui cognoscit figmentum nostrum) ideò si rectè, & fructuosè quis cupit orare, non sibi fidat, neque propriæ voluntati obsequatur, sed ipsi Domino se totum committat, dicens cum latrone, Domine, memento mei. August.

Domine, memento mei.] Qui prima duo documenta probè didicerit, ad tertium securè procedet, & omnia de Dei sui bonitate sibi speranda fore firmissimè statuet: sicuti & latro nos edocet, cùm Dominum vt sui meminisset in regno tanta fiducia deprecatur. Et meritò quidem eo tempore, quo Christum ipsum (quem Dominum esse etiam in ipsa cruce, & post mortem regnaturum firma fide confitetur) corona spinea redimitum, & clauis per manus affixum conspiciebat, eiusdem memoriæ se totum committit. Namque sedes memoriæ caput est, iuxta Philosophorum, & Medicorum doctrinam, liberalitas autem in manibus ostenditur. Quanta igitur, & quàm secura spe, firmaque fiducia, vt sui haberet memoriam poterat latro Dominum exorare, qui, vt eius peccata ablueret, & malis omnibus remedium adhiberet spinis vndique in capite pungebatur, & manus habebat clauis apertas, per quas misericordiæ atque libe-


liberalitatis diuinę riuuli, simul cũ sanguine defluebāt. Verissimè quidem considerare licet, quod oẽs acerbissimę pũctiones, quibus singulæ spinæ sacratissimũ Christi Domini caput pungebãt; simul in memoriam reducebat causam illam, ob quam dolores illos patiebatur. Intellexit igitur sapientissimus hic latro, quòd quamuis Christi Dñi caput, postquam fuisset in regno collocatum, & gloria, & honore coronatum, ab ijs spinarum punctionibus foret liberandum, non tamen obliturum dolores illos; quos tunc in cruce patiebatur, quinimò eosdemmet cruciatus Deo Patri pro ipsis hominibus esset oblaturus: vnde prudenter quidem atq; fiducialiter ad eius memoriam cõfugit. Cùm Isaias de hominibus per Christum saluandis ageret, & eorum ingentem fœlicitatem vellet extollere, ait inter cætera, *Et eris corona gloriæ in manu Domini.*] nouã Ierusalẽ (fidelium sc. sanctorum congregationẽ per Christũ redemptam) alloquitur, de qua Dñs ipse gloriatur, atq; de regali gloriæ corona. Sed quomodo in manu, & non in capite? locus namq; coronę caput est. At dũ corona in capite consistit non ab eo, qui ea est exornatus, conspicitur; quam si oculis vult aspicere, vt in ea oblectetur, in manibus defert. Peccatores igitur, qui vitiorũ spinis innocuũ Christi Dñi caput in cruce coronarũt, quando per eandẽmet crucẽ ac passionem redemptionem consequuntur, corona sunt in manu ipsius Dñi, quia eos summo gaudio intuetur, atq; de eorũ salute delectatur. Quibus adde illud quod Dñs per ipsum Prophetam dicit alibi. [*Nũquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui. & si illa oblita fuerit, ego non obliuiscar tui; ecce in manibus meis descripsi te*] quod quidẽ iuxta multorum sentẽtiam tunc adimpleuit, quando ipsa clauorum foramina atq; fixuras in manib' post resurrectionẽ reseruauit. Quę omnia cũ latro in cruce diuinitus illustratus aliquo modo præsentiret, non dubitauit se suaq; omnia tã memori Dño cõmendare inquiẽs, *Domine memẽto mei, dũ veneris in regnũ tuũ.*

Amen dico tibi, Hodie mecũ eris in paradiso.] Humilis, deuota, ac fidelis deprecatio talem promeruit responsionem

ſpõſionem, in qua iuxta tres illas ſupra enarratas ſerè orandi circũſtantias, plura latroni, quàm poſtulauerat à Dño cõceduntur: de quibus, ne cuiquã liceret dubitare, affirmãdo pollicetur, inquiens *Amen*] quod ineffabilẽ oſtẽdit veritatẽ in promiſſione. *Dico tibi*] tibi, inquã, qui te impiũ atq; ſceleratũ cognouiſti, & palã profeſſus es: tibi latroni rerũ terrenarũ, qui modò cęleſtia vehemẽter rapuiſti: tibi viarũ inſidiatori, qui ſalutis viã in ipſa mortis via, cruce ſc. quæſiuiſti: tibi homicidæ; qui quoniã multis vitã eripuiſti, vitã, ac crucis tormẽta iuſtitiæ meæ in debitã pœnã obtuliſti: tibi fratricidæ, qui vt immane ſcelus in germani fratris morte perpetratũ compẽſares, ſocio criminis, & vti fratri in pœna, pro tua virili parte vitã animę procuraſti: tibi deniq;, qui aduerſus teipſum iudex & tortor fuiſti. Dico, i. ſpondeo, vel promitto: Hodie,] quia ita te voluntati meæ tradidiſti, vt tempus ad tui reminiſcendũ nõ præfigeres, neq; terminũ conſtitueres, ideo beneficiũ accelero, & hoc eodẽ die accipies. Mecũ] addidit, vt illius ſpẽ magis ac magis corroboraret: cùm enim latro de ſuis meritis iure optimo diffiſus ad eius miſericordiã totus confugiſſet, vt eũ ſecurũ redderet, dixit, *Mecũ eris*] veluti diceret, in mea ſocietate atq; comitatu, mihi innixus, & inhærens non eſt ꝙ verearis, ego te ſaluum & incolumẽ per mortis atq; iudicij aſperã difficilemq; viã ducam. Qua promiſsione illa iam ſancta anima obfirmata cum Dauid decantare poterat, *Nam et ſi ambulauero in medio vmbra mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Pſalm. 22.
In Paradiſo] In regno petierat latro, vt ſui Dñs meminiſſet, at ille Paradisũ promittit, vt ſummã futuræ gloriæ, & ſecuritatẽ, & lætitiã explicaret. Nomẽ nãq; regni ſimpliciter prolatũ, cùm terrenũ etiã regnũ ſignificet, inquietudines ac varias curas inuoluit, ꝙ multis verbis ſapiẽs Salomon declarauit, quãdo poſtquã ſe regẽ eſſe, regnumq; Ieruſalẽ, & Iſraël poſsidere cũ ſumma fœlicitate cõmemorat, addidit tñ omnia eſſe vanitatẽ & afflictionẽ ſpirit⁹, nihilq; ſub ſole pmanere. At Paradiſi nomẽ imperturbabilẽ pacẽ, ęternãq; gloriã ac beatitudinẽ pręfert. Hũc igitur locũ Dñs Eccl. 1. & 2.

latroni promittit, & veritati promiſsionis rei euentus reſpondit: namque eademmet hora, eodemque temporis momento, quo ſancti latronis anima poſt crurifragium, è corpore in cruce pendenti exijt, ad Christum Dominum aduolauit, & gloriæ lumine illuſtrata diuinæ eſſentiæ viſionem eſt conſecuta, in qua cum perfecta conſiſtat beatitudo, ſtatim in Paradiſo fuit. Hanc admirabilem Chriſti crucifixi virtutem ac liberalitatem conſiderans D. Sophronius, non ſolum exiſtimat ipſos inferorum principes, tartareaſque poteſtates obſtupuiſſe, cùm ab illa cruce latronis animam mira claritate fulgentem, atque diuina gloria circundatam, ad Chriſtum illico euntem vidiſſent, ſed etiam illoſmet Cherubinos, Paradiſi cuſtodes, tanta fuiſſe admiratione commotos latronis animam conſpicientes, vt ſigniferum ante omnes iuſtos præeuntem, vt ſtatim arma ignea deponerent, terga verterent, ſtationem relinquerent: atque exinde paradiſi portæ patefactæ ſunt, omnibuſque ingredi volentibus patent, ſi crucem amplectantur, atque vel Chriſtum Dominum innocentem, ſumma cum patientia omnia perferentem, vel ſaltem ſanctum hunc latronem pro peccatis iuſtè damnatum, ſed humiliter peccata cognoſcentem imitentur, fauente ipſo Domino Ieſu, cui eſt honor, & gloria cum Patre, & Spiritu ſancto, per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

S. Sophron.



FERIA

FERIA QVINTA in Cœna Domini.

SERMO SECVNDVS.

Sciens Iesus, quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem; cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Ioan. 13.

QVid sit in finem diligere, variè à sanctis Patribus cæterisque Ecclesiæ doctoribus interpretatur: quod licet loci difficultatem non minimam declaret, nihilominus multis ac varijs huius diei mysterijs explicandis ansam præbet. Cùm igitur de eximia illa charitate, quam Christus Dominus in hac vltima hora, ac transitu ad Patrem ostendit, nobis præcipuè sit agendum, D.P. Augustinum sequendum duxi, qui finem hunc ipsummet Christum interpretatur, ductus illis D.Pauli verbis, *Finis legis Christus, ad iustitiam omni credenti*] quare & arbitratur omnes illos Dauidicos psalmos, in quorum titulis apponitur In finem] ad Christum præcipuè pertinere, & ad illum dirigi. Quando ergo dilectus Euangelista dicit, quòd Christus Dominus cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos, perinde est, ac si diceret, in seipsum dilexit, id est, ad hoc nos dilexit, vt ad se perduceret, faceretque eo transire, quo ipse præcessit. iuxta quam expositionem non erit à sacri Euangelistæ mente alienum, si dicamus voluisse illum nobis veluti digito ostendere primum, ac præcipuum fontem, ex quo magnum illud admirabilium operum flumen emanauit, & vnde tot ac tanta in homines

August. in Ioan.
Rom. 10.

peccatores beneficia processerunt. Namque cùm illis Christi charitas in ipsammet ipsius Christi diuinitatem infinitamque dilectionem tamquam in præcipuum finem intenderet, ad illius amoris vnionem omnia perficiebat, & per admiranda huius diei opera, mirabilesque charitatis effectus omnium hominum mentes ad eundem finem dirigere, secumque vnire satagebat: *Omnia flumina intrant in mare,* inquit Sapiens, *& mare non redundat: ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant*] ita etiam illa miserationum flumina per tot vulnera in hac vltima hora à Christi Domini humanitate profluentia, abundantes illi benignitatis fluuij ex illo sacro pectore procedentes ab immenso diuinitatis pelago exierunt: atque ad illud quidem inexhaustum mare reuerti oportere docet Euangelista, cùm dixit: *in finem dilexit eos.*] Vnde denuò maiori impetu refluentes vniuersam terram misericordijs repleuerunt, miserationibus irrigarunt, & infinitis beneficijs affecerunt.

Eccles. 1.

Ad hanc igitur expositionem latius expendendam considerandum est, quod inter omnes eas virtutes, quibus Spiritus sanctus fidelium animas illustrat, atque ad æternam beatitudinem consequendam aptas reddit, tres illæ, quæ Theologales dicuntur, primum, & præcipuum locum obtinent, Fides, Spes, & Charitas, quia circa ipsum beatitudinis obiectum, qui Deus Optimus, & Maximus est, versantur, & de eo præcipuè agunt. Fides namque est illud lumen certissimum, & ineffabile, quo debilis intellectus ab ipso Deo illustratus ad diuinas veritates cognoscendas eleuatur, quas quidem homo per seipsum minimè cognoscere valebat: quibus etiam, licet obscurè cognitis, fide tamen innixus firmissimè, & indubitanter assentitur. Spes autem voluntatis humanæ imbecillitatem corroborat, pusillanimitatem erigit, vt absque vlla hæsitatione à Deo omnipotenti supernaturale auxilium, & insuper æternam illam beatitudinem, quæ Dominus ipse est, expectare non dubitet. Charitatis vero munus proprium existit,

stit eandem voluntatem Deo ipsi venire, & illi summo bono adglutinare, quod infinito amore dignum esse fides ostendit, & spes ad illud adipiscendum auxilium pollicetur. Cùm igitur tres istæ virtutes de Deo ipso nulla alia remediante agant, ob infinitam obiecti excellentiam cæteras virtutes merito excellunt. Quod si quæras, quænam harum trium præcipua sit, Diuum Paulum respondentem audi: *Nunc autem manet, fides spes, charitas, tria hæc: maior autem horum est charitas.*] Cuius causam assignans angelicus Thomas, inquit, quod fides intellectum, & voluntatem ad Deum eleuat, ipsumque attingit, vt ab eo veritatis cognitionem percipiat: spes verò in ipsum etiam Deum fertur, vt ab eo veritatis cognitionem percipiat, spes verò in ipsum etiam Deum fertur, vt eius ope beatitudinem adipiscatur. At charitas Deum ipsum quærit, solum vt in ipso sistat, non vt ab eo aliquid sibi proueniat: quare cum absque vllo respectu ipsi Deo adhærere, eidemque vniri exoptet, & in eo conquiescere, merito, & optimo iure primum sibi locum vendicauit. Hanc charitatis excellentiam explicans D. Bernard. mellifluis verbis ita inquit: Non sine præmio diligitur Deus, etsi absque premij intuitu diligendus sit. Vacua namque vera charitas esse non potest, nec tamen mercenaria est. Affectus est, non contractus, nec acquiritur pacto, nec acquirit. Verus amor seipso contentus est, habet præmium, sed id quod amatur: verus amor præmium non requirit, sed meretur.] Ob hanc charitatis excellentiam eidem soli conceditur, vt æterna sit, & in beatitudine gloriæ non solum permaneat, sed & vltimam perfectionem acquirat. Cessabit tunc fides, quia beata anima lumine gloriæ illustrata, Deum ipsum sicuti est intuebitur: spe non indigebit, quia securè possidebit bonum, quod antea expectabat: charitas ardentius & perfectius summo bono clare viso adhærebit, eidemque intime, & inseparabiliter vnietur. Ex quibus infertur, quod Christi Domini anima licet omnibus virtutibus supernatu-

1. Cor. 13.

2. 2. q. 23. ar. 6.

Bern. de dilig. Deo.

tura humana à Deo diligeretur. Hunc summæ charitatis affectum circa humanum genus à se redemptum voluit Dominus exprimere in ea mirabili visione eidem dilecto discipulo ostensa in insula Pathmos, quando videlicet in spiritu positus vidit *similem filio hominis vestitum podere, & præcinctum ad mamillas Zona aurea.*] Ille enim similis filio hominis absq; dubio ipsum Christum Dominum repræsentabat, qui venit in similitudinem carnis peccati, & per omnia fratribus assimilari voluit præter peccatum. Illud autem vestis genus ad sacerdotes pertinens, ad talos vsque defluebat, & corpori vndique absque vlla ruga adhærebat, quæ quidem vestis iuxta Diui Augustini sensum, Ecclesiam designabat (id est, fidelium congregationem (in eo statu, quem Dominus ipsse desiderat, id est, non habentem maculam, quæ eam deformem reddat, neque rugam quæ omnimodam secum vnionem impediat. Quomodo & per illam inconsutilem Domini tunicam fuit significata, cuius diuisionem in partes ipse prohibuit, vt Ecclesiæ vnitatem declararet. Hanc igitur adeo sibi dilectam vestem, hos fideles & proximos suos ipse secum constringit ad mamillas, vbi cor residet, Zona aurea, eo scilicet arctissimo, purissimo, atque ardentissimo charitatis affectu, quem nobis eiusdem Euangelistæ verba declarant, quando dixit: *Cùm dilexisset suos, qui erant in hoc mundo, In finem dilexit eos*] Vt enim mea fert opinio, non est hic sermo de illa increata charitate, quæ etiam ipse est, & qua ab æterno in seipso nos dilexit, sed de creata ea charitate, qua ipsius Christi Domini cor fuit accensum ab instanti incarnationis, ita vt iam inde suos qui erant in mundo intimè diligeret. Cuius charitatis perfectionem, vt sacer Euangelista perspicuam reddat, In finem eum dilexisse suos dicit, quasi dicens, quod illa charitas, illa dilectio, qua suos semper dilexerat, illum respiciebat finem, vt eos secum vnum faceret per eandemmet charitatem; atque eadem aurea amoris diuini zona eorum corda secum constringeret,

Apoc. 1.

August. in Psalm. 132.

ret, eodemque igne, quo ipse accensus erat, animos inflammaret, vt ad se perduceret, qui est & finis vltimus, summumque bonum rationalis creaturæ. Hoc innuūt & inculcant illa ipsius Domini verba in ea oratione qua Patrem pro illis exorauit in huius vltimæ cœnæ fine, vbi ait: *Et pro eis ego sanctifico meipsum* (id est, ad mortem offero) *vt sint & ipsi sanctificati in veritate. Non pro eis rogo tantum, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me: vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint.* Ecce in quem finem nos dilexit, vt scilicet in eo, & cum eo vnum simus, vt mediante charitate diuinæ naturæ consortes efficiamur, vt ibi tamquam in vltimo fine quiescamus. Adhoc faciunt illa Canticorum verba iuxta aliquorum expositionem, *Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media charitate constrauit propter filias Ierusalem.* Ferculum hoc pulcherrimum Christi fuit humanitas, qua veluti instrumento Deus vsus est, vt suam in homines charitatem declararet: de lignis Libani dicitur ferculum confectum, cedris nimirum imputribilibus & odoriferis, quia sacra illa humanitas, & ab omni vitiorum corruptione fuit immunis, & omnium virtutum odore flagrans: Argenteæ columnæ eius miranda opera designant: Aureum reclinatorium erat corpus illud purissimum, in quo tunc immensa Christi charitas veluti in reclinatorio quiescebat, quando nullis laboribus parcebat, quando in oratione pernoctabat, quando ex itineribus fatigabatur, quando denique corpus ipsum dedit percutientibus, & tradidit voluntati inimicorum, vt eum cruci affigerent, & crudelissima morte afficerent. Quare & ascensus purpureus dicitur, quia per totius sanguinis effusionem requiem amoris quæsiuit. Vbi verò nostra litera habet, media charitate constrauit, alia veluti exponens dicit: *Et medium tenet ipse accensus propter filias Ierusalem.*]Ipse namque noster verus Salomon adeo

Ioan. 17.

Cant. 3.

cha-

charitatis igne fuit accensus, vt meritò illam ipsammet charitatem appellandam dicat nostra vulgaris editio. Hanc autem nimiam charitatem ideo tot ac tantis argumentis testatam esse voluit, vt filias Ierusalem, id est, fideles animas ad se diligendum alliceret, ad se perduceret, & secum vnum faceret. Eiusdem ardentissimæ charitatis, qua suos in finem Christus Dominus dilexit, figuram expressit raptus ille mirabilis Eliæ. Namque cùm Elisæus à filijs Prophetarum admonitus præceptoris sui Eliç abscessum præsentiret, neque ab eius latere discedere vellet, vt duplicem, quem postulauerat, spiritum consequeretur, *Cumq; pergerent, & incedentes sermocinarentur, Ecce currus igneus, & equi ignei diuiserunt vtrumq;*] & in illo curru Elias in cœlum aëreum raptus est, & Elisæo clamanti post se, discessumque eius deploranti pallium misit, quo ille accepto, Iordanis aquas diuisit. Si igitur Christi Domini vitæ discursum consideremus, eum sicuti Eliam, à Spiritu sancto ex vna in aliam partem duci reperiemus, vt hominum salutem quæreret, & perditas oues ad ouile suum reduceret, fieretque vnum ouile, & vnus pastor: quod illa Euangelistæ verba declarant, Cùm dilexisset suos, qui erant in mundo] charitas enim est illa vis ab Spiritu sancto impressa, qua ductus multa itinera confecit, vt peccatores saluos faceret. At quando ab oculis suorum corporeis se voluit subtrahere, vt mentis oculos fide firma, & indubitata, perfectius illustraret, duplicemque charitatis spiritum infunderet, discessum, & raptum suum in monte Caluariæ vltimo peregit, cùm crucem ascendit, & ibi vltimum spiritum emisit. Crux enim ille igneus currus merito dici potest, illo diuino igne ardens, quem Dominus venit mittere in terram. Equi verò ignei currum ducentes, geminam illam charitatem designant, Dei scilicet, & proximorum, qua Christus Dominus propter Patris gloriam propagandam, & propter hominum peccata abluenda crucem sponte ascendit, & in ea vsque ad finem perseuerauit. Currus verò quatuor rotis ferebatur

4. Reg. 2.

gebatur, quia in cruce Dominus illarum quatuor virtutum actus, quæ ob sui excellentiam cardinales dicuntur, mirabliter exercuit. Incomprehensibilem ostendit prudentiam, siue sapientiam in eo quod diuinam potentiam sub tanta humilitate, & abiectione occultauit, Principem mundi foras eiecit, & penitus debellauit non potestate, sed infirmitate. Quare Diuus Paulus Christum crucifixum Dei sapientiam appellauit. Vnde noster Euangelista Christi Domini in hac vltima hora scientiam toties inculcat, sciens quia venit hora eius: sciens quia omnia dedit ei Pater in manus: sciens quia à Deo exiuit] Si iustitiam consideres, quæ vnicuique suum reddit, hanc ita exercuit, vt ex toto iustitiæ rigore Deo Patri Adæ debitum persoluerit, peccatorumque omnium remissionem sufficientissimè impetrauerit, quando propter nimiam charitatem suam, qua nos dilexit, sua sanctissima passione in ligno crucis nobis iustificationem promeruit, & pro nobis diuinæ iustitiæ satisfecit: cuius quidem satisfactionis virtute, & efficacia per diuina sacramenta iustificamur. Quod aliquo modo Christus Dominus D. Petro pedum ablutionem pertinaciter renuenti significauit, inquiens, si non lauero te, non habebis partem mecum.] Ipse namque solus est, cuius sanguine in cruce effuso lauamur à peccatis nostris. Temperantiæ verò virtute licet ad refrænandas deprauatas voluptates minimè indiguerit, quia ab omnibus fuit liber & immunis, in eo tamen perfectissimæ temperantiæ specimen præbuit, quando in cruce summam humilitatem, obedientiam, ac dolorum & acerbitatum tolerantiam, & perfectam corporis mortificationem edocuit, iuxta illud Diui Pauli, in omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur, aporiamur, sed non destituimur: persecutionem patimur, sed non derelinquimur: humiliamur, sed non confundimur: deijcimur, sed non perimus: semper mortificationem Iesu Christi in corpore nostro circumferentes.] Ea autem est Iesu Domini nostri mortificatio, qua in

2. Cor. 4.

cruce

cruce pendens humanitati suæ omnem consolationem, necessariumque refrigerium denegauit, vt nos ab inordinatis voluptatibus abduceret, & ad sobrietatem sectandam induceret. Fortitudinem denique admirabilem ostendit, non solùm quia Principem huius mundi deuicit, & foras eiecit, ac morte sua mortem superauit, sed & quod constantissimè acerbissima tormenta pertulit, & vsque in finem perseuerauit. Vnde & à Diuo Paulo Christus crucifixus, Dei virtus, id est, potentia, nominatur. His igitur quatuor virtutibus veluti rotis in crucis igneo curru noster diuinus Elias fuit raptus, & in eo discessu Elisæo pallium, quo tegebatur, dereliquit. Corpus namque suum, quo diuinitas occultabatur discipulis hac nocte tradidit, & perpetuo Ecclesiæ suæ concessit. Et sicut ipse Dominus corporis sui pallio per passionis aquas ex hoc mundo ad Patrem pertransiuit, ita vnusquisque fidelium huius sacratissimi pallij, in sacra Eucharistia exhibiti participatione corroboratus, potest cuiuscumque tribulationis fluctus superare, & duplicem charitatis spiritum adipisci.

Suos qui erant in mundo.] Angelicus Doctor Thomas eam mouet dubitationem, vtrum plus diligat benefactorem suum ille qui beneficium accepit, an benefactor eum, cui beneficium contulit. Quam dubitationem explicans inquit, quòd si ad rationem excellentioris boni respiciamus, magis est diligendus benefactor, quia beneficij principium extitit, & ab illo bonum illud processit: ob quam rationem Pharisæus ille Simon, qui Dominum inuitauerat, & qui ob peccatricis benignam susceptionem intra se de ipso murmurauerat, quærenti Domino, Quisnam ex duobus illis debitoribus quibus misericorditer debita sunt remissa, diligentem plus diligeret, respondit: Æstimo quia is cui plus donauit] quia scilicet maius beneficium acceperat, & plus diligere tenebatur. At si de maiori coniunctione & amoris vnione sit sermo, inquit Diuus Thomas, plus diligit benefactor eos quos beneficijs affecit, quàm è contra.

2.2.q.26. ar.12.

Luc. 7.

 tra.

tra, Quòd quidem quatuor rationibus ex Aristotele desumptis vult esse persuasum: ex quibus Christi Domini charitatis excellentiam, qua nos in finem dilexit, aliqua ex parte ostendere conabimur.

Prima ratio. Qui beneficium accepit, fit quodammodo opus benefactoris sui, vnde & consueuit dici illius factura, imò & creatura. Iam autem naturali quadam inclinatione & amoris affectu vnusquisque proprium opus diligit: vt illius arboris, quam quisque plantauit, vel propria manu inseruit, fructus suauius decerpit & degustat: quam ædificauit domū delectabilius inhabitat: Cùm enim vnusquisque naturaliter suum esse atque viuere diligat, hoc autem in proprijs operibus repræsentetur, & viuat, ideo peculiari quodam affectu diligit, & quos beneficijs affecit. Quem dilectionis affectum in Christo Domino explicauit, cùm dixit: Cum dilexisset suos, qui erant in mundo] Quasi dicens, quod eos vt peculiares suos, opera sua, in quibus suæ immensæ charitatis atque liberalitatis affectus satis ostenderat, intimè diligeret. Iuxta hanc diuinam charitatem loquitur Isaias cum aliquoties homines per Christum redemptos, peccatores conuersos, animas per eius sanguinem ac mortem, à potestate Diaboli ereptas, opus eius appellare non dubitat. Ecce, inquit, merces eius coram eo, & opus illius coram illo] Imò & ipse Christus Dominus eodem loquendi modo sæpe vsus est, cùm hominum redemptionem, tum Patris sui tum opus suum nuncupauit. De Samaritanis in oppido Sichar conuertendis dixit discipulis, *Meus cibus est vt faciam voluntatem Patris mei, vt perficiam opus eius.* Item alibi, *Hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quem misit ipse.* Et denique in ea vltima oratione post cœnam ad Patrem ait: *Opus consummaui, quod dedisti mihi vt facerem.*] Vt enim sui amoris affectum ex eo testatum redderet, quod nos tamquam opera sua diligeret, ideo toties ob oculos proponit, nostram salutem opus suum extitisse. Hinc etiam effectum

[Margin notes: Isai. 40. & 62. — Ioan. 4. — Ioan. 6. — Idem 17.]

fectum est, vt cùm Diuus Petrus humiliter quidem, sed intempestiue pedum ablutionem detrectaret illis verbis, *Non lauabis mihi pedes in æternum,*] audiret à Domino: *Si non lauero te, non habebis partem mecum.*] quasi dicat, non eris opus meum.] In hoc enim, opus Christi Domini sumus, cum ab eo abluimur, cùm eius sanguine à peccatis mundamur, cùm beneficio gratiam & sanctificationem accipimus.

Secunda ratio: Vnusquisque naturaliter diligit, in quo suum aliquod bonum conspicit: at benefactor in beneficijs affecto illud bonum videt, quod eidem impertiuit, non quidem quatenus sibi vtile est, sed quatenus ab eius liberalitate processit; vnde & excellentius diligit. Et quid aliud iuxta Diui Augustini expositionem significat, In finem dilexit eos? dilexit namque in se ipso, id est, quatenus eos sibi vniuit, & secum vnum fecit, & eis seipsum communicauit, summique boni participes effecit. Dilexit, inquam, in seipso, & non in ipsismet, quia ex illis nullam poterat sibi sperare vtilitatem, quin potius vnius proditionem, alterius negationem, & omnium fugam præuidebat. Omnes igitur illæ circumstantiæ enumeratæ, videlicet, *cùm Diabolus iam misisset in cor, vt traderet eum Iudas*: &, *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus*: &, *Quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit*: illud apertè significant quod non dilexit suos, qui erant in mundo, ob aliquod bonum sibi ipsi vtile, vel quia eis aliquo modo indigeret, sed suamet bonitate ductus, quia eos sibi amore copulauerat, vt in seipso eos diligeret. Vnde quando in hac vltima cœna diuinum Eucharistiæ sacramentum voluit instituere, & seipsum hominibus manducandum præbere, prius in cœlum oculos erexit ad Deum Patrem suum omnipotentem, quia nimirum non erat inter homines, qui tam magnum beneficium posset promereri, sed ab illo immenso charitatis diuinæ pelago solum prodire.

Ad amantem pertinet agere: quicquid enim potest boni, operatur, vt dilecto prodesse valeat: at qui diligitur, & bonum recipit, quodammodo patitur. Et cùm iuxta Domini sententiam beatius sit dare, quàm accipere] fit vt maior charitas ostendatur in benefactore, quàm in eo qui beneficium recepit. Huius rationis efficacia in eo consistit, quod dilectio vacare non potest, & pro dilecto magna operatur, vt dilectionem suam testatam reddat. Quanta igitur, & quàm miranda opera à Christo Domino hac die, hac hora, in hoc suo ad Patrem transitu sunt peracta, vt immensam suam charitatem hominibus manifestam faceret? Discipulorum, & Iudæ ipsius traditoris pedes humi prostratus, lauit, & linteo abstersit: se ipsum manducandum præbuit, & diuinum hoc sacramentum instituit. Innumera pertulit opprobria, acerbissimos dolores, & tandem in cruce offerri voluit pro nostra omnium salute: quo nos huius summæ dilectionis certiores redderet. Ob eandem causam voluit, vt miles lancea latus eius post mortem aperiret, vt palam faceret, quanto charitatis affectu pro nobis morti se obtulisset. Contingit aliquando vt cùm aliquis repentina morte vel infirmitate aliqua medicis incognita diem claudit extremũ, per Chirurgos in Anathomia peritos defuncti cadauer incidatur, viscera aperiantur, vt mortis causa cognoscatur. Sic diuina prouidentia est, vt miles latus Domini post mortem aperiret, pectus patefaceret, & inde continuo sanguis & aqua magno impetu exirent: vt palam fieret, ardentem erga homines charitatem præcipuam mortis eius causam extitisse, qua tantopere Christi Domini cor in vltima mortis hora fuit accensum, vt illius caloris vi, sanguis & aqua statim atque latus fuit apertum continuò exierint. Vigilanti verbo vsus est Euangelista, inquit Augustinus, cùm ait: Aperuit, non percussit, non vulnerauit, vt illic quodammodo vitæ ostium panderetur.] In ea enim ardentissima charitate, quam ostendit, nobis vitæ portam aperuit, securosque de sua erga nos beni-

August.

gni-

gnissima voluntate reddidit. Quare cum Diuo Ioanne summa fiducia dicere nobis licet, Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis in sanguine suo. Apoc. 1.

Quarta ratio. Difficilius est beneficia impendere, quàm recipere: iam autem ea plus diligimus, in quibus plus laboramus; quæ verò nobis de facili proueniunt quodammodo vilipendimus. Rachelem Iacob vehementius adamauit, pro qua tot labores sustinuit, Liam verò remissius, quæ vltrò fuit oblata. Quid igitur mirum si Christus Dominus ardentissimè homines dilexit, & diligat, pro quibus tot ac tanta perferre non dubitauit? Luce clarius extat, ait Bernardus, quantum pro te homo dispendium fecerit. de diuite pauper, de Domino seruus, caro de verbo, & de Dei filio hominis filius fieri non despexit.] Quibus si addas omnes sanctissimæ vitæ suæ labores & ærumnas, passionis opprobria, & acerbissimos cruciatus, totius sanguinis effusionem, & mortem crudelissimam, meritò à Diuo Paulo dictum reperies, Empti estis pretio magno.] Vt autem huius pretij magnitudinem semper ante oculos haberet, & nos de æterna sua charitate securos redderet, eademmet vulnera clauorumque fixuras, & latus apertum in corpore glorioso derelinquit, atque in cœlum asportauit: quæ semper intuens, semper quanti salus nostra illi constiterit, recordatur, & amare, quos tanto labore redemit, non cessabit. IV. ratio. Bernard. in Cant. ser. 11.

Omnibus igitur hisce rationibus satis superque comprobatur, quantum munificentissimus hic benefactor suos, quos tot ac tantis beneficijs affecit, æterno charitatis vinculo complectatur. Diligit namque tamquam opera & facturas suas: diligit, quia seipsum in illis contemplatur, cùm eos *In finem*, id est, in seipsum, dilexit, vt secum vnum faciat: diligit, quia plurima eis beneficia contulit, amoremque suum multis operibus ostendit: diligit denique, quia pro ipsis saluandis multa perpessus est. Quare cùm, vt Diuus Paulus ait, hæc Christi charitas nos vrgeat, & magnam vim humanis mentibus inferat: & Ber-

nar-

Bernard. nardus addat, quod ſanè multum fatigationis aſſumpſit, quo multæ dilectionis hominem debitorem teneret,] Quid agimus fratres Chariſsimi? Quid diligimus, quando hunc benefactorem non diligimus? Quæ noſtra eſt hęc ingratitudo? quæ mentis hebetudo? Væ mihi, ſi non dilexero, ait Ambroſius, quia nimirum nulla alia re amoris debitum perſoluitur, quàm ipſo amore, etiamſi vitam ipſam pro ipſius vita offeras, crucem ſubeas pro cruce, ſi non diligis, debitum non reddis. Quod innuunt illa D. Pauli verba, ſi tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. Reddamus ergo, ait Ambroſius, amorem pro debito, charitatem pro munere, gratiam pro ſanguinis pretio.]

Ambr.

1. Cor. 13.

At cùm noſtra dilectio ab illa immenſa Chriſti Domini charitate longiſsimè diſtet, neque reddere valeat vnum pro mille, dicere nobis licet cum ſancto atque regio Propheta, *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.* Quamuis enim hunc ſalutaris calicem Dominus ipſe dederit, vt Auguſtinus adnotauit, & de noſtro aliquid erat retribuendum, cùm tamen iam hic calix ſit noſter & nobis datus ab hoc liberaliſsimo benefactore, per ipſum eidem tantum debitum retribuamus. Inuoco igitur amantiſsime Domine Ieſu, ſanctiſsimum nomen tuum, & hunc eundem præclariſsimum ac ſalutarem calicem corporis & ſanguinis tui, quem mihi dediſti, & præſentem cerno, tibi offero, tuamet charitas, quæ tecũ in hoc mirabili ſacramento exiſtit, digna eſt tuę charitatis retributio. Teipſum tibi præſento, vt qui me in teipſo, & ad te ipſum dilexiſti, & diligis, propter teipſum amoris tui igne accendas, & tecum ad Patrem tranſire facias, vbi cum Patre, & Spiritu ſancto in æternum regnas.

Pſalm. 115.

Auguſt.

Amen.

FERIA

FERIA QVINTA in Cœna Domini.

SERMO TERTIVS.

Scitis quid fecerim vobis? Ioan.cap.13.

IN hac vltima præsentis Euangelij parte voluit Dominus beato Petro reddere illam promissionē, quando illi expauescenti, inquit Aug. & dicenti: Domine tu mihi lauas pedes, respōdit ei: *Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea.* Ecce est ipsum Postea, ait S.Doctor: memor itaque Dominus se promisisse iam dudum scientiam facti sui, tam inopinati, tam mirabilis, tam expauescendi, & nisi ipse vehementer terruisset, nullo modo sinendi, vt Magister non tantum ipsorum, sed & Angelorum, & Dominus non tantum ipsorum, sed rerum omnium, lauaret pedes discipulorum, & seruorum suorum.] Nunc promissionem adimplet, & tum B.Petro, tum etiam cæteris discipulis omnibusque fidelibus tanti facti causam exponit, atque vt attentos reddat ita incipit: *Scitis quid fecerim vobis?*] & tunc prosequitur, dicens: *Vos vocatis me magister, & Domine, & bene dicitis, sum etenim: si ergo laui pedes vestros Dominus, & Magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis & vos faciatis.* Non ignoro eam esse multorum sententiam, vt hoc exemplo primo, & præcipuè à Christo Domino humilitatem commendari existiment, quo innatam hominibus animi elationem deprimat, & confundat. Ego verò in ea sum opinione, vt mihi persuadeam, fraternam ac mutuam charitatem potissimum à Domino suo hoc exemplo commendari, quę cum

August. In Ioan.

cùm talis est, qualem ipse, & verbis, & operibus toties edocuit, patiens est, benigna est, non inflatur, imò vilissima & abiectissima humilitatis opera libenti animo exercet, vt proximorum vtilitati consulat, licet sint inimici. Hoc autem primum & præcipuum esse exemplum à Christo Domino nobis ad imitandum propositum ex huius Euangelij initio satis, vt arbitror, comprobatur, vbi diuinis, & suauissimis verbis discipulus dilectus ipsius Christi Domini dilectionem amplificat, inquiens: *Sciens Iesus quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem, cùm dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.*] Deinde Iudæ proditionem commemorat, qui vnus erat ex recumbẽtibus, & cuius pedes ab ipso erant lauandi. In quo quidem facto potissimè ardentissima charitas elucet, qua traditorem licet à diabolo possessum, & in malitia obstinatũ ad saniorẽ mentem reducere satagebat: vt hoc mirabili exemplo nos ad opera charitatis tam amicis, quàm inimicis exhibenda vehementissimè excitaret.

Ephes. 3. Diuus Paulus in ea quam Ephesijs scripsit, epistola, postquam multis, & verbis, & rationibus admirabile, & secretissimum humanæ reparationis mysterium, sacramentum reconciliationis, & diuinam tum sapientiam, tum potentiam in Christo Iesu ostensam amplificauit, consequenter hæc addidit: *Huius rei gratia flecto genua ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur, vt det vobis secundum diuitias gloriæ suæ, virtute corroborari per spiritum eius in interiorem hominem, Christum habitare per fidem in cordibus vestris: in charitate radicati, & fundati, vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum: scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, vt impleamini in omnem plenitudinem Dei.*] Magni quidem momenti ea res est, quam, vt Ephesijs impetraret, tantus Apostolus tam obnixè Deum deprecabatur & quinnam erat? vt scilicet eos interius fidei lumine

ac diuina virtute corroboraret, quo possent cum omnibus sanctis cõprehendere illas quatuor dimensiones, latitudinis scilicet, longitudinis, sublimitatis, & profunditatis. Per quas dimensiones illimitatas, & nullis terminis præfixas, quàm incomprehensibile, & supra omnem intellectum existat mysterium nostræ redemptionis, per vnigeniti filij Dei incarnationem & mortem operatum, voluit Diuus Paulus aliquo modo explicare. Deinde orat, vt eis concedatur, *scire supereminentem scientia charitatem Christi*: vbi nomen *scientia*, in datiuo est positum. Et est sensus, Oro vt vobis Ephesijs Deus Pater mentis oculos aperiat, quo possitis scire, & cognoscere charitatem Christi, quæ omnem scientiam superat, quæ excedit & supereminet omnem nostram cognitionem, cuius scientiam assequi non valemus. Cuius quidem cognitionis erit effectus, vt scilicet impleatur in omnem plenitudinem Dei, id est, participes fiant illorum omnium bonorum, quæ hac immensâ Christi charitate mediante, & ipsius redemptionis efficacia Deus Pater impertiri hominibus peroptat, & paratus est. Ea igitur est Diui Pauli mens, vt ostendat, quod ad hoc vt vniuscuiusque fidelis anima immensis gratiæ bonis & diuinis beneficijs per Christi Domini redemptionem acquisitis repleatur, efficacissimum existit medium, peruestigare & intimo affectu cognoscere ea omnia, quæ ipse Dominus pro nostra salute mysteria est operatus, & insuper expendere incomprehensibilem illam, & supereminentem charitatem, qua nos dilexit, & qua vehementissime flagrans, miranda opera exercuit. Qui enim fieri potest, vt cùm rationalis mens hæc pro suo captu diuinitùs adiuta, cognouerit, & attenta consideratione expenderit, non eodem charitatis igne accendatur, eumque totis viribus totoque animi affectu non diligat, cuius tantam dilectionem comprehendere minimè valet? Nihil volitum, ait Diuus Augustinus, nisi præcognitum.] Namque cùm voluntas potentia sit cæca, prius intellectus debet singula præcognosce- August.

re, & omnes bonitatis rationes percipere (siue sint veræ, siue apparentes) antequam voluntas in obiectum feratur, & ad amorem inclinetur. Quo autẽ plura bonitatis argumẽta, & maiores boni perfectiones intellectus in obiectis inuenerit, eo maiori amoris affectu ea voluntas amplectetur. Quocirca cùm in Christo Domino, atq; in omnibus eius operibus tot eluceant ardẽtissimæ charitatis perfectiones, tot bonitatis atque beneuolentiæ documẽta, qui intellectualibus fidei oculis ea perspexerit, cogitatione expenderit, morosa consideratione fuerit contẽplatus, & diuina hæc mysteria mente peruestigauerit, absq; dubio in ipsa meditatione ignis exardescet, & volũtas ad amãdum accendetur. Expẽdens D. Aug. illa Christi Dñi verba: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eũ*, ostendensq; neminẽ inuitũ trahi, cũ animus amore trahatur, illud poëticũ vsurpat: *Trahit sua queq; voluptas.* Non necessitas, inquit Aug. sed voluptas; nõ obligatio, sed delectatio: quãto fortius nos dicere debemus trahi hominẽ ad Christũ, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur iustitia, delectatur sempiterna vita, ꝙ totũ Christus est] Et infra: Ramũ viridẽ ostẽdis aui, & trahis illam: nuces puero demõstrantur, & trahitur: & ꝙ currit trahitur, amãdo trahitur, sine læsione corporis trahitur, cordis vinculo trahitur. Si ergo ista, quę inter delitias, & voluptates terrenas reuelantur amãtibus, trahunt, quoniam verum est, Trahit sua quẽq; voluptas, non trahet reuelatus Christus à Patre? Trahetur quidẽ voluntas, & amoris vinculis summa voluptate trahetur, si ea, quę à Patre luminũ nobis de Christo eius filio sunt reuelata, & sacris literis expressa, intellectus discurrendo sæpe cogitauerit, & mẽtis oculis obiecerit. Cũ enim volũtas in bonum suapte natura feratur, ea diuina, & sibi per Christũ exhibita immensa bona toto affectu amplexabitur, & eorũ auctorẽ totis viribus diliget. *In Christo Iesu*, vt ait D. Paul. *sunt oẽs thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.* In illa nimirum humanitate fragili, despecta, humili, ad pedes Apostolorum abluendos

August. in Ioan.

Coloss. 2.

dos humi prostrata, & deinde vilissimorum hominũ pedibus conculcata, alapis cæsa, sputis fœdata, plagis vulnerata, spinis coronata, & tandem cruci affixa, in illa, inquam, sunt oẽs thesauri sapiẽtiæ & scientiæ, & insuper bonitatis, potentiæ, totiusq; diuinitatis. At sunt absconditi, perquirendi sunt, inuestigandi sunt: & cùm sint thesauri sapientiæ & sciẽtiæ, cõsideratione opus est. Meditatio est inquisitio, qua intellectus fide illustratus huius sacratissimæ humanitatis opera euoluit: & quo plus in consideratione profecerit, eo plus ad amorem accendetur. Murmurante Israelitico populo in deserto Sin ob aquæ penuriam, & aduersus Moysen & Aaron insurgẽte, ipsis ad Dñm clamãtibus præcepit, vt virga, quæ erat in tabernaculo, silicẽ percuterent, quę aquas exhiberet. Percutiẽs igitur Moyses virga bis silicem, egressę sunt aquæ largissimæ.] Alio deinde tempore volens Dominus populum Israeliticum de manu Madianitarum liberare, misit angelum ad Gedeonem, vt eum ducem constitueret: quem Gedeon hominem existimans ad prandium inuitauit, quod & attulit, carnem scilicet coctam & panes azymos. Cui angelus præcepit, vt omnia supra petram collocaret: & extendens virgam quam manu gestabat, percussit omnia illa, & è petra egressus est ignis, qui cuncta cõsumpsit. Quod aũt illa deserti petra, quæ dedit sitiẽti populo aquas, Christum Dominum expresserit, apertissimis verbis D. Paulus nobis declarauit cùm dixit: *Petra autẽ erat Christus*. Quod vtiq; (ait Ambros.) non ad diuinitatẽ eius, sed ad carnem relatum est: quæ sitientia corda populorum perenni vino sui sanguinis inundauit. Eandem etiam Verbi diuini carnem altera Gedeonis petra præfigurauit, quæ ad Angeli percusionem ignem emisit: in quo facto ostẽdit (ait idem Ambros.) quod caro Dñi spiritu repleta diuino, peccata omnia humanæ cõditionis exureret. In Christo enim fundamentali petra, & abundantissimæ latent aquæ, quibus peccata omnia ablui possunt, animarumq; innata sitis expleri: latet etiã ignis, quo frigida pectora incendãtur: omnia

Num. 20.

Iud. 6.

1. Cor. 10.
Ambr. lib. de Spirit. S. in prolog.

hæc in illa ſacratiſſima humanitate ſunt abſcondita, omnia in illo mirabili Euchariſtiæ ſacramento, quod cernitis, verè latitant, & veluti in ſilice includuntur. At vt hæ largiſſimæ aquæ nobis fluant, vt hic charitatis ignis in nobis accendatur, & mẽtes atq; opera inflammet, neceſſe eſt, vt petra ſit percuſſa non ſemel, ſed & bis, id eſt, vt intellectus in Chriſti myſterijs occupetur ſæpiſſimè, ad memoriam reuocet tot diuina eius opera, & ſedula conſideratione attentè & aſsiduè hæc meditetur. Quod tum Euangeliſta Ioannes, tum etiam Dominus ipſe voluit edocere. Euangeliſta namque priuſquam admirandum illud opus ablutionis pedum enarret; bis Chriſti Domini ſcientiam commemorat, inquiens: *Sciens quia venit hora eius. Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus,* &c. *Surgit à cœna,* &c.] Non ita hæc Dominus tunc ſciuit, quaſi antea non ſciuiſſet; nihil enim de nouo ſcire poterat, qui & tamquam Deus omnia ab æterno nouerat, & tamquam homo ab inſtanti incarnationis, per infuſam diuinitus ſcientiam, cuncta ſibi euentura cognouerat, & præſentia ſemper habuerat: at vt Euangeliſta perſpicuum faceret, quomodo ad illud opus tantæ charitatis & fraternę dilectionis exemplum ex perfecta diuinitatis ſuæ cognitione, & ex illa ſcientia, qua ſe à Deo exiſſe, & ad Deum reuerti conſpiciebat, proceſſerat (quia videlicet iam breuiſſimus ei reſtabat vitæ terminus) vt hanc ardentem charitatem hominibus manifeſtam faceret, hanc eius ſcientiam & diuinam cognitionem tam exactè commemorat. Et ipſe Dominus & Magiſter ad rudes diſcipulos informandos quonam pacto tantum ac tam excellens factum deberent extollere, venerari, & admirari, illis dixit: *Scitis quid fecerim vobis.* Admonendo & excitando potius, quàm interrogando loquitur; ad conſiderandum exhortatur, ad cogitandum & mente expendendum ſingula, quæ in hoc mirabili opere continentur, vehementer inducit.

Tria autem potiſsimè ſe offerunt conſideranda in hoc

hoc ineffabili exemplo, & diuinæ charitatis opere. Quis est qui facit. Quid est quod facit. Cui faciat, vel pro quibus faciat.

Vt autem Discipuli illius exempli excellentiam ex personæ dignitate colligerent, duo illis consideranda proponit: *Vos*, inquit, *vocatis me Magister & Dominus, & bene dicitis: sum etenim.*] Quæ duæ qualitates atque honoris tituli multum conferunt ad opus ipsum amplificandum, & plurimi æstimandum. Magistros namque æquè atque parentes à discipulis venerandos esse docet etiam humana Philosophia. Pythagoræ discipuli tantum Magistro deferendum esse existimabant, vt cùm ab illis alicuius documenti ratio quæreretur, nihil aliud responderent, quàm *Ipse dixit*. Domini etiam titulus superioritatem in subditos atque seruos importat. Non est autem consuetum in mundo, vt Domini sint simul Magistri: at Christus Dominus vtrumque nobis esse voluit, adeoque sibi hoc nomen proprium esse declarauit, vt discipulis prohiberet, ne se inuicem magistros nominarent. Nec vocemini magistri, quia magister vester vnus est, Christus. Hunc magistrum fidelibus suis per Isaiam multo ante promiserat Deus Pater cùm dicitur: *Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & aures tuæ audient verba post tergum monentis.*] Hic diuinus ille magister est, qui omnia, quæ à Patre audiuit, & pro discipulorum captu tradenda accepit, eis, dum viueret, nota fecit: & per eos Ecclesiã suam instruxit. Hic ille cœlestis Magister est, quem cœlestis pater voce de cœlo lapsa nos audire præcepit, cuius præceptis instruimur, cuius documenta sectantes à veritatis ac salutis via non possumus aberrare. *Domini* verò titulus adeò ipsi proprius est, vt illi soli propriè conueniat. Ait enim D. Augustinus, Ille est verè Dominus qui seruo non indiget] Quotquot inter homines Domini appellantur, tantum seruorum suorum atque subditorum ministerio indigent, quantum serui eorum gubernatione: & tunc erunt Domini, cùm seruos habuerint, qui ipsorum manda-

Matth. 23.

Isa. 30.

tis pareant. Quod si subditi in eos insurrexerint, atque obedire detrectauerint, domini non erunt. At Christus solus verè Dominus est, & dicitur, qui neq; discipulorum suorum, neq; omnium hominum, imò neq; Angelorum ministerio indiget. & cui velint nolint omnium genua flectuntur, cœlestium, terrestriũ, & infernorum. vnde ipse solus dicitur Rex regum, & Dominus dominãtium. Cæterum hunc super omnia dominatum, & diuinum hoc imperium, quod ipse vt supremus omniũ Dñs ex se habet, voluit super homines eorũ libera voluntate consentiente acquirere, ita vt ipsi spõte sua sub eius dominio cõstituti ei volũtariè subderentur, cui natura subditi erant, & voluntatibus potius quã corporibus dominaretur. Et hæc inter alias vna fuit non minoris momenti causa, cur ad homines redimẽdos non angelum, aut creaturã aliq̃ mittere disposuit, sed ipsemet vnigenitus Dei filius mundũ redemit, & sui sanguinis pretio à peccatis eripuit: quia cùm hæc redẽptio homines ad talem redẽptorem ex omni corde, totisq; viribus amãdum redderet nimiũ obstrictos, & ad voluntarium obsequiũ præstandum magnam obligationẽ induceret, nullius creaturæ seruos ac subditos esse oportebat, sed illius tantum Dei ac Dñi nostri imperio ex animo subijci, amoreq; subesse, cui ratione creationis iã erãt antea subiecti. Expẽdens D. Hier. illa Pauli verba, *Christus nos redemit de maledicto legis*, adnotauit, nõ dixisse Apostolũ, *Emit*, sed, *Redemit*, multũ nãq; inter emptionem atq; redemptionem interest. Emitur illud q̃ alterius proprium erat, & soluto pretio ad ementis potestatem pertinet. At redimere est illud quod alicuius erat propriũ, & ab alio vehementer detinebatur, atq; captiuitati subiacebat, propria pecunia pretioq; dato iterum ad propriũ Dominũ reuerti. Nos igitur iure creationis Dei ac Dñi nostri serui eramus, at nostramet voluntate nos ipsos in peccati atq; principis tenebrarũ seruos tradidimus, à quo captiui detinentur qui peccato seruiunt. Christus verò Iesus nos ab hac misera captiuitate abducere desiderans, sanguinẽ fudit.

Phil. 2.
Gal. 3.
Hieronym.

dit, propriam vitā pro redēptionis pretio dedit, & sic nos redemit; vnde & merito atq; iure dominium volūtarium in homines acquisiuit, Dominusq; propriè appellatur. Notāda sunt hęc D. Athan. verba: Si mors Dñi redēptio est hominum, quomodo nos aduocasset, nisi crucifixus esset? In sola enim cruce mors extēsis manibus toleratur.] Quod perinde est ac si dicat, eam fuisse causam cur Christus Dñs voluerit in cruce affigi, quia cùm in crucis supplicio brachia ac manus extendantur, & ipse omnia ad seipsū trahere vellet, apertis vlnis, manibusq; extensis oēs inuitat, hāc copiosam redemptionem omnibus offert, vt redēpti à miserabili sathanæ seruitute, serui ac filij Dei efficiamur, non tā necessitate quàm voluntate. D. Hier. per quatuor crucis extremas partes, quatuor mundi plagas existimat designari, per quas filij Dei erāt dispersi, quos Dominus per suam crucis mortem voluit in vnum congregare. Alij verò per illas quatuor partes ea omnia intelligunt, quæ per crucē recōciliationem atq; in vnum coitionem acceperūt, Angelos scilicet, Patres qui in limbo erant, Iudaicum populum, & Gētilicū, Quibus sic positis, dicere nobis liceat, quod in cruce ad vniuersalem dietā siue synodum Pontifex ac Imperator noster Christus Iesus mūdum vniuersum cōuocauit, quia ibi vniuersorum Dominus atq; Rex meruit acclamari, & omnium volūtates ad se trahere iure optimo potuit. Cui consonāt illa D. Pauli verba *Pacificans per sanguinē crucis eius siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt.*] Tunc enim ea quæ sunt in terris, cū cęlestibus pacē ineunt, quando volūtariè, & ex charitate illi ipsi vniuersorū Dño se terreni homines subijciunt, cui cœlestes mentes intimo affectu obsequūtur, quemq; Dñm recognoscūt. Hæc autem pacificatio ideo sanguini in cruce effuso tribuitur, quia in effusione vehemētiores charitatis affectus circa homines ostēdit, quo eos ad se redamandū attraheret. Hāc nimiam charitatis vim nobis satis Euang. verba demonstrant: *Sciēs Iesus quia venit hora eius vt transeat ex hoc mundo ad Patrem, cùm dilexisset suos qui erant in*

Athan. lib. de incarn.

Hieronym.

Coloss. 1.

mundo, in finem dilexit eos.] In finem dilexit, perinde est, (vt multis placet) atque summè dilexit, ita dilexit, vt omnia perfectissima charitatis opera ad finem & perfectionem perduceret, & nihil relinqueret ad hanc charitatem dilucidè ostendendam. Cùm igitur iam illa aduenisset hora tamdiu ab ipso desiderata, in qua ex hoc mundo tot miserijs, ærumnis, atque laboribus oppresso, transiturus erat ad Patris sui imperturbabilem æternamque quietem, & iuxta eiusdem Patris decretum suos illos amicos laborum atque tentationum & peregrinationis socios esset in eodem mundo relicturus: licet antea multis ac magnis beneficijs suam erga ipsos charitatem satis superque ostendisset, vltimo tandem, & in hoc breuissimo temporis termino tot miranda dilectionis opera perfecit, tot feruentissima charitatis signa exhibuit, quo ipsi intelligerent, quantò facilius & vtilius sub tali Domino militarent, omnia mundi mala perferrent, mortemque subirent, quàm ab eius dominio alieni cunctis eiusdem mundi bonis abundarent. Vt si Dux strenuus à Rege suo cum exercitu contra hostes missus, post insignes victorias, ab ipso Rege ad honoris præmia accipienda euocatus, militibus ipsis adhuc in castris, & in conspectu hostium relictis, in ipsos hostes prius impetum faciat, & in primo agmine in eos feratur, fortitudinis suæ preclara & vltima documenta proferens, quo & milites ipsos ad fortiter pugnandum, laboresque ac pericula sustinendum inducat, & ad sui desiderium excitet. Ita Christus Dominus à Patre in mundum missus, contra mundi Principem præliaturus, post innumeras de eo partas victorias, cùm ad Patrem esset transiturus, vt debitis præmijs humanitas illa afficeretur, & ad ipsius Patris dexteram consideret, discipulos atque commilitones suos, quos adhuc in mundo remanere oportebat, cupiens suo exemplo adhortari, ne in periculis, & tentationibus deficerent, & insuper animos eorum in sui desiderium accendere.

In finem dilexit.] Id est, miranda fortissimi amoris ope-

opera exercuit, cùm humi prostratus eorum pedes lauit, cùm diuinum Eucharistiæ sacramentum instituit, cùm tenerrimis atque suauissimis verbis eos est exhortatus, cùm denique tot opprobria, tot tormenta, tam abiectam atque crudelem crucis mortem, tanta constantia, & patientia perferre voluit. Hanc Domini Iesu suauissimi amoris teneritudinem mihi mirum in modum illa ipsius verba testantur, quibus discipulos suos allocutus est, quando eis sanguinis sui calicem bibendum exhibuit, ita inquiens: *Dico autem vobis, non bibam amodò de hoc genimine vitis, vsq; in diem illum, cùm illud bibam vobiscum nouum in regno Patris mei.*] Coniecit Dominus mentis oculos in illud futurum tempus vltimæ resurrectionis ac iudicij, quando Apostoli illi, quos adhuc in mundo inter tot pericula relinquebat, cum ipso inter duodecim sedes erant consessuri, quos tunc eiusdem gloriæ secum erat in æternum habiturus. Vt igitur magnum illorum desiderium, & absentiam temperaret, quando ob Patris obedientiam hos amicos ac filiolos suos necessario erat relicturus, proponit sibi ob oculos illam gloriam, illam quietem, illam æternam communicationem, qua cum ipsis erat in Patris sui regno post resurrectionem fruiturus. O ingens amoris vis! ô charitatis vehemens flamma! ô ipsius supremi omnium Domini erga viles seruos benignitas immensa! Nónne igitur iure optimo sibi cordium nostrorum dominium vendicauit? Ecce, Quis est, qui hæc fecit, &c. Matth.26.

Quid fecerim?] Si quid fecerit vultis aliqua ex parte cognoscere, illa Isaiæ verba ad mentem reducite, quibus Dominus ingratum Iudæorum populum alloquitur: *Quid est quod debui vltra facere vineæ meæ, & non feci?* Nónne huius diei beneficia in humanum genus collata, omnem intellectum, omnéque desiderium superant? si enim attentis oculis hoc admirandum spectaculum intueamur, Dominum scilicet Iesum, Vnigenitum Dei, opificem cœli & terræ, genuflexum ante discipulorum pedes, eosque humil- Isai.5.

millimè abluentem, & linteo abstergentem, quid vltra desiderari potest, quàm sub hominum pedibus habere illas omnipotentes atque liberalissimas Dei sui manus? Nonne hoc indicant illa Euangelistæ verba: *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus?*] quia videlicet quando easdem manus, quibus omnia Pater tradidit, hominibus traditas, & sub eorum pedibus collocatas vidisset, inde tibi persuaderes cum illis simul cuncta, ad quæ earum se potentia extendit, à Domino hominibus offerri. Quare tunc plenissimè impletum est illud quod Dauid de hominis excellentia decantat: *Omnia subiecisti sub pedibus eius.*] Si ad humilitatis exempla animum conuertas, Quid vltra debuit facere, vt se perfectissimum humilitatis magistrum atque exemplar exhiberet? *Discite à me,* dixerat ille, *quia mitis sum, & humilis corde.* Hoc multis tum verbis, tum exemplis per omnem vitam docuerat; at vt in vltimis constitutus, cordis humani superbiam omnino confunderet, abiectissimum hoc ministerium pedes discipulorum abluendo exercuit. Certè multi sunt, qui pro amicis non tantum bona sua, sed & vitam ipsam periculis exponant, qui tamen pedes eorum (excepta grauissimæ infirmitatis caussa) minimè manibus proprijs abluent & abstergent: cùm hoc vile ministerium seruorum sit proprium. Quamobrem ne tantæ humilitatis exemplum ab animis excideret, imò alta mente repostum in æternum permaneret, ait: Scitis quid fecerim vobis?

Psalm. 8.

Matth. 11.

Si mansuetudinem, atque circa inimicos beneuolentiam requiras, vbi magis eæ virtutes enituerunt, quàm cùm Dominus ipse ante proditoris Iudæ pedes pronus stetit, eos & aqua, & lachrymis rigans? Pedes, inquam, qui iam in proditionis via tot gressus posuerant: pedes qui ad eum morti tradendum erant parati, & egressum è cœna præstolabantur. Quid igitur, benignissime Domine, hoscene pedes sanguinolentos sacratissimis manibus tangis? hosce lauando foues? hosce ad proditionis viam citius per-

cur-

currendam velociores reddis? O mira seruatoris nostri Christi Iesu, & benignitas, & charitas! Namque quamuis pedes illi (si Iudæ animum spectes) crudeles, impij, & proditores erant, attamen si ipsius Domini cor inspicias, eos vt suæ charitatis ministros, atque illius ardentissimi desiderij, quo pro hominibus pati affectabat, executores amplectebatur. Vnde eidem traditori in hac eadem cœna paulò post dixit, bucellam illi intinctam porrigens: *Quod facis, fac citius*] quo ostenderet, se vehementius passionem desiderare, quàm Iudam traditionem. Hinc effectum est, vt quando Diuus Petrus eundem Christum Dominum mortem suam prædicentem ab ea abducere conatus est illis verbis: *Absit à te Domine, non erit tibi hoc*. durissimè ab eo sit increpatus verbis illis: *Vade post me Sathana, quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea, quæ hominum.*] At cùm Iudas proditor ad proditionis signum inimicis dandum, eundem Dominum in facie est osculatus, mitissimè illum est allocutus, ita dicens: *Amice, ad quid venisti?* Et quidnam hoc sibi vult? Petrum ardentissimè diligentem, fidelemque amicum à se reijcit magno impetu, & sathanam, hoc est, aduersarium, nominat, quando eum à morte vult eripere; & Iudam inimicum, perfidum traditorem, & pacis signo proditionem occultantem, non solum non respuit, sed & faciem osculandam exhibet, & amicum appellat? O immensa charitas! ô in finem dilectio, nullis verbis explicanda! quæ adeò Christi Domini cor circa humanum genus accendit, adeò nostræ salutis cupidum effecit, vt amicum impedientem, aduersarium, & veluti inimicum duceret, & repelleret: traditorem verò ipsammet perditionem exequentem amici loco duceret, vt desiderij sui sedulum effectorem. Quid igitur vltra debuit facere?

Matth. 16.

Matth. 26.

At si de morte ipsa atque passione sit sermo, vehementius poterit instare, & tepidos excitare, inquiens: *Scitis quid fecerim,* &: *Quid vltra potui facere?* Non enim satis sibi esse duxit sanguinẽ fundere, &

mor-

mortem perpeti (quod quomodocumq; fieret, sufficientissimum extitisset) verumetiam post innumera tormẽta, irrisiones, opprobria, atq; cruciatus acerbissimum mortis genus in cruce elegit, & taliter sanguinem fudit, vt neque gutta quidem imo in corde remaneret. Namque cum certo sciret sanguinem suum nostræ redemptionis pretium existere, nosque per eum à peccatis fuisse mundandos (Dilexit enim nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo) atque per mortem æternæ vitæ aditum nobis esse promeritum, quo certos atque securos redderet, & sui amoris, & sufficientissimæ redemptionis, totum effudit sanguinem, & crucis subiuit tormmentum.
Psalm. 129. Vnde à regio Vate prædictum fuit: *Copiosa apud eum*
Bernard. *redemptio*, quia, vt Bernardus ait, bene copiosa, siquidem non gutta, sed vnda sanguinis quinque per partes corporis emanauit.]

Tandem si ad illud diuinum Eucharistiæ sacramentum oculos humiliter erexeris, & fidei aures aperueris, nonne inde ipsum magistrum ac Dominum, qui & discipulorum pedes lauit, & crucis mortem pro vnoquoque nostrum perpessus est, clamantem audies iisdemmet verbis: *Scitis quid fecerim?* & deinde, *Quid vltra potui facere?* Si enim (dicet) parum vobis visum est, quòd Ego Dominus & Magister pauperum discipulorum (imò & traditoris Iudæ) pedes humiliter laui, vt vobis ipsis, humilitatis atque mutuæ charitatis exemplum præberem: si deinde neque innumera tormenta, neque totius sanguinis effusionem, neque crucis mortem admiramini: Quomodo non obstupescitis, quando hic meipsum in cibum vobis traditum conspicitis? quando quotidie vobis illud corpus, quod pro vobis in cruce pependit, per sacerdotum ministerium offero, & ipsummet sanguinem effusum propino? Quid vltra potui facere? Si ipsius diuinitatis participes fieri concupiscitis, in hoc sacramento mirabili inhabitat omnis diuinitatis plenitudo: si animam quæ vos tantopere dilexit, corpus quod pro vobis tot labores subiuit habe-

re desideratis, ecce adsunt. Adest & lauacrum regenerationis, balneumque salutare sanguinis mei in ablutionem ac salutem peccatorum præparatum. Quid ergo vltra debuit facere quod non fecit? Magnus ille ac verè pius Constantinus impium exhorruit balneum, quod ex infantium sanguine recenti erat præparandum, vt à lepra mundaretur. At pijssimus Imperator cœli & terræ Christus Iesus, ex suo sanguine innocentissimo viuum, & perpetuum, ac semper recens balneum in Ecclesia instituit, vt in eo à lepra peccatorum, qui voluerit, possit mundari, & perfectam consequi sanitatem. Vnde Diuus Ioannes Chrysostomus omnes ad sacram communionem accedentes exhortatur, vt sibi persuadeant, & ante mentis oculos proponant, se ad ipsummet Christi Domini latus apertum, ex quo sanguis & aqua exierunt, os apponere, & inde purissimum illum sanguinem, ad animæ purificationem haurire. Diuus Cyprianus (vel quicumque ille est pius auctor qui scripsit de operibus Christi cardinalibus) cùm agit de interiori illo mentis affectu, quo mouetur illa anima, quæ summo desiderio ad sacram communionem percipiendam accedit: hæc de huiusmodi sic affecta anima dicit: Quæ nimirum inter data, & condonata se diuidens gratias agit tam vberis beneficij largitori: & se sanatam, & sanctificatam agnoscens, fletibus se abluit, & lachrymis se baptizat.] Chrysost. Cyprian.

Vobis] Emphasim habet verbum hoc, & vniuscuiusque mens conuenitur, vt seipsum considerans, eandem cum Diuo Petro inter se, & Christum ipsum collationem faciat, dicens: Domine tu mihi lauas pedes? Cùm enim vnusquisque nostrum possit illud Diui Pauli dicere: *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*; cogitet etiam, & expendat, quisnam, & qualis sit, vt pro eo tot, ac tanta peregerit vnigenitus Dei filius: atque cùm se viderit tot beneficijs & indignum, & ijsdem minimè gratum, adeoque huius diuini Magistri ac Domini oblitum, tunc incipiat magis magisque diuinam Domini nostri Gal. 2.

bo-

bonitatem, ac liberalitatem, & admirari, & extollere, qui tot beneficia immeritis, & ingratis contulit. Quid autem aliud sibi volunt illa Euangelistæ verba: *Sciens quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit?* nisi perspicuum facere, quod Christus Dominus, vt tantam misericordiam etiam ingratis exhiberet, seipsum respexit, & in seipso, (vtpotè Deus, & à Deo procedens) tantæ liberalitatis atque tot miserationum causas inuenit? Hinc effectum arbitror, vt antequam spiritum in Cruce emisisset, prius caput inclinauerit ad pectus, vbi cor residet, quod aspiciens, in eo præcipuas simul intuitus est rationes, ob quas lætissimè spiritum exhalabat, eæ nimirum erant inprimis Patris æterni gloria, & nominis amplificatio, deinde æterna illa, & immensa charitas, bonitasque innata, quæ ad tantam beneficentiam etiam inimicis exhibendam eum veluti impulerunt.


Nos igitur, qui ij sumus, quibus, licet indignis, Christus Iesus Magister & Dominus, atque simul æternus Deus, æternusque Patris filius propter suam ipsius bonitatem tot ac tanta beneficia impertiri dignatus est, ad eundem cruci affixum confugientes, illum humiliter cum Dauid sancto deprecemur illa oratione, qua prius ipse Rex, & diuinus vates in cruce pendentem aspiciens (vt Diuus Augustinus existimat) ita exorauit: *Memor sit* (Deus Pater nimirum) *omnis sacrificij tui, & holocaustum tuum pingue fiat. Tribuat tibi secundum cor tuum.* Clementissimum Patremque tuum æternum, Domine Iesu, humi prostrati deprecamur, vt in hoc sacrificium tuum, quod pro nobis in cruce eidem obtulisti, misericordiæ suæ oculos conijciat, & huius pinguissimi holocausti viuam, atque continuam memoriam cordibus nostris infigat, vt omnes passionis tuæ circumstantias, omnia vulnera, omnes dolores intimo mentis affectu complectamur, & in tui amorem accendamur. Petimus deinde, vt hæc omnia tribuat, non secundum ea, quæ in cordibus no-

Psalm. 19. August.

stris

ſtris ipſe intuetur, neque ſecundum ea, quæ peccata atque ingratitudines noſtræ promerentur, ſed ſecundum mitiſsimum atque amabiliſsimum cor tuum, quod nimia charitate in homines flagrans per lateris vulnus apertum poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Tribuat igitur Diuinus Pater ſecundum cor tuum immundis ſanctificationem, captiuis redemptionem, vulneratis medelam, peccatoribus veniam, atque per meritum crudeliſſimæ mortis tuæ vitam, & gloriam ſempiternam,

Amen.



INCI-

INCIPIVNT SERMONES de passione Domini, habiti in Conuentu sanctæ Mariæ de gratia Vlisbonensi, ordinis Eremitarum sancti Augustini, Feria sexta in Parasceue mane: ab egressu Domini cum spinea corona & purpura, vsque ad sepulturam.

SERMO PRIMVS.

Exiuit iterum Pilatus foras, & dicit eis: Ecce adduco eum vobis foras, vt cognoscatis, quia in eo nullam causam mortis inuenio. Exiuit ergò Iesus portans spineam coronam, & purpureum vestimentum, & dicit eis: Ecce Homo. Ioan.19.



Mnes diuinæ Legis libri, tam Veteris, quàm Noui Testamenti, quamplurimis & testimonijs & exemplis abundant, quibus edocemur, odio esse Deo impios, & eorum impietates; & vt ex multis pauca referamus, exempli loco illam horribilem Sodomæ & Gomor-

rhæ

phæ subuersionem in memoriam reuocemus, ad quã exequendam qui fuerunt Angeli missi, vt iustum Loth atque duas filias & vxorem ab incendio liberarent, cùm esset mane, cogebant eum dicentes: *Surge, tolle vxorem tuam & duas filias quas habes, ne & pariter tu pereas in sceleribus ciuitatis.*] Dissimulante illo apprehenderunt manum eius, & manum vxoris, & filiarum eius: eo quod parceret Dominus illis. Deinde eis præceperunt, vt in monte saluarentur, neque post tergum respicerent, neque simul perirent. Cùm autem Loth vxor post se respiceret, in statuam salis versa est. Quæ omnia satis ostendunt, adeo Deum peccatores peccataque odisse, vt etiam iustis & amicis suis timendum sit, quando inter impios sponte versantur: atque ob id vxorem Loth in salis statuam fuisse conuersam, quia affectu compassionis mota, ad eas ciuitates oculos conuertit, quas Dominus ob tanta scelera euertendas mandauerat, licet ibi & nata, & enutrita fuerat, & quamplurimos reliquerat cognatos & affines: quod quidem summæ indignationis signum est. Sicut deficit fumus, deficiant, sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei, inquit Regius vates. Sed quid plura commemorem? satis superque sit considerare, quod nulli vnquã homini licet amicissimo, Deus ita peccatum dimisit, vt impunitum relinqueret. Hoc primi hominis è paradiso in tot miserias atque labores expulsio, filiorumque eius ad hoc vsque tempus miseranda sors ob hæreditarium peccatum semper ante oculos ponit: Hoc Moysis & Aaron ob minimam dubitationem ad aquas contradictionis graue supplicium: hoc Dauid regis viri secundum cor Dei, grauissimæ inflictæ pœnæ, & aliorum quamplurimorum ipsius Dei amicorum rigorosæ pro humanis culpis vindictæ apertissimo ostendunt. Si igitur Deus omnipotens iniquos tanto odio prosequitur, & abominatur, cur vnigenitus Dei filius (qui ideo homo fieri voluit vt hominibus peccatoribus Deum Patrem placatum redderet) non satis id esse putauit, in

Gen. 19.

Psalm. 67.

simi-

similitudinem hominum fieri, & habitu inueniri, vt hominem, sed & in similitudinem carnis peccati venire dignatus est, legalibus cæremonijs in remissionem peccatorum institutis se ab infantia subdidit, circuncisus octauo die, & quadragesimo in templo inter peccatores oblatus, pœnalitates omnes, & ærumnas in peccati pœnam contra homines peccatores inflictas perferre non erubuit, famem scilicet atque sitim, pauperiem, defatigationem, cæterosque corporis labores: & vltimo tandem inter iniquos deputatus, latronum socius & veluti dux in eorum medio crucis mortem subire voluit? Si huius causam desideras, ea absque dubio illa fuit vt perfectam inter homines peccatores, atque Deum ipsum pacem conciliaret, diuinosque oculos peccatorum faciem abominantes mites redderet & beneuolos, vt deinceps eorum misereretur, verique ac proprij peccatores, & peccati labe fœdati sub illius vmbra, diuinæ iracundiæ radios possemus quoquo modo tolerare, qui tantum similitudinem habuit peccatoris, cùm ab omni labe peccati prorsus esset immunis: *Spiritus oris nostri*, ait Ieremias (Christus Dominus) *captus est in peccatis nostris: cui diximus, In vmbra tua viuemus in gentibus*. Quæ quidem verba cùm Paraphrasis Chaldaica, tum quamplurimi Doctores de Christo Domino proprijssimè dicta, intelligunt. Ille nimirum spiritus oris nostri dicitur, quia viuificator noster est, seu ille per quem respiramus. Vel, vt ait Chaldaicus, nobis dilectus, sicut spiritus vitæ, per quem respiramus. Ille igitur in peccatis nostris captus est, quia peccata nostra, & non sua pertulit in corpore suo super lignum, atque velut sceleratus sceleratorum morte damnatus est. At nos peccatores à peccatis per eum liberandi, illi diximus, & sæpe sæpius dicemus, In vmbra tua Domine semper viuemus in Gentibus. Quòd si tu ipse pijssime Domine in similitudinem carnis peccati non venisses, & veluti peccator peccatis nostris debitas pœnas atque crucis mortem non perferres, cùm esses innocens, nosque innocentia

Thren. 4.

tia

tia tua obumbrasses, quis nostrum viuus consisteret ante diuinæ iustitiæ æquissimum tribunal; quis æternam mortem posset euadere? At sub hac vmbra tua, & similitudine carnis peccati, quam pro nobis suscepisti, viuemus securi, & à promerita æterna morte liberabimur.

Verùm si hoc ipsum attentius expẽdatur, hinc efficacius colligitur, quantopere Deus omnipotens iniquitates hominum execretur, quantum abominetur, quali odio prosequatur. Namque licet Christus Iesus eius vnigenitus, & summè dilectus filius nulla omnino peccati labe fuerit aspersus, quia tamen peccatoris similitudinem sumpsit, & alienis peccatis oneratum se Patri obtulit vt peccatoribus veniam impetraret, in eum seuerissimè de æuit, manibus impiorum tradidit cruciandum, & crudelissima morte plectendum. Deinde illud summoperè est considerandum, & non sine admiratione, quòd ipsemet Christus Dominus, qui adeo spontaneè se omnibus ijs pœnalitatibus in peccati pœnam inflictis libenter subdidit, nihilominus voluit, vt eius vitę innocentia etiam inimicis ipsis nota & perspecta fieret, atque vt illimet, qui eum vt sceleratum tormentis afficiebant, iustum & innocentem agnoscerent. Manifestum enim omnibus esse voluit, Deum & Patrem suum non peccatorum pœnas, sed peccata ipsa odisse. Et insuper edocemur tantam esse peccati malitiam, vt si Christus Dominus per impossibile aliquod vitium fuisset inquinatus, neque omnibus vitæ & passionis acerbitatibus, neque morte ipsa posset sufficienter diuinam indignationem placare, neque pro peccatis nostris exactè & plenè satisfacere. Ideo verò eius passio & in morte oblatio fuit Deo Patri gratissima, nobisque salutaris, quia mundissima, & ab omni labe peccati omnino fuit libera. Notanda sunt illa Pilati verba, quæ ad populum Iudæorum habuit (postquam Dominus ab Herode est remissus) cùm populus ille magnis vocibus contra ipsum Dominum instaret, & multa illi obijceret crimina, eo tacente, &

similitudinem hominum fieri, & habitu inueniri, vt hominem, sed & in similitudinem carnis peccati venire dignatus est, legalibus cæremonijs in remissionem peccatorum institutis se ab infantia subdidit, circuncisus octauo die, & quadragesimo in templo inter peccatores oblatus, pœnalitates omnes, & ærumnas in peccati pœnam contra homines peccatores inflictas perferre non erubuit, famem scilicet atque sitim, pauperiem, defatigationem, cæterosque corporis labores: & vltimo tandem inter iniquos deputatus, latronum socius & veluti dux in eorum medio crucis mortem subire voluit? Si huius causam desideras, ea absque dubio illa fuit vt perfectam inter homines peccatores, atque Deum ipsum pacem conciliaret, diuinosque oculos peccatorum faciem abominantes mites redderet & beneuolos, vt deinceps eorum misereretur, veríque ac proprij peccatores, & peccati labe fœdati sub illius vmbra, diuinæ iracundiæ radios possemus quoquo modo tolerare, qui tantum similitudinem habuit peccatoris, cùm ab omni labe peccati prorsus esset immunis: *Spiritus oris nostri*, ait Ieremias (Christus Dominus) *captus est in peccatis nostris: cui diximus, In vmbra tua viuemus in gentibus*. Quæ quidem verba cùm Paraphrasis Chaldaica, tum quamplurimi Doctores de Christo Domino proprijssimè dicta, intelligunt. Ille nimirum spiritus oris nostri dicitur, quia viuificator noster est, seu ille per quem respiramus. Vel, vt ait Chaldaicus, nobis dilectus, sicut spiritus vitæ, per quem respiramus. Ille igitur in peccatis nostris captus est, quia peccata nostra, & non sua pertulit in corpore suo super lignum, atque velut sceleratus sceleratorum morte damnatus est. At nos peccatores à peccatis per eum liberandi, illi diximus, & sæpe sæpius dicemus, In vmbra tua Domine semper viuemus in Gentibus. Quòd si tu ipse pijssime Domine in similitudinem carnis peccati non venisses, & veluti peccator peccatis nostris debitas pœnas atque crucis mortem non perferres, cùm esses innocens, nosque innocentia

Thren. 4.

tia tua obumbrasses, quis nostrum viuus consisteret ante diuinæ iustitiæ æquissimum tribunal; quis æternam mortem posset euadere? At sub hac vmbra tua, & similitudine carnis peccati, quam pro nobis suscepisti, viuemus securi, & à promerita æterna morte liberabimur.

Verùm si hoc ipsum attentius expẽdatur, hinc efficacius colligitur, quantopere Deus omnipotens iniquitates hominum execretur, quantum abominetur, quali odio prosequatur. Namque licet Christus Iesus eius vnigenitus, & summè dilectus filius nulla omnino peccati labe fuerit aspersus, quia tamen peccatoris similitudinem sumpsit, & alienis peccatis oneratum se Patri obtulit vt peccatoribus veniam impetraret, in eum seuerissimè deæuit, manibus impiorum tradidit cruciandum, & crudelissima morte plectendum. Deinde illud summoperè est considerandum, & non sine admiratione, quòd ipsemet Christus Dominus, qui adeo spontaneè se omnibus ijs pœnalitatibus in peccati pœnam inflictis libenter subdidit, nihilominus voluit, vt eius vitę innocentia etiam inimicis ipsis nota & perspecta fieret, atque vt illimet, qui eum vt sceleratum tormentis afficiebant, iustum & innocentem agnoscerent. Manifestum enim omnibus esse voluit, Deum & Patrem suum non peccatorum pœnas, sed peccata ipsa odisse. Et insuper edocemur tantam esse peccati malitiam, vt si Christus Dominus per impossibile aliquod vitium fuisset inquinatus, neque omnibus vitæ & passionis acerbitatibus, neque morte ipsa posset sufficienter diuinam indignationem placare, neque pro peccatis nostris exactè & plenè satisfacere. Ideo verò eius passio & in morte oblatio fuit Deo Patri gratissima, nobisque salutaris, quia mundissima, & ab omni labe peccati omnino fuit libera. Notanda sunt illa Pilati verba, quæ ad populum Iudæorum habuit (postquam Dominus ab Herode est remissus) cùm populus ille magnis vocibus contra ipsum Dominum instaret, & multa illi objiceret crimina, eo tacente, &

Luc.23. ſe minimè defendente. Sic enim locutus eſt: *Obtuliſtis mihi hunc hominem quaſi auertentem populum, & ecce coram vobis interrogans, nullam cauſam inuenio in homine iſto ex ijs, in quibus eum accuſatis. Sed neq; Herodes. Nam remiſi vos ad illum: & ecce nihil dignum morte actum eſt illi. Emédatum ergo illum dimittam.* Et infra: *Nullã cauſam mortis inuenio in eo: Corripiam ergo illum, & dimittã.* Quid ais ô Pilate? & quænam eſt hæc conſequentia ex illis antecedentibus illata? Nullam inuenio cauſam ſeu culpam in hoc homine ex ijs de quibus accuſatur, Emendabo ergo: corripiam ergo. Quid emendabis, quid corripies, ſi nullam cauſam inuenire potuiſti? At per iniquiſsimi iudicis linguam vniuerſo orbi Dominus notum fieri voluit, quod ideò opus erat vt Chriſtus Ieſus flagellis emendaretur, & tormentis corriperetur, quia innocens erat, quia nulla ſuberat culpa, pro qua iure plecteretur.

Iſai.53. Non enim aliter verè ab Iſaia prædictum eſſet: *Diſciplina pacis ſuper eum, cuius liuore ſanati ſumus.* Hæc eſt illa huius noſtri ſummi ſacerdotis Chriſti Ieſu excellentia ſuper omnes antiquæ legis ſacerdotes,

Hebr.7. quam Diuus Paulus his verbis amplificauit: *Talis decebat vt nobis eſſet Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cœlis factus: qui non habet neceſſitatem quotidie, quemadmodum ſacerdotes, prius pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit ſemel, ſeipſum offerendo. Lex enim conſtituit ſacerdotes infirmitatem habentes, ſermo autem iuriſiurandi qui poſt legem eſt, filium in æternum perfectum.*] Hanc huius noſtri ſummi ſacerdotis pluſquam humanam innocentiam, hanc diuinã vitæ ſanctitatem & puritatem voluit etiam inter ipſa tormenta omnibus teſtatam reddere, quando ipſemet iudex poſtquam eum duriſsimè iuſsit flagellare, & vidit ſpinis coronatum, chlamydeque coccinea per ludibrium indutum, palam confeſſus eſt cùm illum ad populum adduxit, & ita eſt allocutus: *Ecce adduco eum vobis foras, vt cognoſcatis quia in eo nullam cauſam mortis inuenio.* Quid igitur? Nonne ô Pilate

late qui in eum oculos coniecerit, & taliter flagellatum atque irrisum viderit, inde potius cognosceret dignum esse istiusmodi hominem, qui crudelissima morte puniatur? Quomodo ergo ideo eum ante Iudæorum oculos adducis, vt cognoscant nullam te mortis causam in eo inuenisse? Præceperat Dominus in lege per Moysen, vt si quis pro aliquo delicto esset flagellandus, iuxta mensuram delicti esset & plagarum modus, ita duntaxat, vt quadragenarium numerum non excederent. *Ne fœdè*, inquit diuina Lex, *laceratus ante oculos tuos habeatur frater tuus*. Si ergò quadragenarij flagellorum numeri excessu quocumque fœdè corpus lacerari à Domino iudicatur; quàm fœdè laceratum fuisse sacratissimum Domini corpus credendum est tot ac tantis flagellis cæsum, vt quinque millia excessisse multi affirment? Quomodo ergò ô Pilate, te nullam in eo mortis causam inuenisse, palam profiteris, quem sic flagellari ad mortem vsque precepisti? At diuina prouidentia effectum est, vt ipsemet iudex, licet iniquus, ore proprio eius summam innocentiam, nullamque mortis causam in eo esse, palam, & pro tribunali profiteretur, ad ostendendum quod pro alienis totius mundi peccatis eam mortem tolerabat, de quibus Deus Pater in eo licet dilecto filio vindictam sumebat, quia illum mundi redemptorem constituerat. Postquam Diuus Paulus asseruit Deum Patrem filium suum misisse in similitudinem carnis peccati (id est, in omnibus præter delictum cæteris peccatoribus similem) addidit veluti effectum indicans: *Et de peccato damnauit peccatum in carne*; quia videlicet per eam peccati similitudinem, in qua Christus Dominus seipsum peccatum (hoc est, sacrificium pro peccato) Patri exhibuit, peccatum Adami cæterorumque hominum in seipso damnauit, & de nostris sceleribus vindictam sumens pro nobis plenissimè satisfecit. Si in similitudinem carnis peccati non venisset, pœnas peccatis debitas perferre minimè posset. Si autem peccato esset obnoxius, per illas pœnalitates peccatum non

Deut. 25.

Rom. 8.

posset damnare, neque Deo Patri æternam satisfactionem rependere. Diuinam igitur innocentiam cum carnis peccati similitudine conuinxit, vt per ea, quæ [illegible] innocens pro nostris peccatis patiebatur, & nos nostræ redemptionis certos redderet, & in odium peccati excitaret.

Psal. 42. *Iudica me Deus*, orat Dauid *& discerne causam meam de gente non sancta*. Cùm enim

Augustinus. (vt Augustinus adnotauit) videret omnia huius mũdi temporalia bona, siue mala, iustis & iniustis esse communia, quamuis causa coram Deo sit dispar, & dissimilis, orat vt causam à gente non sancta discernat; id est, vt à peccatis liberet, vt animæ vitia auertat, vt eam dissimilem peccatoribus in hac causa faciat, licet eisdem pœnis afficiatur: non enim coram æquissimum diuini iudicij examen pœnas, sed culpas pertimescit, & in ijs ab impijs vult discerni.

Considerandum deinde est quibusnam medijs, quibus testimonijs seu probationibus aut documentis, hanc suam innocentiam Christus Dominus & Pilato iudici, & inimicis suis fecerit manifestam: hoc enim sola patientia & silentio præstitit. Conuenerunt in vnum Principes Sacerdotum, cum Scribis & Pharisæis coram Caipham, producuntur in medium testes, qui de plurimis eum accusant: tacet Christus in medio positus: at ipsimet cognoscunt quod conuenientia testimonia non erant. Deferunt eum ad Pilatum, in multis eum accusant, populi perturbatorem, nouæ doctrinæ inuentorem, legis peruersorem appellant, ac demum læsæ maiestatis reum proclamant, vtpotè qui se Regem faceret Iudæorum. Verùm ipse nihil respondit, ita vt miraretur Præses vehementer: quòd si adiuratus aliquando responsum dedit, hoc & breuissimè, & non se excusando, imò & filium Dei coram Iudæis, & Regem se esse coram Pilato confessus est. Attamen hoc mansuetissimum silentium tantum valuit ad eius innocentiam publicè comprobandam, vt neque tot sacerdotum, ac Pharisæorum auctoritate, neque populi clamoribus potuerit obscurari, quin ab ipsismet li-

get inuitis cognosceretur. Nouus & inusitatus hic defensionis modus est, & à consuetudine seculi alienus, licet ad veram animi pacem, æternamque gloriam acquirendam, summmopere conducat. Est magnum & negotiosum silentium, ait Ambrosius, vt erat Susannæ, quæ plus egit tacendo, quàm si esset locuta: tacendo enim apud homines locuta est Deo, neque vllum inuenit maius indicium suæ castitatis, quàm silentium. Ipse enim Dominus in Euangelio tacens operabatur salutem hominum.] Quod apertissimis verbis prædixit Isaias: *Oblatus est*, inquit, *quia ipse voluit, & non aperuit os suum. Sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum. De angustia & iudicio sublatus est*, quia scilicet hoc ipsius admirabili silentio id effectum est, vt ab illis calumniantium testimonijs atque opprobrijs, quibus in passione fuit oppressus, liber euaderet, suamque iustitiam tueretur. Quare per Dauid Prophetam ita Dominus ipse prælocutus est: *Qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates, & dolos tota die meditabantur. Ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum. Et factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones. Quoniam in te Domine speraui.* His vltimis verbis reddit Dominus causam, ait Augustinus, quare non aperuerit os suum in passione, vt se defenderet: quia nimirum sua innocentia fretus, in Deo securè sperabat. Monuit te (inquit sanctus Doctor) quid facias, si fortè occurrerit tibi tribulatio. Quæris enim te defendere, & fortè nemo accipit defensionem tuam. Iam tu perturbaris; quasi perdideris causam tuam, quia nullius habes defensionem, aut testimonium. Custodi intus innocentiam tuam, vbi nemo opprimit causam tuam. inter Iudicem iustum, & conscientiam tuam noli timere nisi causam tuam. Si causam malam non habueris, nullum accusatorem pertimesces, nullum falsum testem repelles, nullum verum requires. Tu tantum bonam conscientiam habe, vt possis dicere,

Ambr offic lib. 1. c 3.

Isa. 53.

Psalm. 37.

August.

Quoniam in te Domine speraui, tu exaudies me Domine Deus meus.]

Exiuit ergo Iesus portans spineam coronam.] Postquam milites, quibus negotium fuit demandatum, Dominum Iesum crudelissime flagellarunt, & ipse propria reassumpsit vestimenta, ab eo loco ab ipsismet militibus ductus fuit in atrium prætorij vbi nouem distinctas irrisiones & ludibria cruciatibus ad-
1. mixtis perpessus est. Primò totam conuocant cohortem, tamquam si ipsi ad ei illudendum non suffice-
2. rent. Secundo Christum Dominum iterum denudant, proprijsque exuunt vestibus, quando & non paruum dolorem perpessus est, & magno rubore perfusus, ita vt posset dicere, Operuit confusio faciem
3. meam. Tertio chlamydem coccineam siue purpuream satis vilem, immundam & attritam induerunt
4. ei, quia purpura regia vestis erat. Quarto imponunt capiti eius coronam ex præacutis atque durissimis spinis confectam, quæ sacrum caput vndique circumcingens, & per plures partes vulnerans, grauissimis affecit doloribus: eratque simul & tormen-
5. tum & ludibrium. Quinto Arundinem dant in ma-
6. nu pro regio sceptro. Sexto genuiculantes ironicè
7. salutabant. Aue Rex Iudæorum. Septimò faciem angelicis spiritibus reuerendam, & summè amabilem,
8. sputis fœdarunt. Octauo alapas in eandem faciem
9. dederunt. Nono caput arundine percutiebant. Quæ quidem omnia milites fecerunt, quia de affectato regno à Iudæis accusabatur. Cùm ergo tot atque tam viles & iniqui essent milites illi, tumultuarieque ad eum sic irridendum accederent, omnem excedit cogitatum quot opprobria Dominus hic perpessus sit. Illum igitur sic illusum & deformem iussit Pilatus ad populum Iudaicum iterum produci, quam egressionem Euangelista describit illis verbis: *Exiuit ergò Iesus portans spineam coronam, & purpureum vestimentum.*

Ad hanc Regis nostri egressionem contemplandam (vt Diuo Bernardo, Cypriano, Bernardo, & alijs

pijs

pijs placet) excitauit nos multo ante Spiritus sanctus in Canticis illis verbis: *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua in die desponsationis suæ, & in die lætitiæ cordis sui*. Ille nimirum noster est verus Rex Salomon, & pacificus, & pacis inter homines, & Deum sequester, qui pacem hominibus bonæ voluntatis in terra adduxit. Fideles animæ filiæ Sion (id est, sanctæ Ecclesiæ) sæpe in sacra scriptura dicuntur. Matrem ipsius Regis Christi Synagogam intelligi ex eo colligitur, quia Christus ex Iudæis natus est. Cant. 3.

Hæc igitur mater impia, & crudelis tali eum diademate, corona scilicet spinea eum coronauit, eo die, quo ipse vt Ecclesiam sibi in sponsam assumeret, ingēti cordis sui lætitia pro ea sanguinem fundebat. Quęnam igitur erat fidelis anima tam duri & ingrati cordis, quæ in hunc Regem sic coronatum, & ornatū fidei oculos conijciens, non summè commoueatur? Diuinum sponsum ad sponsæ suæ ianuam pulsantem audiamus. *Aperi mihi soror mea, amica mea, immaculata mea, quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium*. Quibus verbis ardens illud desiderium declaratur, quo Dominus & Rex noster atque animarum sponsus nostram salutem exoptat nobiscum, & intra nos habitare percupit; quare per noctes foris ad ianuas spectans sæpe sæpius pulsando se dicit perseuerasse, ita vt caput rore perfunderetur, & cincinni humidis guttis, quæ nocte defluunt. At nunc ob eādem causam non quidem cœlesti rore, sed pungentibus terræ spinis caput plenum est, & cincinni guttis sanguinis è capite abundè emanantibus, & insuper fœdissimis sputis sunt respersi. Cant 5.

Tertullianus huius spineæ coronæ causam reddens, sic ait: Christus Iesus, quale, oro te, sertum pro vtroque sexu subijt? ex spinis opinor, & tribulis, in figuram delictorum, quæ nobis protulit terra carnis. Abstulit autē virtus crucis omnes aculeos mortis in Dominici capitis tolerantia obtundens. Certè præter figuram, contumelia in promptu est, & turpitudo, & Tertull. li. de coron. milit.

bonitatem, ac liberalitatem, & admirari, & extollere, qui tot beneficia immeritis, & ingratis contulit. Quid autem aliud sibi volunt illa Euangelistæ verba: *Sciens quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit?* nisi perspicuum facere, quod Christus Dominus, vt tantam misericordiam etiam ingratis exhiberet, seipsum respexit, & in seipso, (vtpotè Deus, & à Deo procedens) tantæ liberalitatis atque tot miserationum causas inuenit? Hinc effectum arbitror, vt antequam spiritum in Cruce emisisset, prius caput inclinauerit ad pectus, vbi cor residet, quod aspiciens, in eo præcipuas simul intuitus est rationes, ob quas lætissimè spiritum exhalabat, eæ nimirum erant inprimis Patris æterni gloria, & nominis amplificatio, deinde æterna illa, & immensa charitas, bonitasque innata, quæ ad tantam beneficentiam etiam inimicis exhibendam eum veluti impulerunt.


Nos igitur, qui ij sumus, quibus, licet indignis, Christus Iesus Magister & Dominus, atque simul æternus Deus, æternusque Patris filius propter suam ipsius bonitatem tot ac tanta beneficia impertiri dignatus est, ad eundem cruci affixum confugientes, illum humiliter cum Dauid sancto deprecemur illa oratione, qua prius ipse Rex, & diuinus vates in cruce pendentem aspiciens (vt Diuus Augustinus existimat) ita exorauit: *Memor sit* (Deus Pater nimirum) *omnis sacrificij tui, & holocaustum tuum pingue fiat. Tribuat tibi secundum cor tuum.* Clementissimum Patremque tuum æternum, Domine Iesu, humi prostrati deprecamur, vt in hoc sacrificium tuum, quod pro nobis in cruce eidem obtulisti, misericordiæ suæ oculos conijciat, & huius pinguissimi holocausti viuam, atque continuam memoriam cordibus nostris infigat, vt omnes passionis tuæ circumstantias, omnia vulnera, omnes dolores intimo mentis affectu complectamur, & in tui amorem accendamur. Petimus deinde, vt hæc omnia tribuat, non secundum ea, quæ in cordibus nostris

Psalm. 19.
August.

stris

ſtris ipſe intuetur, neque ſecundum ea, quæ peccata atque ingratitudines noſtræ promerentur, ſed ſecundum mitiſsimum atque amabiliſsimum cor tuum, quod nimia charitate in homines flagrans per lateris vulnus apertum poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Tribuat igitur Diuinus Pater ſecundum cor tuum immundis ſanctificationem. captiuis redemptionem, vulneratis medelam, peccatoribus veniam, atque per meritum crudeliſſimæ mortis tuæ vitam, & gloriam ſempiternam,

Amen.



INCI-

INCIPIVNT SERMONES DE PASSIONE DOMINI, habiti in Conuentu sanctæ Mariæ de gratia Vlisbonensi, ordinis Eremitarum sancti Augustini, Feria sexta in Parasceue mane: ab egressu Domini cum spinea corona & purpura, vsque ad sepulturam.

SERMO PRIMVS.

Exiuit iterum Pilatus foras, & dicit eis: Ecce adduco eum vobis foras, vt cognoscatis, quia in eo nullam causam mortis inuenio. Exiuit ergò Iesus portans spineam coronam, & purpureum vestimentum, & dicit eis: Ecce Homo. Ioan. 19.



OMnes diuinæ Legis libri, tam Veteris, quàm Noui Testamenti, quamplurimis & testimonijs & exemplis abundant, quibus edocemur, odio esse Deo impios, & eorum impietates; & vt ex multis pauca referamus, exempli loco illam horribilem Sodomæ & Gomorrhæ

rhæ subuersionem in memoriam reuocemus, ad quã exequendam qui fuerunt Angeli missi, vt iustum Loth atque duas filias & vxorem ab incendio liberarent, cùm esset mane, cogebant eum dicentes: *Surge, tolle vxorem tuam & duas filias quas habes, ne & pariter tu pereas in sceleribus ciuitatis.*] Dissimulante illo apprehenderunt manum eius, & manum vxoris, & filiarum eius: eo quod parceret Dominus illis. Deinde eis præceperunt, vt in monte saluarentur, neque post tergum respicerent, neque simul perirent. Cùm autem Loth vxor post se respiceret, in statuam salis versa est. Quæ omnia satis ostendunt, adeo Deum peccatores peccataque odisse, vt etiam iustis & amicis suis timendum sit, quando inter impios sponte versantur: atque ob id vxorem Loth in salis statuam fuisse conuersam, quia affectu compassionis mota, ad eas ciuitates oculos conuertit, quas Dominus ob tanta scelera euertendas mandauerat, licet ibi & nata, & enutrita fuerat, & quamplurimos reliquerat cognatos & affines: quod quidem summæ indignationis signum est. Sicut deficit fumus, deficiant, sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei, inquit Regius vates. Sed quid plura commemorem? satis superque sit considerare, quod nulli vnquã homini licet amicissimo, Deus ita peccatum dimisit, vt impunitum relinqueret. Hoc primi hominis è paradiso in tot miserias atque labores expulsio, filiorumque eius ad hoc vsque tempus miseranda sors ob hæreditarium peccatum semper ante oculos ponit: Hoc Moysis & Aaron ob minimam dubitationem ad aquas contradictionis graue supplicium: hoc Dauid regis viri secundum cor Dei, grauissimæ inflictæ pœnæ, & aliorum quamplurimorum ipsius Dei amicorum rigorosæ pro humanis culpis vindictæ apertissimo ostendunt. Si igitur Deus omnipotens iniquos tanto odio prosequitur, & abominatur, cur vnigenitus Dei filius (qui ideo homo fieri voluit vt hominibus peccatoribus Deum Patrem placatum redderet) non satis sibi esse putauit, in simi-

Gen. 19.

Psalm. 67.

similitudinem hominum fieri, & habitu inueniri, vt hominem, sed & in similitudinem carnis peccati venire dignatus est, legalibus cæremonijs in remissionem peccatorum institutis se ab infantia subdidit, circuncisus octauo die, & quadragesimo in templo inter peccatores oblatus, pœnalitates omnes, & ærumnas in peccati pœnam contra homines peccatores inflictas perferre non erubuit, famem scilicet atque sitim, pauperiem, defatigationem, cæterosque corporis labores: & vltimo tandem inter iniquos deputatus, latronum socius & veluti dux in eorum medio crucis mortem subire voluit? Si huius causam desideras, ea absque dubio illa fuit vt perfectam inter homines peccatores, atque Deum ipsum pacem conciliaret, diuinosque oculos peccatorum faciem abominantes mites redderet & beneuolos, vt deinceps eorum misereretur, veríque ac proprij peccatores, & peccati labe fœdari sub illius vmbra, diuinæ iracundiæ radios possemus quoquo modo tolerare, qui tantum similitudinem habuit peccatoris, cùm ab omni labe peccati prorsus esset immunis: *Spiritus oris nostri*, ait Ieremias (Christus Dominus) *captus est in peccatis nostris: cui diximus, In vmbra tua viuemus in gentibus.* Quæ quidem verba cùm Paraphrasis Chaldaica, tum quamplurimi Doctores de Christo Domino proprijssimè dicta, intelligunt. Ille nimirum spiritus oris nostri dicitur, quia viuificator noster est, seu ille per quem respiramus. Vel, vt ait Chaldaicus, nobis dilectus, sicut spiritus vitæ, per quem respiramus. Ille igitur in peccatis nostris captus est, quia peccata nostra, & non sua pertulit in corpore suo super lignum, atque velut sceleratus sceleratorum morte damnatus est. At nos peccatores à peccatis per eum liberandi, illi diximus, & sæpe sæpius dicemus, In vmbra tua Domine semper viuemus in Gentibus. Quòd si tu ipse pijssime Domine in similitudinem carnis peccati non venisses, & veluti peccator peccatis nostris debitas pœnas atque crucis mortem non perferres, cùm esses innocens, nosque innocentia

Thren. 4.

tia

tia tua obumbrasses, quis nostrum viuus consisteret ante diuinæ iustitiæ æquissimum tribunal; quis æternam mortem posset euadere? At sub hac vmbra tua, & similitudine carnis peccati, quam pro nobis suscepisti, viuemus securi, & à promerita æterna morte liberabimur.

Verùm si hoc ipsum attentius expēdatur, hinc efficacius colligitur, quantopere Deus omnipotens iniquitates hominum execretur, quantum abominetur, quali odio prosequatur. Namque licet Christus Iesus eius vnigenitus, & summè dilectus filius nulla omnino peccati labe fuerit aspersus, quia tamen peccatoris similitudinem sumpsit, & alienis peccatis oneratum se Patri obtulit vt peccatoribus veniam impetraret, in eum seuerissimè de æuit, manibus impiorum tradidit cruciandum, & crudelissima morte plectendum. Deinde illud summoperè est considerandum, & non sine admiratione, quòd ipsemet Christus Dominus, qui adeo spontaneè se omnibus ijs pœnalitatibus in peccati pœnam inflictis libenter subdidit, nihilominus voluit, vt eius vitę innocentia etiam inimicis ipsis nota & perspecta fieret, atque vt illimet, qui eum vt sceleratum tormentis afficiebant, iustum & innocentem agnoscerent. Manifestum enim omnibus esse voluit, Deum & Patrem suum non peccatorum pœnas, sed peccata ipsa odisse. Et insuper edocemur tantam esse peccati malitiam, vt si Christus Dominus per impossibile aliquod vitium fuisset inquinatus, neque omnibus vitæ & passionis acerbitatibus, neque morte ipsa posset sufficienter diuinam indignationem placare, neque pro peccatis nostris exactè & plenè satisfacere. Ideo verò eius passio & in morte oblatio fuit Deo Patri gratissima, nobisque salutaris, quia mundissima, & ab omni labe peccati omnino fuit libera. Notanda sunt illa Pilati verba, quæ ad populum Iudæorum habuit (postquam Dominus ab Herode est remissus) cùm populus ille magnis vocibus contra ipsum Dominum instaret, & multa illi objiceret crimina, eo tacente, & se mi-

Luc.23. ſe minimè defendente. Sic enim locutus eſt: *Obtuliſtis mihi hunc hominem quaſi auertentem populum, & ecce coram vobis interrogans, nullam cauſam inuenio in homine iſto ex ijs, in quibus eum accuſatis. Sed neq; Herodes. Nam remiſi vos ad illum: & ecce nihil dignum morte actum eſt illi. Emẽdatum ergo illum dimittam.* Et infra: *Nullã cauſam mortis inuenio in eo: Corripiam ergo illum, & dimittã.* Quid ais ô Pilate? & quænam eſt hæc conſequentia ex illis antecedentibus illata? Nullam inuenio cauſam ſeu culpam in hoc homine ex ijs de quibus accuſatur. Emendabo ergo: corripiam ergo. Quid emendabis, quid corripies, ſi nullam cauſam inuenire potuiſti? At per iniquiſsimi iudicis linguam vniuerſo orbi Dominus notum fieri voluit, quod ideò opus erat vt Chriſtus Ieſus flagellis emendaretur, & tormentis corriperetur, quia innocens erat, quia nulla ſuberat culpa, pro qua iure plecteretur.

Iſai.53. Non enim aliter verè ab Iſaia prædictum eſſet: *Diſciplina pacis ſuper eum, cuius liuore ſanati ſumus.* Hæc eſt illa huius noſtri ſummi ſacerdotis Chriſti Ieſu excellentia ſuper omnes antiquæ legis ſacerdotes,

Hebr.7. quam Diuus Paulus his verbis amplificauit: *Talis decebat vt nobis eſſet Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cœlis factus: qui non habet neceſſitatem quotidie, quemadmodum ſacerdotes, prius pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit ſemel, ſeipſum offerendo. Lex enim conſtituit ſacerdotes infirmitatem habentes, ſermo autem iuriſiurandi qui poſt legem eſt, filium in æternum perfectum.*] Hanc huius noſtri ſummi ſacerdotis pluſquam humanam innocentiam, hanc diuinã vitæ ſanctitatem & puritatem voluit etiam inter ipſa tormenta omnibus teſtatam reddere, quando ipſemet iudex poſtquam eum duriſsimè iuſsit flagellare, & vidit ſpinis coronatum, chlamydeque coccinea per ludibrium indutum, palam confeſſus eſt cùm illum ad populum adduxit, & ita eſt allocutus: *Ecce adduco eum vobis foras, vt cognoſcatis quia in eo nullam cauſam mortis inuenio.* Quid igitur? Nonne ô Pilate

late qui in eum oculos coniecerit, & taliter flagellatum atque irrisum viderit, inde potius cognosceret dignum esse istiusmodi hominem, qui crudelissima morte puniatur? Quomodo ergo ideo eum ante Iudæorum oculos adducis, vt cognoscant nullam te mortis causam in eo inuenisse? Præceperat Dominus in lege per Moysen, vt si quis pro aliquo delicto esset flagellandus, iuxta mensuram delicti esset & plagarum modus, ita duntaxat, vt quadragenarium numerum non excederent. *Ne fœdè*, inquit diuina Lex, *laceratus ante oculos tuos habeatur frater tuus*. Si ergò quadragenarij flagellorum numeri excessu quocumque fœdè corpus lacerari à Domino iudicatur; quàm fœdè laceratum fuisse sacratissimum Domini corpus credendum est tot ac tantis flagellis cæsum, vt quinque millia excesisse multi affirment? Quomodo ergò ô Pilate, te nullam in eo mortis causam inuenisse, palam profiteris, quem sic flagellari ad mortem vsque precepisti? At diuina prouidentia effectum est, vt ipsemet iudex, licet iniquus, ore proprio eius summam innocentiam, nullamque mortis causam in eo esse, palam, & pro tribunali profiteretur, ad ostendendum quod pro alienis totius mundi peccatis eam mortem tolerabat, de quibus Deus Pater in eo licet dilecto filio vindictam sumebat, quia illum mundi redemptorem constituerat. Postquam Diuus Paulus asseruit Deum Patrem filium suum misisse in similitudinem carnis peccati (id est, in omnibus præter delictum cæteris peccatoribus similem) addidit veluti effectum indicans: *Et de peccato damnauit peccatum in carne*; quia videlicet per eam peccati similitudinem, in qua Christus Dominus seipsum peccatum (hoc est, sacrificium pro peccato) Patri exhibuit, peccatum Adami cæterorumque hominum in seipso damnauit, & de nostris sceleribus vindictam sumens pro nobis plenissimè satisfecit. Si in similitudinem carnis peccati non venisset, pœnas peccatis debitas perferre minimè posset. Si autem peccato esset obnoxius, per illas pœnalitates peccatum non

Deut. 25.

Rom. 8.

posset damnare, neque Deo Patri æternam satisfactionem rependere. Diuinam igitur innocentiam cum carnis pecati similitudine conuinxit, vt per ea, quæ innocens pro nostris peccatis patiebatur, & nos nostræ redemptionis certos redderet, & in odium peccati excitaret. *Iudica me Deus*, orat Dauid *& discerne causam meam de gente non sancta*. Cùm enim (vt Augustinus adnotauit) videret omnia huius mũdi temporalia bona, siue mala, iustis & iniustis esse communia, quamuis causa coram Deo sit dispar, & dissimilis, orat vt causam à gente non sancta discernat; id est, vt à peccatis liberet, vt animæ vitia auertat, vt eam dissimilem peccatoribus in hac causa faciat, licet eisdem pœnis afficiatur: non enim coram æquissimum diuini iudicij examen pœnas, sed culpas pertimescit, & in ijs ab impijs vult discerni.

Psal. 42.

Augustinus.

Considerandum deinde est quibusnam medijs, quibus testimonijs seu probationibus aut documentis, hanc suam innocentiam Christus Dominus & Pilato iudici, & inimicis suis fecerit manifestam: hoc enim sola patientia & silentio præstitit. Conuenerunt in vnum Principes Sacerdotum, cum Scribis & Pharisæis coram Caipham, producuntur in medium testes, qui de plurimis eum accusant: tacet Christus in medio positus: at ipsimet cognoscunt quod conuenientia testimonia non erant. Deferunt eum ad Pilatum, in multis eum accusant, populi perturbatorem, nouæ doctrinæ inuentorem, legis peruersorem appellant, ac demum læsæ maiestatis reum proclamant, vtpotè qui se Regem faceret Iudæorum. Verùm ipse nihil respondit, ita vt miraretur Præses vehementer: quòd si adiuratus aliquando responsum dedit, hoc & breuissimè, & non se excusando, imò & filium Dei coram Iudæis, & Regem se esse coram Pilato confessus est. Attamen hoc mansuetissimum silentium tantum valuit ad eius innocentiam publicè comprobandam, vt neque tot sacerdotum, ac Pharisæorum auctoritate, neque populi clamoribus potuerit obscurari, quin ab ipsimet li-

geret inuitis cognosceretur. Nouus & inusitatus hic defensionis modus est, & à consuetudine seculi alienus, licet ad veram animi pacem, æternamque gloriam acquirendam, summmopere conducat. Est magnum & negotiosum silentium, ait Ambrosius, vt erat Susannæ, quæ plus egit tacendo, quàm si esset locuta: tacendo enim apud homines locuta est Deo, neque vllum inuenit maius indicium suæ castitatis, quàm silentium. Ipse enim Dominus in Euangelio tacens operabatur salutem hominum.] Quod apertissimis verbis prædixit Isaias: *Oblatus est*, inquit, *quia ipse voluit, & non aperuit os suum. Sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum. De angustia & iudicio sublatus est*, quia scilicet hoc ipsius admirabili silentio id effectum est, vt ab illis calumniantium testimonijs atque opprobrijs, quibus in passione fuit oppressus, liber euaderet, suamque iustitiam tueretur. Quare per Dauid Prophetam ita Dominus ipse prælocutus est: *Qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates, & dolos tota die meditabantur. Ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum. Et factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones. Quoniam in te Domine speraui.* His vltimis verbis reddit Dominus causam, ait Augustinus, quare non aperuerit os suum in passione, vt se defenderet: quia nimirum sua innocentia fretus, in Deo securè sperabat. Monuit te (inquit sanctus Doctor) quid facias, si fortè occurrerit tibi tribulatio. Quæris enim te defendere, & fortè nemo accipit defensionem tuam. Iam tu perturbaris; quasi perdideris causam tuam, quia nullius habes defensionem, aut testimonium. Custodi intus innocentiam tuam, vbi nemo opprimit causam tuam. inter Iudicem iustum, & conscientiam tuam noli timere nisi causam tuam. Si causam malam non habueris, nullum accusatorem pertimesces, nullum falsum testem repelles, nullum verum requires. Tu tantum bonam conscientiam habe, vt possis dicere.

Ambr. offic. lib. 1. c. 3.

Isa. 53.

Psalm. 37.

August.

pijs placet)excitauit nos multo ante Spiritus sanctus in Canticis illis verbis: *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua in die desponsationis suæ, & in die lætitiæ cordis sui.* Ille nimirum noster est verus Rex Salomon, & pacificus, & pacis inter homines, & Deum sequester, qui pacem hominibus bonæ voluntatis in terra adduxit. Fideles animæ, filiæ Sion(id est, sanctæ Ecclesiæ)sæpe in sacra scriptura dicuntur. Matrem ipsius Regis Christi Synagogam intelligi ex eo colligitur, quia Christus ex Iudæis natus est. Cant. 3.

Hæc igitur mater impia, & crudelis tali eum diademate, corona scilicet spinea eum coronauit, eo die, quo ipse, vt Ecclesiam sibi in sponsam assumeret, ingēti cordis sui lætitia pro ea sanguinem fundebat. Quænam igitur erat fidelis anima tam duri & ingrati cordis, quæ in hunc Regem sic coronatum, & ornatū fidei oculos conijciens, non summè commoueatur? Diuinum sponsum ad sponsæ suæ ianuam pulsantem audiamus. *Aperi mihi soror mea, amica mea, immaculata mea, quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* Quibus verbis ardens illud desiderium declaratur, quo Dominus & Rex noster atque animarum sponsus nostram salutem exoptat nobiscum, & intra nos habitare percupit; quare per noctes foris ad ianuas spectans sæpe sæpius pulsando se dicit perseuerasse, ita vt caput rore perfunderetur, & cincinni humidis guttis, quæ nocte defluunt. At nunc ob eādem causam non quidem cœlesti rore, sed pungentibus terræ spinis caput plenum est, & cincinni guttis sanguinis è capite abundè emanantibus, & insuper fœdissimis sputis sunt respersi. Cant. 5.

Tertullianus huius spineæ coronæ causam reddens, sic ait: Christus Iesus, quale, oro te, sertum pro vtroque sexu subijt? ex spinis opinor, & tribulis, in figuram delictorum, quæ nobis protulit terra carnis. Abstulit autē virtus crucis omnes aculeos mortis in Dominici capitis tolerantia obtundens. Certè præter figuram, contumelia in promptu est, & turpitu- Tertull. li. de coron. milit.

do, & dedecoratio, & his implexa sæuitia, quæ tunc Domini tempora, & fœdauerunt, & lancinauerunt.] Protulerat Dominus aduersus Adamum sententiam, vt terra pro operibus eius maledicta, pro fructibus spinas, & tribulos germinaret: quod non tantum ad labores, & ærumnas corporales refertur, sed etiam ad effrænatos peccati motus, qui veluti pungentes spinæ ab isto pungenti corpore germinantes animam exulcerant. Harum igitur spinarum punctiones ac dolores Christus Dominus in capite pertulit, vt illarum vim obtunderet, & hebetaret, non solum, vt sibi, & nobis auream immortalitatis coronam promereretur, sed etiam, vt & in hac vita has spinas teneras & dulces redderet, pœnarumque nomen amitterent. Licet enim per passionem, atque mortem suam peccati veniam obtinuerit, & culpæ reatum sanguine suo absterserit, corporales tamen pœnas atque ærumnas, & insuper peccati fomitem atque concupiscentiam diuino consilio ad meritum dereliquit, quę omnia per passionis suæ acerbitatem, ingentesque dolores in dulcedinem, & remedium conuertuntur. Amarissimæ erant aquæ Mara, ita vt neque ex eis populus Israël sitiens bibere posset. Ad imperium Domini misit in eas populus lignum sibi ostensum, & in dulcedinem versæ sunt. Sic misericors Dominus in has vitæ amaritudines pro peccatis inflictas, lignum illud viride Christum Iesum immisit, & in medio spinarum harum immersit, vt eas nobis salutares, dulces, & suaues redderet.

Exod.15.

Ecce Homo.] Si primum Pilati propositum perquiramus, illud videtur esse, vt his verbis furentem illum populum, & crudeles Iudæorum animas ad aliquam mansuetudinem erga Christum, inflecteret. Vnde aliqui verbum, *Homo*, non ad Christum, sed ad cæteros, qui aderant, & illum videbant, referri posse existimant, quasi sit sensus: O tu homo, quisquis es, qui hoc vides, si quid est in te humanitatis, ecce videns tantam hominis miseriam, quiesce ab ira, & vindicta. At communis Doctorum expositio habet de-

de Christo Domino locutum fuisse Pilatum, quasi dicat: Ecce, hic est ille ipse homo, quem vos mihi obtulistis, accusantes quod se Regem faceret, ipse, inquam, & non alius, licet in eo sit statu, vt vix cognosci valeat, cùm aspectus eius in eo non sit. Verùm odio, & ira populus ille duræ ceruicis in Christum Dominum exarsit, vt eo viso, non solum ad miserationem minimè mouerentur, sed tunc magis ac magis vociferarentur, dicentes: *Tolle, Tolle, Crucifige, Crucifige.* O efferatas mentes! ô immania corda! Et quodnam est animal ferum, quod de sui similis malo non misereatur? Tauri & boues si alterius suæ speciei sanguinem vel cadauer reperiunt, ibidem consistunt mugientes, & quodammodo ploratum edentes. Sed Iudæi feris ipsis crudeliores, videntes hominem illum Iesum, qui tot in illos beneficia contulerat, vulneribus sauciatum, spinis coronatum, sanguine proprio vndique madentem, maiori odio commouentur, & omnem exuentes ab animis pietatem, ad crucis supplicium postularunt.

At Charissimi, crudelem hunc & ingratum populum relinquamus, qui debitas tantæ crudelitati pœnas ad hoc vsque tempus exoluit: & vnusquisque fidei oculis se huic spectaculo præsentem exhibeat, Dominumque Iesum sic ornatum aspiciens, sibi dictum arbitretur: *Ecce homo.* Ecce, inquam, homo, qui simul est, & Deus hominumque creator: Ecce homo, qui sanctitate, & innocentia homines & Angelos superat: Ecce homo, qui pro tuis, ô homo peccatis hæc omnia tolerat: Ecce homo, qui omnium hominum peccata super se imposuit, vt pro illis Deo Patri satisfaceret. Nunquid igitur poterit iam dicere Paralyticus in piscina iacens, *Hominem non habeo*, cùm tibi Pilatus hunc hominem ostendat, qui de suomet sanguine tibi piscinam fecit? Hunc igitur hominem tibi, ô homo, à Pilato ostensum à planta pedis vsque ad verticem capitis contemplare, vt quid pro te pertulerit, quantumque ei debeas, possis

agnoſcere. O homo homo, Chriſte Ieſu, hominum & creator & redemptor, qualem te conſpicio, & quam diuerſum ab illo, quem ſacra Sponſa in Canticis deſcripſit! Video namque baſes illas aureas pedum tuorum ſanguine atque puluere inuolutas, digitorum vngulas ex lapidum, in quos impingebant, percuſſionibus fiſſas & attritas. Video columnas illas marmoreas crurum debilitatas ex funium crudeli compreſsione, quandó ad columnam marmoream in flagellatione fuerunt alligata. Video manus illas tornatiles, aureas, hiacynthis, id eſt, operibus miſericordiæ & miraculoſis plenas, vinculis ſtrictiſsimè circumligatas vſque ad carnis lacerationem. Video barbam euulſam, & coagulato ſanguine madidam. Video labia, quæ erant velut lilia myrrham ſtillantia, ſanguine è capite fluente conſperſa. Video areolas illas aromatum genarum, tot alapis inflictas, & immundiſsimis ſputis fœdatas. Video oculos illos, qui erant ſic ſplendentes & nitidi quaſi columbæ lacte lotæ, lachrymis & ſanguine aſperſos. Video caput, quod erat velut aurum optimum, acutiſsimis ſpinis vndique cinctum & vulneratum. Video denique candidiſsimum corpus tuum totum rubicundum, & vulneribus laceratum. Et hæc videns, firma fide teneo, atque profiteor, innocentiſsime Ieſu, te hæc omnia mei cauſa pertuliſſe. Quare ergo lapideum hoc cor meum non emollitur? Cur obdurata ceruix non humiliatur, & ad pœnitentiam flectitur? Pudeat, pudeat ſub ſpineo tuo capite, membrum fieri delicatum. Pudeat nos, hominum amantiſsime Ieſu, te, qui talia, vt nos amicos faceres, pati voluiſti, ſaltem veluti amicum non diligere. Cùm Darius Xerxis Pater ingens malum granatum aperuiſſet, cuidam roganti, cuiuſnam rei tantùm habere vellet numerum, quanta granorum illorum eſſet multitudo, reſpondit: Tot Zopyros. Fuerat autem Zopyrus vir probus, & illi amicus, qui ſeipſum verberibus fœdarat, nareſque ſibi & aures amputauerat: qua fraude Babylonios decepit, ac ſibi creditam ab ipſis vrbem Dario

Cant 5.

Plutarchus

Dario tradidit. Quod amici hominis factum tanti Darius fecit, vt deinde diceret, se malle Zopyrum illius fœditatis expertem, quàm centum Babylonias acquirere. Ecce igitur, ô anima mea, Homo, qui cùm esset Rex & Dominus cœli & terræ, se flagellari, spinis coronari, & vili purpura, atque arundine pro regio sceptro ornari per irrisionem permisit, vt te regni cœlestis consortem haberet, & immortalis gloriæ corona decoraret. Hunc super omnia diligere teneris, huic ex corde adhærere, nihil illi præponere, & cuncta pro eius honore contemnere, & pro nihilo ducere.


Si verò ea fuerit cordis nostri durities, vt tali spectaculo minimè commoueatur, ad Patrem misericordiarum, Patremque ipsius Domini Iesu mente conuertamur, & eidem dicamus: *Ecce homo.* Ecce, clementissime Pater, hic est ille homo, quem in mundum misisti ad nos homines liberandos: Ecce homo, qui & filius tuus ille est dilectus, quem semel & iterum voce de cœlo elapsa mundo ostendisti, quẽ quidem peccata nostra adeò deformem effecerunt, vt quisnam sit, vix appareat. Respice, benignissime Pater, in hanc despectam atque fœdatam filij tui faciem, & nostri miserere, pro quibus talia eum pati iussisti.

Non desunt, qui existiment, & non sine magna probabilitate, eo temporis momento, quo Dominus Iesus exiuit, portans spineam coronam, & purpureum vestimentum, & Pilatus dixit, *Ecce homo*, tunc beatam Virginem cum dilecto discipulo, & sanctis mulieribus aduenisse. Quis verò poterit non dico verbis explicare, sed vel mente concipere, quid pia Virgo tunc passa fuerit? Illi meritò dici poterat, *Ecce Homo.* Ecce, inquam, ô Virgo simul & Mater, hic est ille homo, quem per Spiritum sanctum in vtero cõcepisti, quem vt verum hominem & peperisti, & vberibus lactasti. Hic est ille homo filius tuus, & non alius, quamuis multa sint, quæ te dubiam atque anxiã reddant. in eum oculos fige, eumque agnosce. Mutuis

tuis igitur se cōspectibus Mater, & filius aspicientes, mutuis etiam doloribus cruciabantur. Et pia Mater compassionis affectu permota, pungentem coronam è filij capite extrahere desiderabat, insuper & vincula soluere, nuditatem cooperire, & sputorum fœditatem, simulque & sanguinem à facie & oculis abstergere.

Cæterum Virgo sanctissima eademque Mater pijssima, grandis adhuc tibi dolorum restat via. Prius namque filius Crucem humeris portantem ad Caluariæ locum plorans sequêris: prius ibidem denudari, in Cruce extendi, & clauis affigi atque in altum eleuari conspicies, prius sitientem felle & aceto potari, prius spiritum emittere, prius latus lancea aperiri oculis tuis aspicies. Deinde licebit tibi depositum è cruce corpus in sinu fouere, & illa pietatis opera nihil sentienti impendere. Tunc sacram coronam detrahes & seruabis, oculos clausos, faciemque conspurcatam lachrymis tuis mundabis. Eo igitur tempore, clementissima etiam peccatorum Mater, ad diuinum filij tui Patrem conuersa, eundem illi pro nobis miserrimis peccatoribus offer, dicens: *Ecce Homo*: eundemque deprecare, vt huius hominis, qui simul & illius, & tuus filius extitit, hominibus, pro quibus ista perpessus est, veniam, & misericordiam concedat, & ad vitam perducat æternam.

Amen.



DE

DE PASSIONE IN Parasceue.

SERMO SECVNDVS.

Et baiulans sibi crucem, exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ locus. Ioan. c. 19.

GRande spectaculum (sanctissimus ait Augustinus) sed si spectat impietas, grande ludibrium, si pietas; grande mysterium; si spectat impietas, grande ignominiæ documentum: si pietas, grande fidei munimentum; si spectet impietas, videt regem pro virga regni lignum sui portare supplicij; si pietas, videt regem baiulantem lignum ad semetipsum figendum, quod fixurus fuerat etiam in frontibus regum, in eo spernendus oculis impiorum in quo erant gloriatura corda sanctorum.] Hoc grande ludibrium, & non minus grande tormentum solus ex Euangelistis enarrauit discipulus ille dilectus, qui pijssimis oculis grande spectaculum aspexit, grande mysterium agnouit, & efficacissimis, licet paucis; verbis exposuit, cæteri verò Euangelistæ solum retulerunt, quod milites angariauerunt Simonem quendam Cyrenæum venientem de villa, & imposuerunt ei crucem portare post Iesum. Ioannes item Euangelista, licet Christum Dominum crucem baiulasse expressè dicat, non tamen satis declarat, quisnam huius ludibrij, ac cruciatus auctor fuerit. Et quamuis Iustus Lipsius in suo de cruce libello, doctissimè, vt solet, ex antiquis probet, sæpè fieri solitum, vt crucifigendi crucem ipsam humeris proprijs ad locum patibuli portarent; attamen in Christo non eam fuisse præcipuam causam inde mihi persuadeo, quod

August. in Ioan.

Iustus Lipsius.

quod cùm Iudæi crucifixionem summopere exoptarent, milites vt celerrime omnia peragerent, hortabantur. Qui quidem milites post prolatam ab impio Iudice Pilato sententiam, deductum è tribunali, & iā morti crucis adiudicatum Dominum Iesum chlamyde coccinea exuentes, vestibusque proprijs, vt ab omnibus cognosceretur, induentes, ad montem Caluariæ deducendum foras produxerunt. Erat præparata Crux, & cùm quindecim ad minus pedes in longitudinem haberet, graue pondus vnusquisque militum à se reiecit: Iudæi verò crucem solummodo tangere, ignominiosissimum ducebant, ex eo quia

Deut. 21. scriptura dicit: *Maledictus omnis qui pendet in ligno.* Quare eam à se repellentes in Christi Domini vulneratos, & sanguine conspersos humeros imposuerunt: alij ne defatigarentur, alij verò ne contemnerentur. Quibus de causis vsque hodie multi crucem post Christum ferre, & passionis eius vestigia sequi detrectant. Quidam enim voluptuosam, & delitijs deditam vitam amplectentes, mortificationem corporis, abstinentiam, & pœnitentiæ laborem nimium auersantur, onusque grauissimum iudicant voluptatibus resistere. Pilati milites imitantes, qui crucem vt onerosam & laboriosam repulerunt. Quidam verò humilitatem atque Christi Domini patientiam, & mansuetudinem imitari ignominiosum ducunt. Vnde & erubescunt iniuriantibus parcere, seque de acceptis contumelijs non vlcisci. Iudæorum isti exemplum sequuntur, qui crucem Domini ne digito quidem tangere voluerunt, ne eis probro, & ignominiæ esset. Quibus omnibus ipse Dominus com-

Luc. 9. minatus est cùm dixit: *Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cùm venerit in maiestate sua, & Patris, & sanctorum Angelorum.*

Quamuis autem ijs de causis tam milites quàm Iudæi crucem Dominicam repudiauerint, arbitror tamen hanc baiulationem potius ab ipsomet Christo quàm à militibus vel Iudæis fuisse profectam: namque noster Euangelista ea quæ milites propria mali-

malitia impellente peregerunt, illicò illis attribuit, vt de spinarum coronatione: *Et milites flectentes coronam de spinis imposuerunt capiti eius,* & de diuisione vestium: *Et milites quidem hæc fecerunt.* Illi ipsi spongiam aceto plenam circumponentes hysopo obtulerunt ori eius. Item: *Vnus militum lancea latus aperuit.* Iudæi verò Christum celerius in crucem tolli desiderabant, ne aliquid eueniret, quod crucifixionem impediret. Hinc mihi persuadeo. quod statim atque ipsemet Christus Dominus in sibi paratam crucem oculos coniecit, sciens in ea positum esse mundi remedium, quod ardentissimè exoptabat, ad eam sponte accessit, illi adhæsit, veluti eius pulchritudine, & amore captus: quod milites aspicientes, Crucem illi imposuerunt. Hoc ipsa Euangelij verba innuere videntur: *Et baiulans sibi crucem:*] Vel vt Græca habent: *Et is baiulans crucem suam.*] Quibus explicari videtur, Christum Dominum crucem veluti sibi propriam, sibique iure debitam, fuisse amplexatum, atque summa & voluntate, & voluptate baiulasse. Quamuis enim omnia, quæ pertulit, tum ludibria, tum tormenta diuinitus fuerint præuisa & ordinata, vt ipsemet Dominus Pilato dixit; *Non haberes potestatem aduersus me vllam; nisi tibi desuper datum fuisset:* hoc tamen crucis patibulum adeo ei placuit, tantoque desiderio in crucis mortem ferebatur, vt cùm crucem ipsam conspexisset, minimè se potuerit continere, quin ad illam, veluti ad sibi diù dilectam sponsam apertis vlnis accederet, & antequam in eius brachijs, veluti in quietis lectulo conquiesceret, hoc eidem persoluit quando illam proprijs humeris baiulauit. Et quid mirum, si mihi persuadeam hunc extitisse Christi Domini amoris affectum ergà suam sanctissimam crucem, cùm videam beatum Andream ad sibi paratam crucem tanto desiderio properantem, eam à longè salutantem, dulcissimisque, & amore plenissimis verbis alloquentem? At eam pulchritudinem & decorem, quam beatus Andreas in cruce adamabat, ex membris Domini in cruce af-

fixis susceperat: & insuper crux illa soli beato Andreæ salutem & vitam æternam conferebat; in Dominica verò cruce totius mundi salus pēpēdit, quam Dominus Iesus ardentissimè desiderabat.

Bern in Sent. Diuus Bernardus tres potissimum enumerat causas, quæ Christi Domini animum veluti impulerunt, vt crucis patibulum, & voluntariè eligeret, & tanto desiderio amplecteretur. Quarum prima & præcipua fuit filialis & pura obedientia, qua diuinæ Patris sui voluntati se in omnibus subdidit, qui quidem Pater tantam ab eo obedientiam requisiuit, quanta vt pro primi hominis inobedientia plenè satisfieret opus erat. Hoc illa Diui Pauli verba declarant: *Humiliauit semetipsum factus obediens vsq; ad* Phil.3. *mortem, mortem autem crucis.* Quia nimirum non solum mori, sed & in cruce mori eum à Patre fuerat decretum. Huius obedientiæ meritum alibi idem Apostolus explicat, inquiens: *sicut enim per ino-* Hebr. 10. *bedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi, & per vnius obeditionem iusti constituentur multi.* Cùm igitur diuinæ voluntatis imperium, adeo in omnibus exequi perciperet, vt aliquando dixerit, Ioan. 4. *Meus cibus est, vt faciam voluntatē Patris mei, vt perficiam opus eius:* simulatque vidit sibi paratam crucē, vbi opus illud eiusdem Patris erat crucifigendum, continuo eam super se suscepit, & ad locum patibuli ire perrexit ad paternam voluntatem sedulò exequēdam. Hanc promptissimam atque spontaneam obedientiam, filialem & puram, multò ante à Dauid Rom. 5. propheta prænunciatam dicit Diuus Paulus. Postquam enim inefficacem & diminutam esse virtutem legalium sacrificiorum ad animæ sanctificationem asseruit, quam emundationem solum præstat sacrificium ipsius Christi filij Dei in cruce oblatum, ad hoc comprobandum hæc ex Psalmis refert: *Ideo ingre-* Psal. 39. *diens in mundum dixit, Holocaustum, & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi: holocaustomata pro peccato tibi non placuerunt. Tunc dixi, Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, vt faciam voluntatem*

tuam,

tuam, Deus meus volui,] quasi dixerit: Iam in mundum ingressus, & humana atque patibili carne indutus; Si quidem Pater iustissime omnia antiqua animalium sacrificia, cunctaq; holocausta igne absumpta, seu sanguis taurorum aut hircorum aspersus hominum scelera, neque peccati maculam possunt abstergere, neque tuæ iustitiæ debitè satisfacere, mihi autem hoc humanū corpus dedisti patibile, & mortale, & aptum, vt pro hominibus hostia acceptabilis esse queat: Ecce presto sum: Ecce me ipsum offero, vt tuā voluntatem perficiam. Addit deinde Apostolus: *In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel.* Huius obedientiæ filialis & puræ figuram præcessisse in Isaac asserit Tertull. per hæc verba: Cùm Isaac à Patre hostia duceretur, & lignum ipse portaret Christi exitum iam tunc denotabat in victimam concessi à Patre lignum passionis suæ baiulantis.] Sed quæso figuram hanc latius expendamus, vt veritatem in Christo Domino impletam plus amemus. Dederat Dominus Abraham in senectute ex Sara filium illum vnicum hæredem omnium promissionum, vnicè dilectum, & vnicam parentum spem, vnicum solatium. Hunc postquam adoleuit, iussit Dominus ipsi Abraham vt sibi immolaret in monte ostensionis (Caluarium multi non inepti arbitrantur) qui distabat ab eius tabernaculo itinere trium dierum. Simul atque peruenerunt ad montis radicem, dimisit Abraham ibi seruos, & tulit ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suum: ipse verò portabat in manibus ignem & gladium. O diuinum mysterium tanto ante adumbratum! Christus vnicus Patris ipse verus est Isaac, ipse vnice à Patre dilectus, ipse ad montem Caluariæ pergens, lignum crucis bajulat. Quis super eum huiusmodi ligna imposuit? seruine? (nimirum milites) minimè. Quis ergo? Pater ipse ligna illius holocausti in cruce offerendi, super Christum imposuit, quando ipsemet filius per Patris obedientiam sibi

Gen. 22.

fixis susceperat: & insuper crux illa soli beato Andreæ salutem & vitam æternam conferebat; in Dominica verò cruce totius mundi salus pepēdit, quam Dominus Iesus ardentissimè desiderabat.

Bern. in Sent. Diuus Bernardus tres potissimum enumerat causas, quæ Christi Domini animum veluti impulerunt, vt crucis patibulum, & voluntariè eligeret, & tanto desiderio amplecteretur. Quarum prima & præcipua fuit filialis & pura obedientia, qua diuinæ Patris sui voluntati se in omnibus subdidit, qui quidem Pater tantam ab eo obedientiam requisiuit, quanta vt pro primi hominis inobedientia plenè satisfieret, opus erat. Hoc illa Diui Pauli verba declarant: *Humiliauit semetipsum factus obediens vsq; ad mortem, mortem autem crucis.* (Phil. 2.) Quia nimirum non solum mori, sed & in cruce mori eum à Patre fuerat decretum. Huius obedientiæ meritum alibi idem Apostolus explicat, inquiens: (Hebr. 10.) *sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi, & per vnius obeditionem iusti constituentur multi.* Cùm igitur diuinæ voluntatis imperium, adeo in omnibus exequi perciperet, vt aliquando dixerit, (Ioan. 4.) *Meus cibus est, vt faciam voluntatē Patris mei, vt perficiam opus eius:* simulatque vidit sibi paratam crucē, vbi opus illud eiusdem Patris erat crucifigendum, continuo eam super se suscepit, & ad locum patibuli ire perrexit ad paternam voluntatem sedulò exequēdam. Hanc promptissimam atque spontaneam obedientiam, filialem & puram, multò ante à Dauid propheta prænunciatam dicit Diuus Paulus. (Rom. 5.) Postquam enim inefficacem & diminutam esse virtutem legalium sacrificiorum ad animæ sanctificationem asseruit, quam emundationem solum præstat sacrificium ipsius Christi filij Dei in cruce oblatum, ad hoc comprobandum hæc ex Psalmis refert: (Psal. 39.) *Ideo ingrediens in mundum dixit, Holocaustum, & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi: holocaustomata pro peccato tibi non placuerunt. Tunc dixi, Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, vt faciam voluntatem*

tuam,

tuam, Deus meus volui,] quasi dixerit: Iam in mundum ingressus, & humana atque patibili carne indutus: Siquidem Pater iustissime omnia antiqua animalium sacrificia, cunctaq; holocausta igne absumpta, seu sanguis taurorum aut hircorum aspersus hominum scelera, neque peccati maculam possunt abstergere, neque tuæ iustitiæ debitè satisfacere, mihi autem hoc humanū corpus dedisti patibile, & mortale, & aptum, vt pro hominibus hostia acceptabilis esse queat: Ecce pręsto sum: Ecce me ipsum offero, vt tuā voluntatem perficiam. Addit deinde Apostolus: *In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel.* Huius obedientiæ filialis & purę figuram præcessisse in Isaac asserit Tertull. per hæc verba: Cùm Isaac à Patre hostia duceretur, & lignum ipse portaret Christi exitum iam tunc denotabat in victimam concessi à Patre lignum passionis suæ baiulantis.] Sed quæso figuram hanc latius expendamus, vt veritatem in Christo Domino impletam plus amemus. Dederat Dominus Abraham in senectute ex Sara filium illum vnicum hæredem omnium promissionum, vnicè dilectum, & vnicam parentum spem, vnicum solatium. Hunc postquam adoleuit, iussit Dominus ipsi Abraham vt sibi immolaret in monte ostensionis (Caluarium multi non inepti arbitrantur) qui distabat ab eius tabernaculo itinere trium dierum. Simul atque peruenerunt ad montis radicem, dimisit Abraham ibi seruos, & tulit ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suum: ipse verò portabat in manibus ignem & gladium. O diuinum mysterium tanto ante adumbratum! Christus vnicus Patris ipse verus est Isaac, ipse vnice à Patre dilectus, ipse ad montem Caluariæ pergens, lignum crucis baiulat. Quis super eum huiusmodi ligna imposuit? serui ne? (nimirum milites) minimè. Quis ergo? Pater ipse ligna illius holocausti in cruce offerendi, super Christum imposuit, quando ipsemet filius per Patris obedientiam sibi Gen. 22.

ſibi ipſi crucem baiulandam ſuſcepit. Portabat Pater cœleſtis ignem & gladium, quia ſic dilexit mundum, vt igne amoris flagrans, vnigenitum daret, vt diuinæ iuſtitiæ gladio pro peccatis hominum feriretur. At non ſicut Iſaac gladium euaſit, ſed velut ille aries inter vepres cornibus hærens, ipſe ſpinea corona redimitus, diuinæ iuſtitiæ gladio ſe immolandum præbuit. O filialis & pura obedientia, ad mortem vſque, mortem autem crucis perſeuerans! Cuius obedientiæ perfectiſsimum exemplum in ſe ideo præbuit, vt quàm neceſſaria ſit obedientia ad ſalutem, vnicuique pateret. At quia licet ſpiritus ſit promptus, caro autem noſtra non ſolum infirma, ſed ad malum prona, & voluntas propria diuinæ voluntati ex ſeipſa repugnat; diuina effectum eſt prouidentia, vt homo ille, qui in eo itinere ad Caluariæ locum crucem poſt Ieſum portauit, Simon diceretur, quod nomen obedientem ſignificat. Deficiebant Chriſto Domino vires, ob nimiam ſanguinis effuſionem; ſæpe ſub pondere ruebat: & licet ſtimulis præacutis pungeretur, vt curſum acceleraret, tamen pro laſsitudine debiliter & tarde mouebatur. Cùm igitur Iudæi timerent, ne in via deficeret, & ante crucifixionem animam exhalaret, cum militibus egerunt, vt plebeium hominem de villa venientem apprehenderent, quem vel inuitum coëgerunt crucem portare poſt Ieſum. Hic verò Simon Cyrenæus vocabatur, ſuper quem imponentes depoſitam ab humeris Domini crucem, poſt eum vſque ad Caluarium portare fecerunt. Quid autem hæc Simonis repugnantia, & ad deportandam poſt Dominum crucem contradictio ſignificauit, quàm carnis noſtræ, & propriæ voluntatis rebellantem concupiſcentiam, quæ crucem exhorret, & crucis mortificationem perferre detrectat? At ſi ei vim inferamus, & licet repugnantem ad crucem poſt Ieſum portandam cogamus, Simonis, id eſt, obedientis, nomen non amittemus: & paulatim quàm ſuaue iugum, & quàm leue ſit onus crucis experiemur: ſicuti huic Simoni creditur contigiſſe, cuius nomen

men & agnomen, & insuper filiorum nomina perpetuis monimentis in sacris literis fuerunt consignata.

Secunda causa à Diuo Bernardo assignata: Compassibilis, & communis miseria generis humani,] quæ diuinæ iustitiæ rigorem mitigauit, & misericordiæ viam aperuit. Erat autem miseria ponderosa & grauis. Pondus namque illud grauissimum peccati à primo homine admissi, totam humani generis massam deprimebat, superadditis vniuersis hominum proprijs delictis. Erat adeo vniuersalis, vt nemo ab hac sorde esset immunis, nec infans, cuius est vnius diei vita super terram: quia & in peccato omnes sumus concepti. Quare tam iustis, quàm etiam peccatoribus clausa erat cœlestis regni ianua. Erat demum ita ex se durabilis & perpetua, vt si Christus huic miseriæ terminum non imposuisset, in æternum perduraret. Cùm igitur pijssimus ipse Dominus Iesus oculos ad sanctam crucem subleuauit, vidit in ea primum illud Adami peccatum per inobedientiam ad vetitum lignum manus extendentis, vidit deinde vniuersa hominum scelera; quæ omnia Pater super illam crucem posuerat, in qua omnium fieri remissionem decreuerat. Et cùm deinceps mentis oculos conijceret in æternas inferorum pœnas vnicuique peccato præparatas, à quibus nullus per seipsum poterat euadere, neque debitam pro illis satisfactionem rependere, nisi ipse crucem subiret: summa misericordia, ex eiusdem crucis aspectu intimè permotus, illi, licet ligatus, adhæsit, & simul atque à vinculis est solutus, proprijs illam manibus super humeros imposuit, & graue peccatorum nostrorum pondus super se suscepit. O si vnusquisque nostrûm, Charissimi, secum expendat, quod quoties peccatum aliquod committit toties super innocentes Christi humeros pondus hoc aggrauat, onusque illud crucis super vlceratos & innoxios innocentis agni humeros grauius reddit, & molestius! forsitan hoc considerans, à peccatis aliquantulum abstinebit. Verùm tamen illud multò grauius Christo Domino pondus

crucis reddebat, quia sciebat multos fore peccatores, qui tantam misericordiam erant neglecturi, & ob id in æternas pœnas eijciendi. Hunc animi sui dolorem satis illis verbis expressit, quibus in hoc itinere Ierosolymiticas mulieres super illum ex compassione lachrymantes, est allocutus. Nam postquam super Simonem Cyrenæum crux fuit imposita, milites impij acrius Dominum stimulis porrigebant, calcibus impellebant, funibus trahebant, vt celerius viam perageret. Conuersus tamen ad eas mulieres, dixit: *Filiæ Ierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsos flete, & super filios vestros. Quoniam venient dies, in quibus dicent, Beatæ steriles, & ventres qui non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus, Cadite super nos, & collibus, Operite nos. Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* O pietas Domini immensa, ô viscera misericordiæ, & compassionis plenissima! Licet enim tot opprobrijs, atque cruciatibus vexaretur, tamen futura illius populi mala, & peccatoribus præparatas pœnas considerans, plus illorum, quàm suam vicem dolebat. Quare, Charissimi, si verè & ex animo passionem Domini deflere, & ei compati desideratis, prius super vos ipsos, atque super peccata admissa deflete, & pondus grauissimum leuius reddite contritionis atque veræ pœnitētiæ crucem portātes. Ob id enim voluit Dominus vt crux sua super alterius hominis humeros imponeretur, quo nos admoneret, quod quamuis ipse solus erat, qui torcular calcauit ita vt sufficientem pro peccatis satisfactionem exhiberet, nihilominus vnusquisque nostrum suam debet crucem portare post eum, & iuxta Diui Pauli dictum, adimplere ea quæ desunt passionum Christi in corpore proprio. Desunt namque ea quæ à nobis requiruntur, vtpote à liberis, libera & spontanea voluntas, qua diuinæ gratiæ debemus cooperari, vt redemptionis simus participes. Qui enim nos, sine nobis, & fecit, & redemit sufficientissimè, minimè nobis sine nobis saluationem concedet.

Luc. 23.

Coloss. 1.

Ex August.

Ter-

Tertia demum huius baiulationis causa fuit, celeberrima, & solemnis victoria, quam in illa cruce de mundi Principe Sathana, & de peccato atque morte erat adepturus. Cùm igitur crux esset ille gladius anceps, in quo erat pugnaturus, illico atque crucem vidit, manibus tanquam præliaturus suscepit, & ad locum certamini præparatum super humeros portauit. Tanquam fortis athleta, ait Athanasius, arripuit crucem. Quæ sancti Doctoris verba satis indicant Christum Dominum magno impetu spiritus, ingentique animi fortitudine crucem suscepisse, veluti gladium ad debellandos inimicos paratum. Erat quidem crux & scelerum supplicium, & mortis instrumentum: hanc Dominus cùm in remedium peccati, & in vitæ principium conuertit, quodammodo Diabolum peccati & mortis auctorem, suomet gladio superauit; sicut Dauid, qui prostrato Goliath suo ipsius gladio caput amputauit, & sic non tantum de eo, sed & de cuncto Philistæorum exercitu victoriam reportauit. Quare Tertullianus de hoc mysterio illud Isaiæ interpretatur, *Factum est imperium super humerum eius.* Solus, inquit, nouus rex Christus nouæ gloriæ potestatem, & sublimitatem in humeros extulit, id est, crucem.] Quamobrem Christus Dominus, qui per omnes vitæ suæ labores, ieiunia, peregrinationes, egestates, atque insuper per passionis opprobria & cruciatus omnes, veluti per lapides funda iactos, caput Principis mundi percusserat, cùm cruce, veluti gladio, caput ipsius esset amputandum, & per eam imperium acquirendum, super humeros portans, ad locum certaminis, nempe Caluariæ montem properauit.

Athan.

Tertull. lib. aduers. Iud.

Sequere ô anima, sequere Dominũ & Imperatorẽ tuum, ad triumphum properantem: crucem eius post eum cum Simone Cyrenęo, vel etiam repugnãte carnis nequitia super humeros porta. Ne onus pertimescas: ipse namq; illud leue suaueq; iugũ effecit, quando prius crucem portauit. Quòd si, ô ingrata anima, eius crucẽ detrectas, & ab ea dorsum auertis, minimè

omnem crucem effugies, velis nolis. Terra enim hæc, in qua peregrinatis, cruces producit, & qui eam incolunt, laborum & dolorum cruces vel inuiti sustinebunt. Si tamen ad imitationem Ducis tui miseriarum cruci sponte humeros subdas, & eum ante te crucem baiulantem semper ob oculos ponas, leue atque dulce reddes onus, quod ex se graue, & amarum erat.


Sed ad Deiparam Virginem sermonem conuertentes, eamque mente comitantes, quid tunc egerit, contemplemur. Audita namque mortis filij sui sententia, illico cum Ioanne Euangelista paucisque mulieribus ad locum supplicij properauit: dedit tamen operam, vt transeuntem aliquo modo conspiceret. Substitit igitur ad latus viæ, qua transeundum erat. Et primo vidit lictores scalis, malleis, clauis, funibus, cæterisque tormentorum instrumentis præcurrentes: deinde maximam vulgi cateruam, vt fieri solet, ad commoda spectandi loca occupanda celeriter sequentem, quorum quidam cachinnos edebant, alij clamoribus perstrepebant, plerique multa in Christi Domini contumeliam euomebant. Postea militum sequebatur cohors, & in eorum medio duo latrones funibus vincti: ac post eos Filius eius Iesus lignea crucis trabe grauiter onustus, qui à lictoribus immaniter cædebatur, funibus raptabatur, stimulis agebatur, & pedibus, pugnis, fustibus, loris, huc illuc impellebatur. Erat facies eius liuida, phlegmatis, sputis, sanguine, sordibus cooperta. Spinea corona caput pungebat, vultumque aliquantulum obtegebat. Hunc vt aspexit virgo Mater, nimio dolore perculsa est, & licet animæ deliquium non sit passa, tamen in tam ingentis doloris memoriam, in illa sacra via ext[at] peculiaris (quæ & prima dicitur Statio) & appellatur Virginis Spasimus: quem locum quando Peregrini deuotè venerantur, plures indulgentias consequuntur. Quando Abraham accepit à Deo præceptum, vt filium, quem diligebat, Isaac ad immolandum in montem duceret, non est ausus quicquam

x Cosiero.

vxori Saræ reuelare, merito pertimeſcens, quod illa doloris impatiens, ipſi foret impedimento ad diuinum mandatum exequendum. At cùm Deus Pater filium ad ſacrificium crucis defert, impoſito ſuper humeros eius ligno, in quo offerendus erat, non ſolum hoc Virgini Matri minimè occultum eſſe voluit; ſed & vt præſens adeſſet ipſe iuſſit, atque vt ad montem patibuli aſcendentem filium comitaretur, decreuit. Nouerat cœleſtis Pater hanc filij ſui Matrem, nouerat promptiſſimam eius obedientiam, nouerat illius ſummum redemptionis humanæ deſiderium. Quare voluit, vt ipſa Abrahami loco vehementiſſimum illum dolorem pateretur, quo paterna Abrahami viſcera fuerunt conquaſſata, quando filium lignis onuſtum ad montis ſummitatem comitabatur, eo animo, vt ipſum Deo immolaret. Cùm enim ipſe diuinus Pater ob diuinæ naturæ excellentiam doloris ſit omnino expers; voluit nihilominus, vt huic filij ſui vnigeniti, quem vnicè diligebat, ſacrificio nihil deeſſet, quo minus illud Iſaac figuratiuum multis excederet. Piiſſima igitur Virgo Mater, maternum atque paternum dolorem ſola pertulit, & multo amplius quàm Abraham in hoc itinere fuit cruciata. Namque Abraham cum filio pergens, colloquebatur ſatis dulciter, atque ſi ex onere lignorum defatigatum ſentiebat, ſubleuabat, & fouebat. At huic matri minimè licuit in ea via cum filio verba facere, neque eidem aliquod pietatis ſubſidium impendere. Vidit crucem caput ſuper ſpineam coronam percutientem, & ſpinas acrius infigentem, neque erat illi permiſſum lignum à capite paulisper auertere. Vidit ſub tanto pondere præ nimia debilitate ruentem, neque licuit iacentem erigere: vidit crudeliſſimos lictores immaniſsimè Ieſum illo tempore percutientes, quo crucem ab eius humeris detraxerunt, vt ſuper Simonem Cyrenæum imponerent. Audiuit eius piiſsima verba, quæ ad mulieres ex compaſsione illum deflentes, eſt locutus; quæ cùm finiſſet, magna crudelitate fuit impul-

ſus, vt paruam moram maiori velocitate compenſaret. Timebat namque impia turba & Iudæorum & militum, ne nimia debilitate exhauſtus ante infamiſsimum, & duriſsimum ſupplicium crucis expiraret. Deinde cum dilecti filij ſpecioſiſsimam faciem videret ſanctiſsima Mater tot ſordibus defœdatam, non tamen erat illi datum vultum abſtergere: at vidit nobilem matronam Veronicam ipſum miſeratam, linteo faciem eius abſtergentem, & in piiſſimi operis præmium figuram ipſius vultus ſordibus & ſanguine effigiatam accipientem. Quod linteum haud dubiè ipſi Matri exhibuit, cuius cura aſſeruatum, Romæ magna deuotione viſitur. Ecce quot doloribus perculſa Virgo Mater Filium Ieſum ad ſacrificium crucis properantem eſt proſecuta! Et ſicut Abrahami paternum animi dolorem fide & obedientia ſuperantem longè antecelluit, ſic potiora bona, excellentioresque benedictiones, & ſibi, & nobis promeruit.

Eia ergo, Aduocata noſtra, illos miſericordiæ & compaſsionis oculos, quibus filium crucem baiulantem aſpexiſti, ad nos, ſicut ille ad mulieres, conuerte: eum nobis in hoc exilio pro nobis tot ac tanta patientem oſtende, vt hoc perfectiſsimæ obedientiæ exemplo edocti & allecti, vnuſquiſque noſtrum crucem ſuam poſt eum perferat, & te patrocinante, ô miſericordiæ Mater, gratiam & miſericordiam conſequamur; qua eundem poſt hoc exilium in gloria videre mereamur.
Amen.



DE EADEM Passione.

SERMO TERTIVS.

Et venerunt in locum qui dicitur Golgatha, quod est Caluariæ locus. Et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum: & cùm gustasset, noluit bibere. Matth. 27. *ibi crucifixerunt eum.* Luc. 23.

ECce vetus noster Isaac iam ad montis verticem, in quo est immolandus, peruenit. Ecce strues lignorum paratur, nimirum crux, vt super eam amoris igne accensus, in holocaustum pro nobis Deo Patri offeratur. Vt igitur huius sacratissimi holocausti mysteria ex parte cognoscamus, illius antiqui holocausti circumstantias & cæremonias fuit adumbratum, ad mentem reuocemus.

Inter omnia antiquæ legis sacrificia, holocaustum primum & præcipuum locum tenebat. Dicitur autem holocaustũ, quasi totum igne crematum, quia illud animal vel auis, quæ in holocaustum offerebantur, tota sacro illo igne, qui de cœlo descenderat, ante Dominum absumebãtur. Quatuor autem erant quæ præcipuè in hac oblatione Dominus præceperat obseruari. Primum vt qui animal illud (quod & masculum, & immaculatum esse oportebat) ad holocaustum deferebat, prius ad ostium tabernaculi manus super caput hostiæ imponeret. *Et acceptabilis erit*, inquit Dominus, *atq; in expiationem eius proficiens.* Secundo loco sacerdotes huiusmodi hostiam immolabant, fundentes sanguinem per altaris circuitum, corium q; extrahentes, artus diuidebãt in frusta. Tertiò inte- Leuit. 1.

intestina aqua lauabant. Quarto & vltimo struem lignorum componentes, membraque cæsa desuper ordinantes, cùm intestinis ac pedibus ignem supponebant, qui omnia simul consumebat. Præceperat deinde Dominus, quod si hostia mactanda foret pro peccato totius populi, post cæremonias alias à Sacer-
Leu. 16. dotibus perficiendas, vt vitulus ille vel hircus, qui pro peccato fuerant immolati, asportaretur foras extra castra, & ibi igni comburerentur, tam pellis, quàm carnes eorum. Hanc autem cæremonialem le-
Heb. 13. gem referens Diuus Paulus, ita ait: *Quorum animalium infertur sanguis pro peccato in Sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra: propter quod & Iesus, vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.* Quibus verbis apertissimè ostendit, omnes illas holocaustorum cæremonias vmbratiles esse & figuratiuas huius perfectissimi holocausti, quod immaculatus Agnus Christus Iesus pro peccatis hominum in monte Caluariæ super crucis altare obtulit. Quatuor igitur illi ritus, quos supra commemorauimus, & qui in holocausto seruabantur, quatuor præcipuos cruciatus & opprobria, quæ Dominus Iesus statim atque in montem Caluarium deuenit, est perpessus, aliquatenus adumbrarunt: quæ singula prosequemur.

Primo igitur loco ille, qui victimam ad holocaustum deferebat, super illam manus imponebat: cuius duæ præcipuæ erant causæ. Prima, in signum, quod illius animalis ius & dominium à se abalienabat, & illud quodammodo reijciebat: quod etiam seruabatur, quando seruus aliquis à domino libertate donabatur, quæ libertatis donatio Manumissio ex eo dicebatur. Altera verò, & magis propria causa ea erat, vt offerens profiteretur, se omnia peccata sua super illam hostiam imponere, quo omnia ante Deum cremarentur, & hac humili confessione expiationem consequeretur. Huius cæremoniæ veritas tunc impleta est, quando Christus Dominus in locum Caluariæ ductus est, vt in infami illo sceleratorum suppli-

plicijs destinato loco, inter sceleratos crucifigeretur. Ideo namque, vt Hieronymo placet, Caluariæ locus dicebatur mons ille, quia quamplurima ibi erant cadauerum capita & ossa eorum qui eo loco puniebantur. Totis igitur viribus Sacerdotum Principes, cæterique primores Iudæorum contenderunt, vt Christus in eo infamissimo ac vilissimo loco cum sceleratis crucifigeretur, ea potissimum de causa, quia cùm quamplurima Iudaici populi turba Ierosolymam propter magnum illum diem Paschæ, conuenisset, quæ paucis ante diebus illi obuiam processerant cum ramis palmarum, Regem eum & filium Dauid atque illius populi Saluatorem acclamantes, vt hac infamia eius nomen abolerent, & honorificam de illo conceptam opinionem penitus ex illius populi memoria extirparent. At mysterium hoc altius expendens, tres reperio personas, quæ innocentem hunc agnum immaculatum ad holocaustum obtulerunt, & super eum manus imposuerunt, vt ad Caluarium duceretur: quas nobis Zacharias Propheta expresit, dicens: *Configent eum Pater, & Mater, & genitores eius.*

Hieronym.

Zach. 13.

Pater æternus primus fuit, qui filium ad crucis mortem tradidit, vt Paulus inquit: *Proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.*] Sic enim *dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret*, dixit ipsemet Christus: *Daret*, inquam, vt pro mundi vita holocaustũ fieret in altari crucis pro nostra expiatione offerendum. Quod verò cœlestis Pater primus & præcipuus auctor huius sacrificij extiterit, adeò Christus ipse omnibus voluit innotescere, vt quando Pilatus eidem ad omnia interrogata tacenti arroganter dixisset, Mihi non loqueris? Nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te? Responderit: *Non haberes potestatem aduersam me vllam, nisi tibi datum esset desuper.* Pater quidem filium ad sacrificium tradidit, & manus super eum in signum traditionis imposuit: quem sic in passione dereliquit, vt omnibus inimicis suis

Rom. 8.

Ioan. 3.

suis, imo & Sathanæ potestas ad eum illudendum, & cruciandum esset concessa, vt ipse dixit ijs, qui eum in horto comprehenderant: *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.* Qua potestate fultus tenebrarũ princeps, per omnes ministros suos in Dominum Iesum crudelissimè desæuijt. Iudæi sibi in primis traditum, in ea comprehensionis nocte grauissimis contumelijs affecerunt, & noctem ferè totam in eo illudendo consumpserunt. Pilato deinde oblatus, cùm ab eo ad Herodem mitteretur, ab Herode & exercitu in veste alba, vt amens delusus & spretus, iterũ Pilato traditus, ab ipso militibus traditur ad illudendũ, flagellãdum, conspuendum, spinis coronandũ, & demum crucifigẽdum. De hac in manus peccatorum à Patre traditione, & vt ita dicã de relictione per Prophetam multò ante conquestus est, cùm dixit: *Factus sum tãquam vas perditum.* Vas enim inutile, vetustũ, & nulli iam vsui aptum contemnitur ab omnibus, & derelinquitur. Sic etiam cœlestis Pater Christum filium suum in passione dereliquit, & quodammodò à se eiecit, ac si eum nihili duceret, & de eo minimè curaret. Deinde manus super eum imposuit, & graues quidem, quando, vt Isaias dixit, *posuit super eum iniquitates omnium nostrum.* De quibus vt in eo debitam sumeret vindictam, grauissimas iustitiæ manus imposuit: vnde tot opprobrijs atque exquisitissimis cruciatibus, & doloribus permisit torqueri, quousque plenissimè diuinæ iustitiæ pro peccatis totius mundi fuisset satisfactum. Cùm Iob in sterquilinio sedens, magnitudinem miseriarum suarum vellet amplificare, vt amicos ad commiserationem permoueret, dixit: *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Satis abundè ingentes quas patiebatur miserias expressisse coram amicis sibi Iob persuadebat, cùm diceret se à Domini manu tactum. Dixerat namque ipse superius, ad Dominum ipsum sermonem conuertens: *Duo tantum ne facias mihi, & tunc à facie tua non ab-*

Luc 22. Psalm. 30. Isa 53. Iob 19. Item c 13.

abſcondar: *Manum tuam longè fac à me, & formido tua non me terreat*. Per Domini manum omnia, quæ ſuper eum venerunt mala, voluit eſſe explicata. At quanto ſæuius Domini ac Dei Patris manus filium Ieſum in monte Caluariæ tetigit? Neque enim manum à vindicta peccatorum noſtrorum ab eo longè fecit, donec vltimum vitę ſpiritum emiſit. In ſterquilinio ſedebat Iob; Chriſtus verò in viliorem locum fuit proiectus, qui ſceleratorum neci erat deſtinatus, & eorum cadaueribus repletus. Iob vlceribus plenus, teſta ſaltem ſaniem radebat; at Chriſti Domini pluribus vulneribus ſaucij manus erant vinculis circumligatæ, ita vt neque ſaltem manu ipſa coagulatum ſanguinem ab oculis & ore poſſet abſtergere. Si dolores expendamus quos Chriſtus Ieſus pertulit omnes, non ſolum Iob, ſed & martyrum dolores excedunt. At ideo Deus Pater grauem ſuper eum iræ ſuæ manum impoſuit; quia in eo de cunctis hominum peccatis vindictam ſumere decreuerat. Ipſe ergò primus fuit, qui filium ad montem Caluariæ ad immolandum tradidit.

Et Mater.] Secundo loco Propheta Matrem poſuit, quaſi & illa filium ad configendum in cruce tradiderit, vt in ea holocauſtum fieret. Quare & ipſa quodammodo ſuper hanc hoſtiam manus impoſuit, quando diuinæ Patris voluntati ſe ſubdens, eundemmet filium ſuum vnigenitum intus in corde offerebat, & veluti à ſe dimiſſum, hominum peccata illi commendabat, vt ea ſuo ſanguine ac morte expiaret. Exponentes ſuperiore ſermone præceptum illud diuinum Abrahamo factum de filio Iſaac immolando; adnotauimus, ſanctum ſenem vxorem Saram omnia occultaſſe, maternum eius affectum iure & merito pertimeſcens. Huic verò ſanctiſſimæ Matri Deus Pater multo ante hanc filij immolationem prædixit: poſtquam ipſa Virgo & Mater filium infantem in templo præſentauit, ſacrificiumque pro peccato conſuetum obtulit, eumque pretiò à ſacerdoti-

doribus redemit, antequam domũ reuerteretur gaudẽs à Simeone sene audiuit: *Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur: & tuam ipsius animam pertransiuit gladius.*] Prædixit illi Simeon simul, & filij sui ab impijs Israëlitis contradictionem, qui vsque ad mortem illum sunt persecuti: & deinde, quo dolore ipsa tunc esset afficienda. Comparat autem dolorem illum gladio, qui in morte filij animam ipsius erat pertrãsiturus: quia sicut euenire solet, vt alius tam fortiter alium gladio seu hasta transfodiat, vt in alteram partem gladius egressus proximè astantem si non occidat, grauiter tamen vulneret: sic in morte Christi Domini Virgini Matri euenturum prædixit Simeon: quia eademmet passio, & acerbissima mors, quæ Domini corpus occidit, stantem iuxta ipsum Matrem dolore transfixit, & animam ipsius pertransiuit. Non caret mysterio verbum, *Pertransibit*; quasi per medium transibit: ille namque doloris gladius inter illas duas animæ partes, Sensitiuam & Rationalem medius stetit: quia etsi in Sensitiua parte ex naturali mentis affectu de virgenti filij cruciatibus ex crudeli morte vehementissimè doleret, & suprà quam dici vel percipi potest: rationalis tamen semper constans, firma, & diuinæ voluntati ita obediens perstitit vt ipsa proprium filium in animia offerret, & super eum manus ad immolandum imponeret.

Et genitores eius.] Qui sunt ij genitores Christi, nisi Iudæi, ex quibus ipse secundum carnem est ortus? Ita Paulus de illis, *Quorum Patres, ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia benedictus in sæcula. Amen.* Hi eum confixerunt, quando gentibus tradiderunt in loco Caluariæ crucifigendum. Postquam Iudæi Romanis fuerunt omnino subiecti, non illis erat permissum morti quempiam adiudicare, vt ipsi Pilato dixerunt: *Nobis non licet interficere quemquam.*] Quare Christum Dominum vinctum ad Pilatum adduxerunt, accusantes eum in multis, quæ minimè poterant probare. Sciens ve-

Rom. 9.

quod per inuidiam eum tradidissent, flagellis cæsum, spinis coronatum, chlamydeque coccinea indutum, ad eos foras produxit, vt eorum furorem mitigaret. At ij instantius vociferantes clamarunt, Tolle, Tolle, crucifige, crucifige eum. Et cùm Caluariæ locus crucis supplicio condemnatis esset destinatus, postulantes, vt crucifigeretur, etiam postulabant, vt ad Caluarium duceretur. Quam Iudaici populi postulationem expendens Diuus Augustinus, ait, Ille, (Pilatus scilicet) dixit in eum sententiam, & iussit eum crucifigi, & quasi ipse occidit: & vos ô Iudæi occidistis. Vnde occidistis? gladio linguæ: acuistis enim linguas vestras. Et quando percussistis, nisi quando clamastis, Crucifige, crucifige?] Verùm licet si Iudæorum animos attendamus, eos ira, furore, atque ardenti odio accensos innocentem agnum in crucem tollēdum clamoribus postulasse, minimè dubium sit; nescientes tamen huic diuino holocausto pro omnium peccatis offerendo inseruiebant, & manus super eum imponentes morti tradiderunt. Iniecerunt manus in Iesum in horto, & tenuerunt eum, non tamen vt eum secum haberent, sed vt eijcerent. Quando enim Pilatus eis dixit, *Regem vestrum crucifigam?* illi magnis vocibus responderunt: *Non habemus Regem, nisi Cæsarem.* Cùm etiā illis diceret, *Quem vultis vobis de duobus dimittam? Barrabā, an Iesum qui dicitur Christus?* Responderunt, *Tolle hunc, & dimitte nobis Barrabā.* Petierunt virū homicidam sibi donari, auctorem verò vitæ interfecerunt: elegerunt latronem oues mactantem & dispergentem; pastorem autem eas ad pascua ducentem, & pro eis morti se exponentem abiecerunt: populi perturbatorem postularunt; at suum ipsorum Messiam, pacis auctorem & principem, toties sibi promissum repulerunt. At non sine mysterio, inquit Chrysostomus, & Gentibus fuit traditus à Iudæis Christus, & in monte Caluariæ extra Ierusalem crucifixus. Id enim significabat, diuinum hoc holocaustum non pro peccatis tantum illius populi Iudaici, sed etiam pro totius mundi in cruce fo-

August. in Psalm. 63.

Chrysostom.

re immolandum. Deinde illi met Christum immaculatum esse agnum, & ob id idoneum, vt in holocaustum pro alienis peccatis possit immolari, palam confessi sunt, quando cùm acerrimè instarent coram Pilato, vt crucifigeretur, & ipse eius innocētiam notoriè manifestam declarans, dixit illis: *Quid enim mali fecit?* Ipsi nihil aliud responderunt, quam magnis vocibus clamantes: *Crucifige eum*: apertè in hoc confitentes, eum nihil mali commisisse, & tamen mori oportere, & in crucem tolli: quia nimirum per illud holocaustum hominum peccata expiari non poterant, si immaculatum, & purissimum non esset. Eiectus igitur in montem Caluariæ, & inter sceleratos cruci affixus, sceleratis & impijs spem misericordiæ & expirationis præbuit, sicut Hieronymus de loco Caluariæ dicit, vt vbi prius fuerat area damnatorum, ibi erigerentur vexilla martyrij.

Hieronym.

2. Secundo loco ab hostia in holocaustum immolanda corium extrahebatur: Licet verò Christo Domino pellis non fuerit detracta, aliquid tamen pertulit huic aliquo modo simile. Namque cùm in Caluarium esset educendus, exuerunt eum chlamyde, & induerunt eum vestimentis eius. Erant autem vestes imprimis tunica inconsutilis, & deinde desuper vestis alia lata ad talos vsque demissa. His indutus vestibus crucem portauit, & ad Caluariæ locum peruenit. Ibi illicò omnibus ijs vestimentis fuit exutus, vt cruci nudus figeretur. O ingens cruciatus & contumelia! Cruciatus, inquam, quia tunica corpori in tot partibus saucio adhæserat, quam crudeli vi absque vlla miseratione lictores extrahentes, multas simul pellis & carnis etiam particulas detraxerunt: Neque nos pertranseat, quantis doloribus sacratissimum caput vndique fuerit circumdatum, cùm etiam tertiò corona spinea sit ei imposita, namque vt inconsutili tunica in atrio Pilati iterum indueretur, & vt rursus eam in Caluario exueret, necesse erat coronam spineam extrahere: cùm verò reponeretur, noua & vul-

nera

nera,& dolores inferebat: Contumeliam autem non minorem perpessus est, cùm iterum in monte coram tanta populi multitudine denudatur : quod quàm graue sit, vnusquisq; mediocriter honestus secum reputet. At sic denudatum, & veluti excoriatum oportebat, vt holocaustum altare crucis ascenderet. Nudatur Iesus, inquit Bernardus. Quare? Vt tu corporis purissimi deformationem valeas intueri.] D. Augustin. huius opprobrij figuram in Noe ob vini temulentiam in domo sua denudato, & à filio Cham irriso præcessisse existimat. Christus namq; Dominus in domo sua, id est, in populo Iudæorũ, qui domus eius in sacris literis appellatur ; charitatis vino veluti ebrius, se denudari permisit; & ob id ab ipsis Iudęis filijs sceleratis & impijs, fuit irrisus, & infinitis propemodum cõtumelijs affectus. Diuus Ambrosius hinc vtilissimum documentum excerpit. Nudum, inquit, video. Talis ascendit, qui sæculum vincere parat, vt sæculi adiumenta non requirat.] Adam in Paradiso à Diabolo victus, folia ficulneæ ad se cooperiendum quæsiuit : at noster Dux Iesus, vt ipsiusmet Diaboli se victorem exhiberet, nudus crucem ascendit. Cum sanctus Iob vno & eodem die omnibus diuitijs spoliatum se videret, vt de Sathana perfectam victoriam reportaret, etiam vestimenta scidit, & abiecit, inquiens: *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc*. Quare cum Sathanas se à nudo victum Iob cerneret, in corpus potestatem à Domino requisiuit, vt vel saltem per propriæ carnis dolores ad impatientiam & maledictionem in Deum impelleret. At cùm & corpore & animo nudus esset, patientiam atque insuper innocentiam retinuit, & de Sathana triumphum egit. Nudus etiam Dominus Iesus de vtero sanctissimæ Virginis est egressus, & nudus primum in præsepium se deiecit; inde à Virgine matre brachijs & sinu susceptus : nudus etiam nunc ante eius oculos in monte Caluariæ stetit, nudus in durissimis crucis brachijs est collocatus, vt ibidem hostia fieret,

Bernard.
Aug. de ciu
Ambr. sup. Luc.
Iob 1.

qua peccatorum nostrorum nuditas eius innocentia & sanctitate cooperiri posset.

Tertio loco, hostiæ immolandæ interiora erant lauanda, vt simul cum carne cremarentur. Hoc aliquo modo fuit in hac Christi Domini immolatione adimpletum, quando ei propinatum fuit primò vinum myrrhatum, deinde vinum & acetum cum felle mixtum.

Tria namque potionum genera Christo in passione fuisse exhibita arbitratur Cardinalis Baronius. Duo priora antequam cruci affigeretur, eo temporis spatio, quo post denudationem lictores crucem præparabant, quando & in parua spelunca aliquantulum est demoratus, vbi nunc extat sacellum, quod à peregrinis visitatur. Ibidem Domino detento à pijs personis oblatum fuit vinum myrrhatum, iuxta Iudæorum consuetudinem. Salomonis enim consilium erat; *Date siceram mœrentibus & vinum his, qui amaro sunt animo, vt bibant & obliuiscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius.* Quare damnatis, licet vilissimis, perquam optimum vinum bibendum porrigebant, vt consolationem aliquam perciperent, vt & apud nos fieri solet. Vinum autem myrrhatum, ait Baronius, perquam iocundum, & gratum erat: Quod vinum myrrhatum, vt Marcus ait, dabant ei bibere, & non accepit, quia nimirum noluit vel minimam illam consolationem percipere, quæ quantulamcunque doloris vim imminueret. Deinde ab impijs & inimicis exhibitum fuit ei vinū, inquit Matthæus, cum felle mixtum. Et cùm gustasset, noluit bibere.] Gustauit quidem, vt fellis amaritudine in ore cruciaretur: noluit autem bibere, ne ex vini liquore aliquod refrigerium sumeret. Vel si, vt alij volunt, hæc omnia corporis sensus aliquo modo consopiebant, & ideo vltimo supplicio damnatis, ex misericordia propinabantur, quo tormentorum vim, & imminentem mortem minus attenderent: noluit Dominus eas potiones accipere, & bibere, vt dolorum, & mortis acerbitatem omnem plenè pateretur.

Card. Baron. Annal. to. 1.

Prouerb. vlt.

Marc. 15.

Ita degustauit, vt amaritudinem experiretur, non tamen vt inde aliquo modo passionis eius tormenta leniret. Vnde illud, quod Ieremias in se deflet, de Christo Domino in figura dictum fuit, & in eo adimpletum: *Factus sum in derisum omni populo, canticum eorum tota die. Repleuit me amaritudinibus, inebriauit me absynthio.*] Inimici namque ei illudentes, amarissimam potionem præbuerunt, & vino cum felle mixto veluti absynthio inebriare voluerunt: licet ipse solam amaritudinem degustasset. Amara vitis, inquit Hieronymus, amarum vinum facit, quo potant Dominum Iesum, vt impleatur quod scriptum est, dederunt in escam meam fel. Hilarius mysticam reddit causam, quare Dominus vinum cum felle mixtum, cùm degustasset noluerit tamen bibere. Ideo, inquit, oblatum vinum felle admixtum bibere recusauit: non enim æternę gloriæ incorruptioni, peccatorum amaritudo miscetur. Demum postquam cruci affixus est iam moriturus, sitiens felle & aceto voluit potari, & tunc accepit, vt interiora etiam amaritudine replerentur, & illo lauacro quodammodo lota in holocausto concremarentur.

Thren. 3.

Hieronymus

Hilarius.

Quarto, & vltimo loco vt holocaustum perficeretur, carnes super struem lignorum componebantur, vt igni consumerentur. Hoc tunc in Christo Domino fuit impletum, quando super crucem fuit extensus: præparata namque cruce & foraminibus in ea apertis, Dominum Iesum super ipsam extendentes, primo loco, vt multis placet, sinistram manum, quæ cordis est, præacuto, & triangulari clauo per medium perforantes ex ea parte multis ictibus ligno affixerunt; vbi cùm quàmplurimi sint nerui, & palma minus nimium delicata, & sensibilis, vehementissimo dolore ipsum Dominum affectum fuisse patet. Deinde dexteram funibus magna vi trahentes vsque ad designatum foraminis locum eam similiter trásfixerunt: pedes vltimo similiter distendentes, artus ferè omnes è locis suis commiserunt: quem cruciatum cæteros omnes Christi dolores superasse multi existimant.

mant. Quod ipse multo ante per os Dauid prænunciauit, inquiens: *Sicut aqua effusus sum, & dispersa sunt omnia ossa mea. Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea.* Sicut aqua se dicit effusum, vt magnā corporis extensionē declaret: ossa dicit dispersa, id est, dissoluta, & à proprijs locis disiūcta, ita vt numerari possēt. Effossas dicit manus, & pedes, vt magnitudinem vulnerum & clauorum aperturas explicet, ex quibus veluti è quatuor fontibus, quatuor flumina sanguinis emanare cœperunt ad irrigandam totam Ecclesiam in remissionem peccatorum largissimè defluentia.

Psalm. 21.

Ergò, Charissimi, Dominum Iesum hoc loco consideremus antequam in altum eleuetur: oculis namq; in cœlū defixis, capite versus oriētem posito, pedibus occidentem respicientibus, manibus ad meridiem & Aquilonem extensis, semetipsum, vt viuum holocaustum immaculatum Deo Patri ibidem pro totius mūdi salute offerebat. Potest aliquo modo ad Christum sic super crucis lignum extensum illud Isaiæ accommodari: *Et extendet manus suas sub eo* (plaustro scilicet) *sicut extendit natans ad natandum*, per plaustrum enim crux Domini alijs locis figuratur. Cùm igitur humanum genus in imò profundi demersum iaceret, quippe quia neque peccati maculam abstergere, neque delictis pœnas persoluere hominibus erat possibile, Christus Dominus in hoc amarissimum pelagus se immisit, & in hanc altitudinem maris venit, quando humanis miserijs condolens extensis manibus in cruce, sicut natans ad natandum, tot dolores sustinuit, vt à profundo peccati pelago homines liberaret. ô quali amoris affectu, ô quàm ardenti charitatis flamma accensum fuit benignissimi Iesu cor, quando super crucem veluti holocaustum super ligna compositum extensis oculis in cœlo defixis seipsum Patri offerebat.

Isa. 26.

Verùm, clementissime Pater, si tantum maternis doloribus deferendum in lege tua iudicasti, vt præciperes ne ouis mater eodem die cum fœtu suo tibi in lacte

Leuit 22.
Exod. 23. 34.
Deut. 14.

hostiam immolaretur: Itidem ter iussisti ne hœdus in lacte matris coqueretur, quia hæc omnia etiam simplici animalculo naturalem circa fœtus suos doloris sensum augere videretur: quomodo ô Pater pijssime peculiari prouidentia tua effectum est, vt hic innocẽs agnus in ipsissimet Virginis matris oculis tibi immolaretur, & eius lachrymis veluti lacte coqueretur? audiuit ipsa malleorum ictus, vidit clauos manus, ac pedes transfigentes: aspexit corpus delicatissimum, tot partibus vulneratum super nudum ac durum lignum extensum, caputq; spinis circumdatum super ipsum lignum non quidem ad quiescendum, sed ad spinas altius infigendas, doloresq; augendos impositum. Cæterum si ipsius Matris animum consideremus, eamq; dilectissimum filium super crucis lignũ veluti holocaustum extẽsum defixis oculis intuentẽ contemplemur, reperiemus sanè, quòd cùm illa euidentissimis signis intelligeret spontaneam illam suiipsius oblationem, quam de se eo temporis momẽto Iesus eius filius Deo Patri exhibebat, ipsa etiã simili voluntatis affectu in cœlum suspiciens eundem filiũ suum pro hominum salute eodem Patri offerebat: Quam sanctissimæ Virginis Matris pijssimã, & charitatis plenam voluntatem Deus Pater præcognoscens, eidem vt huic holocausto adesset, præcepit.

Offers igitur, ô Mater clementissima, hanc viuam & salutarem filij tui hostiam nunc super crucis lignũ collocatam, & in eius brachijs extensam, quousque tibi sit datum corpus eius exangue & exanime, proprijs brachijs sustinere, in sinu collocare, & lachrymis abstergere pijssimæ Matris officium exequendo. Tunc denuo immaculatum agnum pro hisce impijs, & sceleratis filijs, quos idem filius tibi commendauit, vt offeras humiliter deprecamur: quo per hosce tuos ingentes animi dolores, & ardentissimam charitatem huius sanctissimi holocausti virtute, peccatorum expiationem, gratiam diuinam atque æternam misericordiam consequamur. Amen.

DE EADEM Passione.

SERMO QVARTVS.

Vbi crucifixerunt eum, & cum eo alios duos, hinc, & hinc, medium autem Iesum. Ioann. cap 19.

VExilla regis prodeunt, fulget crucis mysterium, quo carne carnis conditor, suspensus est patibulo. Ecce eleuatum conspicimus altare, & holocaustum. Ecce erigitur contradictionis signum positum in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel. ecce lignum vitæ, iam vitæ fructu onustum in medio collocatur. Eruditisimus Lipsius dupliciter apud veteres crucifixionem peragi solitam ostendit, vel in iacente, vel in erecta cruce. quo verò modo Dominus sit crucifixus, sub dubio relinquit, cùm variæ sint sententiæ, & in vtramque partem probabiles. Ego eam vt probabiliorem sum secutus, quæ in iacente cruce Dominum fuisse confixum affirmat: expeditior namque mihi videtur ille crucifixionis modus, & ad cruciandum aptior: quia lictores maiori conatu cruci affixos valebant distendere, & si repugnarent, per vim cogere. Christum igitur Dominum licet minimè repugnantem, sed tanquam agnum mansuetum tacentem, & se ipsum potius tradentem, vt crudelius distenderetur (sicut superiori sermone diximus) super iacentem humi crucem clauis confixerunt: & sic clauis confixum, crucem foramini in petra prius aperto iungentes in altum erexerunt.

Iustus Lipsius.

Vt sanctisimæ crucis mysteria aliqua ex parte intelli-

telligamus, considerandа inprimis sunt illa Seruatoris nostri verba, *Ego cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum:* quibus magnam suæ crucis virtutem ad hominum voluntates charitatis vinculis ad se pertrahendas voluit (meo iudicio) satis superque declarare. Vt enim Diuus August. expendit, *omnia* dixit, & non *omnes*, quia quamplurimi hominum ad eum cognoscendum, & diligendum minimè erant venturi: eorum autem, qui trahendi erant, omnia trahit, animam scilicet, & corpus, & quicquid in eorum est potestate. Namque cùm verbum, *Traham*, voluntarium illum, & spontaneum amoris tractum indicet, quo sponsa se trahi ab sponso exposcit, cum dicit, *Trahe me post te*: Et de quo alibi dicit idem sanctus Augustinus: Trahitur animus & amore] cùm Dominus dicit, *Cùm exaltatus fuero à terra*, (id est, in crucem eleuatus) *omnia traham ad me ipsum*, perinde est ac si dicat: tantã hominibus charitatem exhibebo, talia amoris signa in cruce ostendam, tot eis ibi beneficia conferam, vt qui hæc omnia oculis fuerint contemplati, omnia se mihi debere existiment, omnem scilicet dilectionem, omnia desideria, omnes animæ, & corporis vires, & ideo omnia traham ad me ipsum, quia humanas voluntates, ex quibus omnia hominum bona dependent, ad me diligendum pertraham, & tepida hominum corda igne charitatis ita accendam, vt & vitam ipsam se mihi debere existiment. Hanc Christi Domini crucifixi vim, & efficaciam ad pertrahenda ad se omnia, Diuus Paulus apertissimè confitetur, quando dixit: *Charitas Christi vrget nos, æstimantes hoc, quoniam si vnus pro omnibus mortuus est, ergo & omnes mortui sunt: Et pro omnibus mortuus est Christus, vt & qui viuunt, iam non sibi viuant: sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit.*] Illa enim charitas immensa, quam Dominus Iesus in cruce moriens hominibus patefecit, vrget, & stimulis veluti agitat, & quandam amoris vim humanis cordibus infert, vt sicut ipse in cruce exaltatus, pro nobis vitam posuit, ita nos pro eius

Ioan. 12.
Augustinus.
Cant. 1.
2. Corinth. 5.

amore, atque pro voluntate eius exequenda ad vitam etiam ipsam profundendam obstrictos teneri arbitremur.

Cùm igitur hoc vehementissimo amoris vltimo signo liberas volūtates Christus Dominus ad se vellet attrahere, oportebat equidem vt euidentissimis argumentis omnibus innotesceret eum non humana vi coactum, aut inuitum mortem subire, sed voluntariè & liberè seipsum morti obtulisse. Quare, & ab
Isa. 53. Isaia prædictum fuit, *Oblatus est, quia ipse voluit.* Ob eandem causam mortem suam, & genus mortis, & locum discipulis ante prædixit, vt intelligerent, quod si vellet, eam posset euadere: ob id proditorem se cognoscere declarauit: eos, qui ad se comprehendendum venerant vno verbo, *Ego sum*, in terram post terga deiecit: Petrum gladio euaginato defendere conantem prohibuit, & percussam Malchi auricu-
Matth. 27. lam sanauit, illis vsus verbis, *An putas quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plus quàm duodecim legiones Angelorum?.*] Hoc apertius coram Pilato ostendit, quando dicenti, *Mihi non loqueris, nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te?* libera voce respondit: *Nō haberes potestatē aduersum me vllam, nisi tibi desuper datum fuisset.* Ille igitur qui omnia obiecta crimina omnesque contumelias tacendo perferebat, Pilato tale dedit responsum, ne vel illi, vel cuilibet alij videretur ei ad moriendum posse cogi, si ipse propria, & Patris voluntate se ipsum morti non exposuisset.

Ad hanc spontaneam moriendi voluntatem plenius ostendendam, non solum tempus, & locum, & ministros, sed etiam genus mortis ita elegit, vt nequaquam se aliter, quàm in cruce occidi permiserit. Herodes senior eum adhuc infantem inter ipsa Matris vbera, & brachia occidere adeo desiderauit, vt ob id solum tot innocentium infantium necem immanissimè perpetrauerit: quod periculum vt euaderet per angelum Ioseph sanctum in somnis ante præmonuit, vt in Ægyptum fugeret cum puero, & matre eius.

eius. In Nazareth fratres eius,(contribules scilicet) ad supercilium mōtis altissimi deducentes inde per prærupta deijcere molebantur. *Ipse vero transiens per medium illorum ibat*. Iudæi bis vno animo acceptis lapidibus eum lapidare decreuerant: sed minimè valuerunt. Primo namque verbis, & rationibus eos ita compescuit, vt lapides proijcerent è manibus; secundo vero abscondit se, & exiuit de eorum medio. Deinde instante iam hora passionis eius ad Patrem in horto Gethsemani humi prostratus orās ex vehementi acerbissimę mortis apprehensione factus in agonia sanguinem tam large desudauit, vt apertis vniuersi corporis poris in terram vsque decideret: vnde cum ex naturæ humanæ imbecillitate euenire posset, vt sanguis vsque ad vltimum spiritum deflueret. Apparens Angelus eum confortans, poros obstruxit, sanguinis impetum repressit, ne omnino ibi deficeret. Comprehensus in horto, & ad Pontifices ductus mirum est quāta per totam eam noctem pertulit ex quibus magis ac magis debilitatus sęuissime fuit flagellatus, & cum multi martyres in flagellationibus expirarint, poterat ea flagellatio mortem inducere, adiecta præcipue spinarum coronatione, nisi Dominus ipse vires sibi ad plura patienda conseruasset: Tot plagis vndique vulneratus, & spinis caput vndique pungentibus coronatus, graue crucis onus portauit, sed adeo debiliter, vt Iudęi, & milites timentes ne in via vltimum exhalaret spiritum, Simonem Cyrenęum angariauerunt, & illi crucem imposuerunt, quam post eum portans ad Caluarium peruenerunt. Quæ omnia ille ipse diuina sua prouidentia disposuit, vt viuus in Cruce figeretur, viuus in ea penderet quoad vltimum in ea spiritum amitteret. Hunc igitur Crucis mortem sibi elegit, hanc adamauit, huic se libentissime obtulit.

Huius autem electionis quamplurimæ à sanctis Patribus asignantur causæ: eam vero modo expendemus quam inter præcipuas collocandam

iudi-

iudicamus. Tale nimirum genus mortis eligere decreuit, in quo & summum opprobrium cum summo dolore iungeretur: quæ duo in crucis morte simul reperiebantur, & in eo gradu, vt difficile esset iudicare quidnam grauius, opprobriumne an cruciatus. Duo hæc, Contumelia, & Dolor adeò hominibus sunt odiosa, & molesta, vt qui alterum illorum patitur, se miserum, & infelicem arbitretur. Viri illi quos Dauid Rex misit ad consolandum Hanon Regem Ammonitarum de obitu patris sui, grauem sunt ab eo passi contumeliam absque vllo dolore, quando rasa est dimidia pars barbæ eorum, & vestes vsque ad medium sunt præcisæ, de quibus dicit Scriptura, quod Dauid iusserit eos in Iericho remanere, donec eorum barba cresceret: *Erant enim viri confusi turpiter valdè*. Quam illatam contumeliam sæuissimè Dauid in Ammonitas est vltus. Antiochus ille superbus à Deo insanabili plaga percussus, & doloribus vndique cruciatus, regnum, diuitias, & omnia quæ possederat bona posthabuit ob doloris magnitudinem, seque miserum coram amicis deflebat. At Christus Dominus in passione ac morte sua hæc simul perpeti voluit, ingentem scilicet contumeliam, & acerbissimum dolorem, quando crucis mortem elegit. Et si de contumelia sit sermo, nullum erat genus mortis in reos neci adiudicatos constitutum magis vile, aut infame, quàm crucifixio. Iudæi crucem abominabantur, quia in lege erat scriptum: Maledictus omnis qui pendet in ligno. Apud Romanos seruorum præcipuè erat supplicium: & si liberi in crucem dabantur viliores erant & nocentiores, vt latrones, sicarij, falsarij, seditiosi proditores cæterique infamium criminum patratores. Quare Diuus Paulus volens paucis amplificare, quantum Dominus Iesus pro nobis se abiecerit, *Humiliauit semetipsum*, inquit, *factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis*.] Et vt opprobrium esset grauius, in eodem loco voluit cruci affigi, in quo criminosi, & nefarij puniebantur: qui Caluariæ dicebatur, ab ossium, & capitum multitudine.

2. Reg. 10.

2. Machab. 9.

Phil. 3.

dine. Et insuper latronibus associatus atque vt corũ dux in medio collocatus. Verba ipsa dilecti Discipuli expendamus. *Vbi crucifixerunt eum, & cum eo alios duos: medium autem Iesum.* Quid ais ó Euangelista dilecte? *Cum eo alios duos*? Nonne pronomen, *Alios*, relatiuum est, & antecedentia refert? si ergo isti duo cum Domino crucifixi latrones fuerunt, cum alios dicis cum eo crucifixos, eum veluti latronem facis, cum inter latrones enumeras. At voluit sacer Euangelista magnitudinẽ ignominiæ declarare, qua Dominus Iesus affectus est quando supplicio latronum, & inter latrones mori voluit. Nimis certe se vnigenitus Dei filius homo factus humiliauerat, & abiecerat, quando in vilissimo stabuli loco nasci voluit, inter bruta animalia in præsepe iacere: at longe amplius se in morte abiecit in Caluariæ loco crucifixus. Namque præsepij locus ideo solum erat abiectus, & vilis, quia animalium erat receptaculum, viliq; stercore repletus: at Caluariæ locus crucisque supplicium erat vile & despectum ob scelerum, quæ ibi puniebantur, ignominiam, & infamiam. Si in præsepio iacuit in medio duorum animalium, ibi bos cognouit possessorem suum, & asinus præsepe Isa.1. Domini sui: at in cruce inter duos latrones collocatus, vnum pertulit blasphemantem. Si nudus in præsepio, loco vndique aperto, frigori fuit perstrictus, ibi pijssima mater, & pannis eum inuoluit, & in sinu posuit: at in cruce nudum mater aspiciens, & insuper vulneribus corpus apertum vndiq; & ventis expositum, non ei licuit aliquo modo cooperire. In præsepio angeli ei laudes canebant, & Orientis Reges eum humiliter adorauerunt: at in cruce & Sacerdotum Principes cum reliquo Iudæorum populo, & Romanos milites multis modis se blasphemantes audiuit. Cùm igitur in cruce inter iniquos sit deputatus, nulla ei maior contumelia poterat irrogari, quàm eum cruci inter latrones affigere. Exemplum etiam in hoc nobis præbere disposuit, ne timeamus ea quæ minimè sunt metuenda. Sunt enim homines, ait sanctus

Aug. lib. 83. quæst.

ctus Augustinus, qui quamuis mortem ipsam non timeant, genus tamen aliquod ipsius mortis horrescunt: Nihilominus autem, vt ipsa mors metuenda non est, ita etiam nullum genus mortis benè & rectè viuenti homini metuendum est. Nihilominus igitur hoc quoque illius hominis cruce ostendendum fuit. Nihil enim erat inter omnia genera mortis illo genere execrabilius, & formidolosius.] hæc Augustinus.

Huic summæ ignominiæ summus dolor fuit coniunctus: quia inter omnia suppliciorum genera, quæ nocentibus morti damnatis infligebantur crucis supplicium erat sæuissimum, quibus adde, quia cùm milites Romani à Iudæis incitati omnia in Christum Dominum summa crudelitate exercerent, plures & vehementiores in crucifixione dolores pertulit. Postquam enim in deiecta cruce clauis fuit confixus, & ad præparatum in petra foramen apposita crux, vt superius diximus, Dominum Iesum sic cruci affixum in altum eleuantes, subito, & magno impetu in foramen crucem immiserunt. Quo impulsu corpus in altum eleuatum, & clauis manus ac pedes perforantibus suffultum totum contremuit, & immensis fuit doloribus omni ex parte cruciatum: Neruorum & artuum compages denuo fuerunt dissolutæ; denuo aperta omnia vulnera, ex quibus sanguis magna abundantia defluxit. Nulla denique extitit sacratissimi corporis pars quæ grauissimis doloribus non torqueretur. Quos Isaias Spiritu sancto duce ante præuidens, & considerans Dominum in cruce pendentem, *Virum dolorum* appellauit, quia in omnibus sui corporis partibus, tam interioribus, quàm exterioribus fuit in cruce acerbissimè afflictus. Horrendis satis, & exquisitissimis supplicijs cruciata fuit illa sanctorum septem Machabæorum fraterna cohors: sæuissimis & ferè nunquam auditis tormentorum generibus tyranni sanctos Martyres affecerunt: at nullus eorum tot simul dolores per vniuersas cor-

Isaiæ 53.

po-

poris partes eſt perpeſſus, atque Chriſtus Dominus in cruce. Multi ſanè membratim, imò, & per ſingulos artus fuerunt interciſi: graue quidem ſupplicium, at non vniuerſa crucians, & inſuper pars præciſa iam dolore priuabatur. Chriſtus verò in cruce pendens in omnibus ſimul corporis partibus intimos dolores perſenſit. Caput, in quo ſunt neruorum principia, & à quo ſenſatio initium ſumit, ſpinis erat transfixum, vnde & dolor in omnes neruos diffundebatur: manus & pedes delicatiſsimis artubus, & neruis compaginatis erant clauis perforatæ: iuncturæ artuum per totum corpus concuſſæ, & à locis ſuis motæ; neque erat pars aliqua corporis, quæ peculiari aliquo dolore non torqueretur: & ideò nullam præcidi ſuſtinuit, vt in omnibus ſimul iunctis cruciaretur. Meritò igitur *Virum dolorum* Iſaias appellandum iudicauit, cùm in cruce pendentem præuidit. Vt enim Diuus Gregorius Papa, ſuccinctis licet verbis, horribile crucis ſupplicium explicans, dicit: In eo & mors prouocata repellitur, & repulſa reuocatur.] Namque ſi modum ſupplicij conſideremus, quamquam violentiſsimum, & mortem prouocans, eam tamen repellebat, quia per quatuor integras horas in eo Chriſtus Dominus perdurauit viuus, & latrones diutius viuerent, ſi eorum crura non frangerētur: ſi verò ad multitudinem & magnitudinem dolorum mentem conuertamus, mors quodammodo à vita repulſa, à doloribus reuocabatur: Quare poſſumus aliquo modo aſſerere, quod illa crucis vita neq; vita neque mors ſit nominanda, quia cruci affixus, & moriendo viuebat, & viuendo moriebatur. Cùm multa Pſal.17. ex Genebrardi ſententia ſoli Chriſto Domino conueniant, & in eius perſona etiam, iuxta D. Auguſtin. ſit conſcriptus, ipſius Chriſti in cruce pendentis erant verba illa, *Circumdederunt me dolores mortis*, id eſt, maximi, & quales in morte eſſe ſolent: quibus ſe circundari dicit, quia vndique doloribus maximis veluti funi-

Greg. Papa.

Genebrard.

Auguſtinus.

Pſalm.17.

funibus circumcinctus cruciabatur. Quare non mirandum cum Pilato, quia tam cito in cruce obijt, imò potius mirandum, quia non illico atque elatus est, vitam ob dolorum multitudinem, & vehementiam finiuit, & viuus per quatuor horas permansit.

Hoc igitur, Charissimi, fuit genus mortis ab vnigenito Dei filio Christo Iesu ab æterno sponte electum, & ab eo homine facto statim ab incarnationis instanti sponte acceptatum, vt nobis, & æternam gloriam,& vitam illam beatam omni dolore carentem promereretur: simulque doceret eandem nobis sequendam esse viam ad hanc gloriam & felicitatem adipiscendam. Verùm, ô Charissimi, quantum ab hac via aberramus! Christus Dominus opprobria non solum in vita pertulit, sed & infamissimum mortis genus quæsiuit; nos & in vita & in morte sæculi honores, & inanem mundi gloriam consectamur. Christus Dominus sanctissimum & innocentissimum corpus suum vsque ad crucis mortem omni ex parte doloribus attriuit: nos corpora nostra immunda, & ad omnem malitiam prona voluptatibus vndique, quoad possumus replemus Christus Dominus ad cruciandum sacratissimum caput, spineam adinuenit coronam: at humana nequitia tot quotidie ad exornanda capita adinuentiones inuestigat. Christus Dominus manus ferreis clauis transfixas habuit: at humana curiositas non annulis gemmatis solum, sed & odoriferis chirothecis lasciuas manus adornat. Pudeat igitur, pudeat ducem non sequi: pudeat sub spinato capite membra effici delicata. Quod si non pudet, timendum sanè id, quod idem
Luc. 6. Dominus comminatus est, *Væ qui nunc ridetis, quia flebitis.*]

Considerandum deinde est, quàm abundanter sanguis è toto corpore effluxerit eo tempore, quo Domini corpus simul cum cruce fuit elatum, & in foramen immissum: namque & à capite pluribus locis ab spinis ad cranium vsque percusso, & à vulneri-

neribus in flagellatione acceptis, & præcipuè à plagis in manibus ac pedibus apertis in magna quantitate sanguis emanare cœpit, & ad terram vsque decurrere. Hæc sunt quatuor illa Paradisi flumina ad irrigandam vniuersam terram profluentia. Hæc est illa probatica piscina non ad vnius tantum ægroti, ab angelo mota, sed ad omnium hominum infirmitates sanandas semper parata. Ita enim Dominus ipse de sanguine suo dixit; *Qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*] Quid verbum illud, *Effundetur*, significat, nisi abundantissimam sanguinis emissionem? cùm autem addit, Pro vobis, & pro multis, vniuersaliter omnibus salutis remedium expositum declarat. Quamplurimi atque sanctissimi Patres, & Ecclesiæ Doctores in ea sunt sententia, vt existiment ideo locum illum in quo Dominus fuit crucifixus, Caluariæ fuisse appellatum, quia ibi Adam fuit sepultus, & eius cranium inter cætera sceleratorum ossa humi iacuisse, atque super illud primò Christi Domini cruci affixi sanguinem decidisse, quia cum peccatorum caput, & primus parens extiterit, illi capiti erat primo remedium adhibendum. Quocirca cùm tam latè peccati virus in posteros diffunderetur, cui in Christi sanguine antidotum parabatur, ideo super illum montem, & ipsius primi peccatoris capite, atque aliorum quamplurimum peccatorum cadaueribus repletum, sanguis sacratissimus è toto Christi corpore abundantissimè fluere oportuit, & locum Caluariæ irrigare. Sanctus ac regius vates spiritu præuidens quod in illo monte Sion, licet paruo & sterili, erat templum Domino ædificandum, in quo & tabernaculum collocandum, & Deus summo cultu venerandus, & quamplurima sacrificia illi erant offerenda, eum ita laudat & extollit, vt nullus alius cum illo in fertilitate possit comparari: ita enim ait: *Mons coagulatus, mons pinguis, Vt quid suspicamini montes coagulatos? Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo.* Verùm si montem Caluariæ consideres, potiori quidem iure ad eum hæ

Matth. 26.

Psalm. 67.

laudes sunt conuertendæ. Modicus erat ille mons, sterilis & infamis, mortis domicilium, damnatorum habitatio, sceleratorum supplicium. At postquam Dominus ibidem cruci affixus, & in altum eleuatus, sanguinis pretiosissimi profluuio totum irrigauit, mons est pinguissimus, mons coagulatus, mons lacte & melle manans, hoc est, omnia diuina sacramenta producens, peccatorum remissionem, vitæ innocentiam, animarum sanctificationem, cœlestemque misericordiam proferens.

Liceat mihi nunc aliter, quàm alibi superius illud Canticorum expendere, & ad Christum Iesum cruci affixum accommodare: *Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani: columnas eius fecit argenteas: reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media charitate constrauit.* Et quisnam est iste Salomon pacificus, nisi Dominus Iesus crucifixus, qui per sanguinem crucis suæ pacificauit, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt? In quo & Deus erat mundum sibi reconcilians? Qui vt huius pacis, & reconciliationis oret sequester, & mediator, Ferculum fecit sibi, nimirum sanctam crucem, quam ipse sibi prius elegit, & præparauit, quàm à Iudæis ad illam postularetur, & à Pilato iudicaretur, & à militibus in ea figeretur: vt superius diximus. De lignis erat Libani, Cedris videlicet incorruptibilibus, quia licet non tota esset è Cedro compacta, erat tamen maiori ex parte. Namque si Diuo Bernardo, & alijs credamus, è quatuor lignorum speciebus Crux Dominica fuit confecta hoc ordine: Lignum oblongum, quę maior, & præcipua Crucis pars erat, è Cedro, transuersum ex Palma, lignum suppedaneum è Cupresso, titulus autem ex ligno Oliuæ, vt in ea parte quæ Romæ asseruatur, euidenter conspicitur. Cùm igitur omnes hæ lignorum species, & præcipuè Cedrus à putredine, & scabie non facilè consumantur, perseuerantem ac firmissimam Domini voluntatem in cruce morien-

Cant. 3.
Coloss. 1.
2. Corinth. 5.
Bernardus.

riendi declarant, quæ nullis potuit aut pœnis, aut blasphemijs labefactari. *Si filius Dei es* (vociferabantur Iudæi, & milites, & impius latro) *Descende de cruce.*] At ideo de cruce non descendet, inquiunt Ioannes Chrysostomus, & Bernardus, quia filius Dei est. Si enim ille solum qui perseuerauerit vsque ad finem saluus erit: quomodo fieri posset, vt Christus alios saluos faceret, si in cruce vsque in finem non perseuerasset? Quia verò vsque ad mortem, mortem autem crucis perseueranter perstitit, ideo in vltimo ferè spiritu constitutus dixit: *Consummatum est*: opus scilicet redemptionis humanæ perfectè est absolutum. Columnas verò argenteas ferculum sustinentes, ego clauos manus ac pedes cruci affigentes dico, qui sacri corporis pondus in cruce sustinebant: qui licet ferrei essent, argentei ideò dicuntur, quia per ea instrumenta sanguis redemptionis nostræ fuit effusus, de quo Diuus Petrus, *scientes quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, & incontaminati.*] Cùm deinde Isaias (prædicens commutationem bonorum antiquæ legis in potiora bona legis nouæ, quæ per Christum erant Ecclesiæ conferenda) dicat, pro ferro offerendum esse argentum, vt hæc potiora bona Christus Dominus ipsi Ecclesiæ promereretur, ferrumque in argentum commutaret, prius pro argento ferrum in manibus sustinuit: ideo enim Ecclesiæ sanctæ ferculum argenteis sacramentorum columnis fulcitur, quia Christi Domini corpus ferreis clauis in cruce fuit innixum, qui manus foderunt, vt inde hæ cœlestes diuitiæ extraherentur, & in terras diffunderentur. Idem se mihi offert considerandum in aureo reclinatorio: namque cùm spinis coronatum Dominum in cruce aspicio, quæ sacro capiti, cùm reclinabatur, non leuamen aut quie-

Chrysostom. Bernardus.

1. Petr 1.

Isaiæ 60.

tem præbebant, ſed dolores augebant, mihi certè perſuadeo eam coronam ſpineam reclinatorium aureum ob illam cauſam appellari, quia per eam Dominus electis ſuis eas aureas coronas acquirebat, quas D. Ioannes Euangeliſta vidit ſuper capita illorũ
Apoc.4. viginti quatuor ſeniorum poſitas. Aſcenſum purpureum illam ſanguinis effuſionem deſignat, quæ per crucem decurrens illum Caluariæ montem ſacrum reddidit, & in nouum paradiſum tranſtulit. Hunc ferculum crucis noſter Salomon media charitate conſtrauit, vel, vt alia habet litera, Medius reſidet ipſe amabilis: quamuis enim ibi non habeat ſpeciem, neque decorem, & quaſi abſconditus ſit vultus eius, ſi conſideres, inquit ſanctus Auguſtinus, miſericor-
Auguſtinus. diam qua factus eſt talis, & tibi pulcher eſt, & amabilis] Quanto namque pro me vilior, ait Bernardus, tanto mihi charior eſt.]

Quis igitur hæc conſiderans non libenter fateatur, quòd quando in monte Caluariæ Dominum Ieſum crucifixerunt, tunc denuò plantatam fuiſſe in mundo propriam illam vitæ arborem fructu vitæ onuſtam, quæ primo in terreſtri paradiſo fuerat collocata, cuius edendi copiam primi parentes peccando perdiderunt. Cùm autem, vt Diuus Paulus ait, *vbi a-*
Rom.5. *bundauit delictum, ſuperabundauit gratia*; hoc vitæ lignum non in medio illius terreni paradiſi clauditur, neque à Cherubin flammeoque & verſatili gladio cuſtoditur, ſed in medio orbis collocatur, & omnibus quamuis latronibus & ſceleratis, manus ad fructum vitæ deguſtandum licet extendere.

At notandum quod ex eo quia prima mulier Eua ad arborem vetitam manum extendit, & ea incitante primus homo Adam pomum illud deguſtauit, lignum vitæ omnes amiſimus, & eius fructu priuati ſumus. Aliam igitur mulierem ad Caluarium Dominus adduxit, Matrem videlicet ſuam, vt per eam huius nouæ arboris vitæ fructum participes efficeremur.


Hæc ſanctiſsima mulier ſimul atque lignum hoc

vitæ ſuo fructu onuſtum eleuatum vidit, iuxta illud ſtetit, & eius pulchritudinem in tanta deformitate conſiderans, videns quod bonum eſſet ad veſcendum, & pulchrum viſu, aſpectuque delectabile, ad eum colligendum manus cupiebat extendere, vt per eam omnes fructum vitæ communicarent: non tamen ei tunc licuit. Sed ô Mulier ſanctiſsima, & vera Eua, omnium viuentium Mater, citò dabitur tibi hunc vitæ fructum ex arbore depoſitum manibus accipere, brachijs amplecti, & licet non ſentientem, ſinu fouere. Tunc igitur illius nos participes eſſe concede, vt te mediatrice, per hanc vitæ arborem vitam & miſericordiam conſequamur, Amen.

DE EADEM Paſſione.

SERMO QVINTVS.

Scripſit autem & titulum Pilatus, & poſuit ſuper crucem. Erat autem ſcriptum, Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum. Ioan. 19.


CVm ſatis rationi ſit conſentaneum, vt eorum qui publica pœna plectuntur, cauſa, ob quam puniuntur, omnibus innoteſcat, ideo apud Romanos conſuetum erat damnatorum culpas vel præconis voce, vel titulis ſcriptis populo nunciare. Iuxta quam conſuetudinem iuſsit Pilatus titulum ſcribere, & ſuper crucem Domini collocare, in quo hæc verba erant exarata, *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum*, indicare volens ibi contineri cauſam ob quam eum cruci adiudicaſſet. Hunc titulum tribus illis linguis ſcribendum præcepit, quæ vniuerſaliores erant, ſcilicet, Hebraica, Græ-

ca, & Latina. Nec vacat mysterio in singularum scriptione seruatum fuisse modum scribendi linguæ Hebraicæ, nimirum à parte dextra ad sinistram, & singulas literas non atramento fuisse scriptas, sed stylo in oliuæ ligno exaratas. Cùm enim in sinistra cor resideat, admonemur sanè hunc titulum in cordibus fidei stylo fore exarandum, & eius mysteria ibidem impressa perpetuo conseruanda.

Si igitur Pilati mentem in hoc titulo super crucem figendo attendamus, nihil aliud voluit, quàm notum omnibus facere, eam fuisse causam cur ad crucis mortem Christum condemnauerit, quia Rex Iudæorum publicè fuerat acclamatus, Iudæos veluti irridens, qui eum de affectato regno accusassent, quẽ ipse in crucem agebat. Cùm verò ex illis verbis sic descriptis colligi videretur eum verè pro Rege habitum à Iudæis, iniquius hoc ferentes Seniores Iudæorum, & Sacerdotum Principes, Pilatum ipsum adierunt, postulantes ne simpliciter diceretur Rex Iudęorum, sed quia ipse dixisset Regem se esse Iudæorum, cùm tamen non esset. Huic petitioni Pilatus respondit non vt Cæsaris minister, sed Dei, atque non percipiens quæ dicebat, ea dixit, quæ diuinitus sibi fuerant, se nesciente, imperata. *Quod scripsi*, inquit, *scripsi*, firmum ac ratum esse quod scripserat, asseuerans. Quam Iudæorum postulationem & Pilati responsum multo ante fuisse prædicta in titulo Psalmi quinquagesimi sexti existimat Diuus Augustinus.

Augustin. in Psalm. 56. Titulus Psalmi talis est: *In finem ne disperdas*, (vel ne corrumpas, vt legit Augustinus) *Dauid in tituli inscriptione, cùm fugeret à facie Saul in spelunca.*] In primis igitur constans est Diui Augustini sententia, omnes illos Psalmos, in quorum titulis ponitur, In finem, ad Christum Dominum præcipuè pertinere, licet sub Dauidis persona multa in illis contineantur.

Rom. 10. Quia iuxta Diui Pauli dictum, *Finis legis Christus.* Deinde Dauid à Deo electus, vt Rex esset Iudæorum, qui durissimam persecutionem ob inuidiam pas-

passus est à Saul à Deo reprobato: in qua persecutio- 1.Reg.24.
ne contigit, vt Dauid quasi per miraculū manus Saul euaderet in spelunca delitescens: vbi dum consisteret eandem speluncam ingressus est Saul solus, quem Dauid facili negotio poterat occidere, & vt de inimico se inique persequente vindictam sumere, quod tamen noluit facere. Hoc Sauli innotuit, & neque tanto accepto beneficio à persecutione & odio destitit. Hæc autem sic in Dauid fuerunt expleta, vt etiam singulariter adumbrarent, quæ in Christo erant complenda, qui secundùm carnem fuit filius Dauid, & à Deo Patre electus vt esset Rex Iudæorum, atque Messias & Redemptor illi populo promissus. Ille tamen populus, cuius Saul typum gessit, ob eandem inuidiam, & in Christum odium à Deo reprobatus, eundem Christum Dominum totis viribus est persequutus etiam in spelunca absconditum: per quam, ait Diuus Augustinus, non solum carnis susceptio, in qua potestas diuina occultabatur, vt mori posset, intelligitur, sed & mors ipsa crucis, & sepulchrum, quod erat veluti spelunca in petra excissum, in qua corpus Domini fuit veluti absconditum vsque ad resurrectionem: Iudæi verò etiam post mortem, & in sepulchro absconditum persecuti sunt, cùm milites ad custodiam collocarunt. Vt verò intelligeretur illam Dauidis persecutionem per Saul hanc per Iudæorum populum adumbrasse, & in eius persona Psalmum præcipuè compositum fuisse, præfixus est Psalmo illi titulus, *Ne disperdas*, vel, *Ne corrumpas, in tituli inscriptione*. Non legimus, ait sanctus Augustinus, habuisse Dauid titulum aliquem, quem Saul disperdere voluerit, & cuius causa illum fuerit persequutus: at legimus in Euangelio, quod statim atque cruci fuit affixus ille titulus, *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum*, Iudæi illum corrumpere, & disperdere sunt conati, & tūc maiori odio in Dominum exarserunt, quando magis potentiam suam ac diuinitatem cruci affixus,

occultauit; quia puduit eos (sunt Augustini verba) habere Regem quem crucifigere potuerunt.] Hoc ardenti odio impulsi, Pilatum adierunt postulantes vt titulus corrumperetur. Verùm cùm diuinitus esset ante præceptum, *Ne corrumpas in tituli inscriptione*, respondit Pilatus, *Quod scripsi scripsi.* Quid mihi suggeritis falsitatem? ego non corrumpo veritatem. Veritas est æterna, & in æternum perdurabit, & nulla vi humana erit dispergenda, aut euacuanda. Quamuis enim noster Dauid in spelunca humanæ fragilitatis lateat, quãuis despectus sit in cruce, & videatur viuorum nouissimus, quamuis in spelunca sepulchri triduum occultetur: tamen semper fuit, est, & erit in æternum: *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum.* Vt namque
Heb.13. ait Diuus Paulus, *Christus Iesus heri & hodie, ipse & in sæcula.*] Diuina igitur dispositione titulus ille super caput ipsius Domini in cruce pendentis positus & diuina virtute effectum est, ne à Iudaici populi malitia lædi possit.

Vt autem diuina huius tituli mysteria perquiramus, notandum ex supradictis quod iuxta Romanorum consuetudinem titulus ille damnatorum crimina declarabat, vt omnibus innotesceret iure fuisse damnatos. Vnde, & cæteri Euangelistæ hunc titulum
Matth.27. causam eius appellant, *Imposuerunt*, ait Matthæus, *super caput eius causam ipsius scriptã.*] Quod cùm peculiari ordine ab ipso Deo potius quàm à Pilato sit effectum, tres diuinitus, & illæ quidem præcipuæ, explicatæ sunt causæ, ob quas vnigenitus filius Dei homo factus crucis supplicio fuit adiudicatus, quæ in hoc titulo continentur; eæ autem sunt, Quia erat Iesus, quia Nazarenus, quia Rex Iudæorum, quia Saluator, quia Floridus vel florens, quia Rex confitentium. Si igitur quæris causas cur Christus filius Dei voluntariam crucis mortem pertulit, super eandem crucem titulus impositus eas omnibus legentibus exponit, nimirum quia erat hominum Saluator; quia virtutum flores in exemplum nostrum producebat, quia omnium veram fidem confitentium à Deo Patre Rex erat constitutus. *Iesus,*]

Iesus.] Huius sanctissimi nominis etymologiam & rationem Angelus beato Ioseph declarauit, sic dicens: *Vocabis nobis eius Iesum: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum*. Cùm igitur ideò sit Iesus, id est, Saluator, quia venit in mundum peccatores saluos facere à peccatis, ob hanc causam oportuit in crucem exaltari, & in ea mortem subire. Hoc prædixit Isaias quando cernens in spiritu Christum Dominum in cruce pendentem, & vulneribus plenum admirans, ait: *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ?*] cui respondens ipse Dominus, causam reddens: *Ego qui loquor iustitiam, & propugnator sum ad saluandum.*] Perfecta namque à peccatis saluatio ex duobus potissimum constat, altera quidem est remissio culpæ, atque offensæ satisfactio: altera verò odium & execratio ipsius culpæ, quia in Deum fuit commissa, & animam ab eo separat. Hæc vt Christus Dominus hominum Saluator perfectissimè efficeret, in crucem ascendit, & carnem suam proprio sanguine vndique tinctam ostendit. Et primò quidē cùm culpę macula sit à Deo summo bono auersio, debetur ei pœna æterna iuxta diuinæ iustitiæ decretum æquissimum: non poterat autem illa macula aboleri seu remitti, & æqualis æternæ pœnæ satisfactio rependi, nisi per eum qui diuinam haberet virtutem, & in multitudine fortitudinis suæ graderetur (cùm nemo dimittat peccata, nisi solus Deus) cuius etiam merita infiniti essent valoris, & efficaciæ ad promerendam tum culpæ, tum etiam pœnæ remissionem. Verùm cùm iuxta diuinæ legis præceptum, vt ait Paulus, sine sanguinis effusione remissio fieri nequiret, decreuit misericordiarum Pater, vt Vnigenitus eius, in quem peccatum non cadit pro hominum peccatis sanguinem innocentissimum funderet, & crudelissimam crucis mortem pateretur, cuius pretio, & infinito valore salutem, & remissionem peccatores possent adipisci: atque ideo, & iustitiam contra seipsum loqueretur, & pro-

Isa. 63.

Heb. 9.

propugnator esset ad saluandum. Cùm igitur Christus Dominus hac lege à Patre præscripta Saluatoris nomen sibi impositum esse sciret, crucis supplicium subire non detrectauit, ibi summis est affectus tormentis, totum effudit sanguinem, vt homines huius remissionis, & abundantissimæ satisfactionis securos redderet. Quam præuidens in spiritu Dauid, cecinit: *Apud Dominum misericordia, & copiosa apud Deum redemptio.*] Cùm sancti Apostoli Petrus & Ioannes ad Principes Sacerdotum ducti interrogarentur in qua virtute, aut in quo nomine claudum ex natiuitate ambulare fecissent, Diuus Petrus Spiritu sancto repletus, dixit inter cætera: *Quia in nomine Domini Iesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis*: & deinde: *Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.*] Cùm ergò tanta hæc sanctissimi nominis Iesu virtus ad salutem hominibus conferendam per crucis mortem foret acquirenda, meritò prima illius mortis assignatur causa, quia erat Iesus Saluator. Hanc virtutem in hoc nomine inclusam ad peccatorum saluationem expendit Diuus Augustinus super illa Psalmi verba: *Deus in virtute tua saluum me fac, & in virtute tua iudica me.* ita inquiens: Quid ait? Si non me prius saluas in nomine tuo, quid timebo iudicantem in virtute, cuius salus præcessit in nomine?

Psalm. 129. Actor. 4. August. in Psalm. 66. Psalm. 53.

Deinde verò cùm perfecta animæ salus odium peccatorum, atque compunctionem prærequirat, non solum ad veniam, & remissionem consequendam, sed etiam ad eadem peccata deinceps euitanda: vt noster Iesus Saluatoris officio fungeretur, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis. Nihil enim maiori cum euidentia ante hominum oculos peccati malitiam proponit, neque quantum ea Deus omnipotens detestetur, magis ostendit, quàm Christi Domini crucifixio. Namque Deus Pa-

ter ideo proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quia poſuit ſuper eum peccata noſtra. Pro noſtris igitur peccatis vulneratus eſt, & attritus propter ſcelera noſtra. Quam grauia ergo ſunt peccata, pro quibus neceſſe fuit vnigenitum filium Dei vulnerari, & acerbiſsima Crucis morte plecti? quanto ſunt cuique noſtrum deteſtanda, & fugienda propria delicta, cum videat, quam Pater omnipotens vindictam de dilecto filio ſumpſerit ob aliena peccata, quia à peccatis ſaluare mundum venerat? Diuum Paulum audiamus: *Hoc ſcientes*, inquit, *quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, vt deſtruatur corpus peccati, vt vltra non ſeruiamus peccato.*] Veterem hominem appellat humanam naturam ab Adamo peccatore deductam, & propagatam, ærumnis ac miſerijs ſubiectam, in peccati pœnam, quam Verbum caro factum aſſumpſit, non quidem peccato infectam, ſed in ſimilitudinem carnis peccati. Corpus autem peccati à Diuo Paulo dicitur illa ad malum vehemens pronitas, quæ in membris noſtris dominatur, & ad peccata impellit. Eſt igitur Apoſtoli ſenſus, & mens: Quod cùm Chriſto Domino Cruci affixo ſimul etiam caro illa noſtra ex Adamo peccatore deſumpta, in cuius ſimilitudinem venit, cum illo fuit crucifixa, & hoc ideò, vt per illius crucis virtutem, & documenta deſtruatur, id eſt, coherceatur, & vincatur illa vis, & peccati ſtimulus, quibus ad peccandum excitamur, neque vltra peccato ſeruiamus, ſed illud potius deteſtemur, atq; tanquã à facie colubri fugiamus. Qui enim facit peccatum, ſeruus eſt peccati, & quamdiu ſub illius eſt ſeruitute, damna, & ingẽtia, in quæ incidit, mala non agnoſcit: ſi autẽ ſaluatoris noſtri beneficio ab hac ſeruitute fuerit liberatus, & in eum cruci affixum oculos coniecerit, ibi tanquam in ſpeculo lucidiſsimo peccatorum malitiã, & quàm ſint abominanda conſpiciet, & ſaluationis beneficium à ſaluatore hominum obtinebit

Rom. 6.

bit: qui primum ob eam causam ad crucis mortem fuit adiudicatus, quia Iesus erat, & saluatoris munus exactissimè perficiebat.

Nazarenus. *Nazarenus.*] Secunda se nobis offert causa mortis Domini Iesu, videlicet, quia erat Nazarenus. Hoc eius cognomen à Nazareth deriuatur: Nazareth autem flos interpretatur. Nazarenus igitur floridum, vel floribus plenum significat: hæ autem flores virtutes sunt, quas Christus Dominus, & verbis, & exemplis viuus, & moriens nos edocuit. Sæpè in Scriptura. Ipse Dominus Flos dicitur, vt patet in Isaia, *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.*] Et in Canticis: *Ego flos campi, & lilium conuallium.*] Ipse ergò qui est flos, id est, omnium virtutum exemplar, ad earum imitationem nos excitat, cùm dicit in ipso Canticorum Cãtico: *Fulcite me floribus.*] Et de eo dicitur quod inter lilia pascatur, atq; in hortũ descendat, vt flores & lilia colligat: quę omnia de virtutibus sunt intelligẽda, quas ipse Christus Dominus diligit, & nobis imitandas offert. Licet autem per totum vitæ suæ sanctissimæ spatium diuinarum virtutum nobis exempla & documenta dederit, cùm tamen crucis arborem ascendit, mirabiles virtutum flores non verbis tantum, sed & exemplis efficacissimis sparsit. Parum erat, inquit Diuus Augustinus, hortari martyres verbo, nisi firmaret exemplo.] quod vt præberet exemplum, crucem ascendit, & Nazarenus dici voluit. At, quid floribus cum spinis?

Isa. 11.] Cant. 2. Augustinus.

Si Nazarenus, quomodo spinis coronatus? Nazaræis in lege erat præceptum, ne nouacula super eorum capita transiret, ad cæsariem radendam. Si per caput Nazareni nostri nouacula non transiuit, pertransierunt impiè Iudæorum atque militum manus sacram cæsariem discerpentes, capillos magna vi euellentes: & si nouacula non ascendit, ascenderunt spinæ præacutæ caput multis locis transfigentes. Vbi ergò flores? Dico, quod inter spinas: imò, & dicere non dubito, quòd spinæ ipse sunt flores, & claui sunt flo-

Num. 6.

flores, & vulnera sunt flores, & cruciatus, atque opprobria sunt flores, inter quos Nazarenus pascitur, & ex quibus virtutum flores, mirum spargunt odorem. Eia igitur, Charissime, ad hos suauissimos flores colligendos etiam per spinas properemus: attamen quia innumeri sunt, quatuor præcipuos flores cum Diuo Bernardo colligamus: ij verò sunt, Viola, Lilium, Crocus, Rosa. Bern. libr. de passion.

Viola humilis in quantitate, quia modica, humilis in situ, quia iuxta terram, humilis in colore, quia obiectus. Nostri Nazareni humilitatem significat, & illam præcipuè quam in cruce ostendit, quàm Diuus Paulus quibus potuit verbis amplificare desiderans, ait: *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis*, quod mortis genus vilissimum, & infamissimũ erat, vt superiori sermone diximus. Vnde Isaias, quando ei brachium Domini fuit reuelatum (id est, Iesus Nazarenus in cruce pendẽs, fuit ostensus, salutẽ mundi in ea cruce per virtutem suam perficiẽs) dicit se præuidere eum *Despectum, & nouissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem, & quasi absconditus vultus eius, & despectus, vnde nec reputauimus eum.*] Ibi eum Principes Sacerdotum, & Iudæorum populus cum militibus despexerũt, & eius diuinam potentiam irridentes dicebant, *Vah qui destruis tẽplum Dei, & post triduum reædificas illud. Si filius Dei es, descende de cruce.*] & alia multa blasphemantes dicebant: quia humilis & abiectus, & veluti parua viola iuxta terram in oculis eorum apparebat. Hæc tamen humilis, & modica viola humilissimi Nazareni suauissimum, atque saluberrimum emittit humilitatis odorem ad currendum post se inuitans illis verbis, *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Viola. Phil. 3. Isa. 53.

Lilium, flos est candidus, à terra in recto trunco eleuatus, & viuacissimum habens odorem: fuit ab antiquis Lilium.

antiquis in magno pretio habitus. Purissimam significat castitatem, virtutem Nazareno nostro familiarissimam, eam quantum diligeret in Cruce satis declarauit, quando inter spinas caput pungentes, & clauos manus, atque pedes cruciantes, reliquosque acerbissimos Crucis dolores inter hæc etiam lilia pascebatur, cùm Matrem virginem, ac dilectum discipulum Virginem suauissimis verbis est allocutus. Huius candidissimi lilij, atque angelicæ virtutis perfectiones, & à Diuo Bernardo, & ab alijs sanctis Patribus pluribus sunt decantatæ, à quibus nobis modo est supersedendum. At illud tantum considerandum, quomodo hæc virtus, & acquiritur, & conseruatur, quod à Nazareno nostro perdiscemus, qui cruci affixus, & spinis coronatus nos admonet castitatis lilium inter spinas, & in cruce, & produci, & permanere. *Qui sunt Christi,* ait Paulus, *carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs:*] neque aliter potest huius lilij candor in sua puritate conseruari, & castitas custodiri, quam mortificationem Iesu in corporibus nostris circumferendo. Diuus Bernardus adolescens, vt hoc lilium custodiret, & ardentes concupiscentiæ spinas deprimeret, in vepres & spinas nudus se iniecit: Diuus Franciscus similiter impugnatus in niue volutabatur. Quotquot igitur purissimum hunc castitatis florem à Nazareno nostro cruci affixo volunt perdiscere, corpori non debent parcere, imò castigare, & in seruitutem redigere, atque cum Domino ipso per pœnalitates crucifigere.

Gal. 5.

Crocus, qui condiendis cibis inseruit, virtutem temperantiæ, seu abstinentiæ designat (ait Bernardus) quæ omnes superfluas delitias moderatur. Vnde Ambrosius ieiunium appellat cibi condimentum. Cùm etiam dicat Basilius, quod ieiunium Nazaræum sanctificat; in nostro Nazareno crucifixo temperantiæ seu abstinentiæ perfectissimum exemplar contemplemur, & inde florem hunc,

Bernardus. Ambrosius. Basilius.

hunc, ad vitæ condimentum colligamus. Propinatum ei fuit ante crucifixionem vinum myrrhatum, seu cum felle mistum ad consopiendos corporis sensus, ne nimis in morte torquerentur: at cùm gustasset, noluit bibere, vt & fellis amaritudine cruciaretur in gustu, & nullum interius leuamen dolorum perciperet. In Cruce deinde pendens, & iam morti proximus, ardentissimam quam patiebatur sitim, verbo expressit, sciens præparatum esse acetum cum felle: quam amarissimam potionem in spongia oblatam accepit, & vsque ad interiora amaritudo cruciando peruenit. Quis igitur hanc Nazareni nostri miram abstinentiam considerans non erubescat? quis tantam temperantiam expendens, immoderatis delitijs modum non imponat? ô diuinum huius croci condimentum, ad condiendam ieiunantium famem! ô quàm suauem reddit ciborum asperitatem fel illud, & acetum Nazareni nostri! Est in nostra Eremitarum sancti Augustini Religione Cœnobium apud ciuitatem Illicetanam constructum, quod quamplurimos peperit sanctissimos viros: in eo habitum assumpsit adolescens quidam nobilis, & delicatè nutritus. Qui in anno probationis constitutus magna afficiebatur molestia ob panis asperitatem, & ciborum vilitatem, quam ferre diutius non valens, clam è monasterio exiuit. Cum autem non adhuc longè abesset, & magnam mœstitiam in vultu præferret, obuiam illi factus est vir venerabilis, à quo benignè de causa mœstitiæ, & egressionis à monasterio interrogatus, eam exposuit. At ille pallium, quo erat coopertus, ex parte discooperiens latus apertum ostendit, & adolescenti ait, mitte manum tuam in latus meum, panem in eo intinge, & omnia amara tibi dulcia videbuntur: continuoque disparuit. Qua visione corroboratus, in monasterium redijt, vt probationis annum pro-

prosequeretur. Prior verò eum recepere renuit, & à se reiecit: qui per multos dies ad ianuam stetit manducans ex illis fragmentis panum, quæ supersunt, atque pauperibus elargiri solent, quoadusque iterum fuit admissus in monasterio vbi in summa vitæ austeritate vixit cœlesti passionis Christi pabulo recreatus, & ciborum asperitatem illo diuino croco condiens, vsque ad vitæ finem sanctissimè perseuerauit.

Rosa. Rosa. Flos rosa nobilissimus inter flores rubicundo colore propriè decoratur, & ideo nostri Nazareni charitatem exprimit sanguinem in passione rubicundam. Contendunt passio, & charitas (deuotissimus ait Bernardus) illa vt plus ardeat, ista vt plus rubeat. Sed mirabiliter per ardorem charitatis sit passio rubea, quia si non diligeret, non pateretur: & in passionis rubore maxima, & incomparabilis ostenditur charitas.] Septem igitur peculiares, & præcipuas sanguinis effusiones Nazareni nostri charitas adinuenit, vt hanc rosam rubicundissimam faceret, & omnem penitus sanguinē pro hominum salute exhauriret.

Bernardus.

1. Primò namq; in Circumcisione, quādo hęc diuina rosa adhuc intra matris vbera continebatur, per illas primas sanguinis guttas erūpentia folia tenerrima tenui quidē sed pulcherrimo rubore aspersit.

2. Secunda in horto quādo in eo carnis infirmę, & spiritus prōptu cōflictu factus in agonia sanguinem desudauit: qui à charitate inflammatus tanto impetu in terram decurrebat, vt si ab angelo confortante non sisteretur, ibi fortè corpus exangue spiritum vltimum

3. efflasset. Tertia, quando post comprehensionem vinculis ligatus in domo Principis Sacerdotum fuit nocte illa detentus: vbi, vt Bernardus existimat, illud Isaię vaticinium peculiariter fuit adimpletum, *Corpus meum dedit percutientibus, & genas meas vellentibus*:] quod tanta sæuitia ab illa vili, & impia turba fuit peractum, vt à crudeli genarum vellicatione sanguis erumperet, & faciem Nazareni rubicundam redderet.

Isa. 50.

4. Quarta, totum ferè corpus aspersit in flagellatione, & per innumera loca à tot flagellis aperta san-

sanguis defluens hanc candidissimam rosam rubicundam effecit. Quinta ex capite ab spinarum coronatione: nam singulæ spinæ caput transfigentes singulos sanguinis fontes aperuerunt, ex quibus sacri cruoris riuuli profluentes faciem roseo rubore resperserunt. Sexta in clauorum fixione, qui palmas manuum pedumque plantas, quo flagella non peruenerant, transuerberantes, quatuor sanguinis flumina produxerunt, qui montem illum Caluariæ, imò & vniuersum orbem irrigarunt. Septima, & vltima in lateris apertione, vnde sanguis & aqua cōtinuo exiuit, quia ardentissima illa Nazareni charitas etiam in emortuo corpore, frigidisque membris sanguinem illum, & aquam in pectore ebullire, & quodammodo efferuescere fecerat, vnde statim atque crudelis lancea portam aperuit in latere, magno impetu sacra illa vnda exiliuit. O rosa charitatis pulcherrima, rubicunda, & ardens, quæ dilectum Nazarenum nostrum ex candido rubicundo effecisti, trahe nos post te, & ad te. Curramus charissimi post odorem horum Nazareni nostri florum, eos à sancta cruce colligamus, & ex illis coronas conficientes, animas exornemus, vt Nazareno nostro similes, & grati efficiamur.

5.

7.

Rex Iudæorum.] Hæc fuit tertia causa damnationis Christi Domini ad supplicium crucis: quia nimirum ad hoc in mundum venerat, vt Rex esset Iudæorum, non quidem illorum tantum carnalium Iudæorum, quibus fuerat promissus, sed eorum omnium, qui per hoc nomen significabantur, quales sunt omnes ij, qui Iesum Nazarenum crucifixum corde & ore Regem suum confitentur. Diuus Augustinus expendens illas Israelitici populi acclamationes, in die, quo in Ierusalem fuit cum ramis receptus, quibus cum regem Israel tanta multitudo clamauit, quamobrem Sacerdotum, & Pharisæorum animi grauissimè cruciati sunt, inquit: Sed quid Domino, Regem esse Israel? Quid magnum fuit Regi sæculorum, Regem fieri hominum? Non enim Rex Israel Christus

August. in Ioan.

ad exigendum tributum, vel exercitum ferro armatum, hostesque visibiliter debellandos: Sed Rex Israel, quod mentes regat, quod in æternum consulat, quod in regnum cœlorum credentes, sperantes, amantes perducat.] Vt igitur hoc regnum sibi acquireret, crucem ascendit, & in ea sanguinem fudit: Cùm enim populus hic acquisitionis voluntariè, & liberè ad hoc regnum sit trahendus, ad has voluntates debellandas, & charitatis vinculis pertrahendas nullum efficacius medium potuit adhiberi, quàm crucis mors nostri Saluatoris, qui propter nimiam charitatem suam, qua nos dilexit, se ipsum ad crucis mortem obtulit. Hinc effectum est, vt Regis Iudæorum nomen, quod viuens respuit in cruce moriens, adeò est amplexus, vt Pontifices nulla vi illud à titulo delere potuerint. Quod si Regalem pompam desideras, ô anima, Regi nostro non defuit: namque spinea corona, aureæ, & gemmis ornatæ regiæ coronæ vicem subijt; pro purpura rubentia vulnera, pro sceptro claui manibus infixi, pro throno ipsa crux, pro faustis acclamationibus blasphemiæ, pro lautis epulis fel & acetum. Et licet ob hanc eandem pompam ab illo carnali Iudæorum populo fuerit contemptus, & derisus: Ipsis autem vocatis Iudæis, & gentilibus amabilis, & decorus apparuit, ita vt meritò cruci affixus, Rex Iudæorum dicatur.

Hunc ergò titulum multi legerunt Iudæorum.] Legerunt quidem, sed odio & malitia obcæcati minimè tituli mysteria intellexerunt. Legit etiam, non tantum semel, sed & multoties titulum illum sapientissima Virgo, cuius intellectum perfectè assecuta, licet facies adeò esset deformata, & à naturali specie liuore, sputis, & sanguine immutata, vt Matri etiam dubitandi ansam præberet, filium titulo indicante cognouit. Agnouit, inquam, suum esse Iesum totius mundi Saluatorem, cuius nomen ab angelo ante conceptionem didicerat: agnouit Nazarenum, quem in Nazareth conceperat, & nouem ferè mensibus in vtero portauerat, atque postea ex Ægypto re-

reuersum vsque ad trigesimum annum ibidem aluerat, vnde & Nazareni nomen acquisierat, virtutum eius flores significans: agnouit illum eundem Regem esse Iudæorum, licet à Iudæis in cruce derisum, qui à sanctis Magis ac Regibus in præsepio vt Iudæorum Rex fuit acclamatus, & vt Deus humiliter, & deuotè adoratus. Videns igitur sanctissima Virgo suum Iesum ex eo, quia Saluatoris nomen acceperat, in cruce totum sanguinem effundentem, ipsa vt salutis mediatrix decurrentem sanguinem quoad poterat colligebat, & pro eadem peccatorum salute Deo offerebat. Videns Nazarenum suum tot virtutibus in cruce florentem, ex illis quatuor coronas in animo faciebat, quibus & electorum animas decorandas fore sciebat. Videns Regem Iudæorum illo spinarum diademate coronatum, & clauos pro sceptro gestantem, eleuatis in ipsum oculis, & animæ oculis extensis crudelem coronam, & impium sceptrum extrahere summo affectu desiderabat. At prudentissima Virgo, flores non sunt colligendi, nisi in perfecto statu, quando aliquantulum inclinantur: Paululum ergò expectandum tibi erit ô Mater pijssima: & postquam aspexeris dilectum tuum capite inclinato vltimum emittere spiritum, tunc licebit tibi à sanctæ crucis arbore humillimam Violam humillimi tui Iesu, candidissimum Nazareni tui lilium, & condientem temperantiæ crocum, rosamque rubicundam charitatis regis Iudæorum manibus excerpere, & in sinu collocare. Regalia simul etiam insignia detrahes, coronam spineam, clauos, lanceam, atque spongiam felle & aceto, atque sanguine pariter plenam, cuius amaritudinem in ore filij tui osculando degustabis. Hi sunt Nazareni tui flores saluberrimi, & in peccatorum remedium præparati. Eia ergò clementissima hominũ mediatrix, qui istorum florũ odorem cœlos penetrãtem perfectè percepisti, illos Deo Patri pro nobis offerre ne dubites, vt per te à Iesu Saluatore salutem

ad exigendum tributum, vel exercitum ferro armatum, hostesque visibiliter debellandos: Sed Rex Israel, quod mentes regat, quod in æternum consulat, quod in regnum cœlorum credentes, sperantes, amantes perducat.] Vt igitur hoc regnum sibi acquireret, crucem ascendit, & in ea sanguinem fudit: Cùm enim populus hic acquisitionis voluntariè, & liberè ad hoc regnum sit trahendus, ad has voluntates debellandas, & charitatis vinculis pertrahendas nullum efficacius medium potuit adhiberi, quàm crucis mors nostri Saluatoris, qui propter nimiam charitatem suam, qua nos dilexit, se ipsum ad crucis mortem obtulit. Hinc effectum est, vt Regis Iudæorum nomen, quod viuens respuit in cruce moriens, adeò est amplexus, vt Pontifices nulla vi illud à titulo delere potuerint. Quod si Regalem pompam desideras, ô anima, Regi nostro non defuit: namque spinea corona, aureæ, & gemmis ornatæ regiæ coronæ vicem subijt; pro purpura rubentia vulnera, pro sceptro claui manibus infixi, pro throno ipsa crux, pro faustis acclamationibus blasphemiæ, pro lautis epulis fel & acetum. Et licet ob hanc eandem pompam ab illo carnali Iudæorum populo fuerit contemptus, & derisus: Ipsis autem vocatis Iudæis, & gentilibus amabilis, & decorus apparuit, ita vt meritò cruci affixus, Rex Iudæorum dicatur.

Hunc ergò titulum multi legerunt Iudæorum.] Legerunt quidem, sed odio & malitia obcæcati minimè tituli mysteria intellexerunt. Legit etiam, non tantum semel, sed & multoties titulum illum sapientissima Virgo, cuius intellectum perfectè assecuta, licet facies adeò esset deformata, & à naturali specie liuore, sputis, & sanguine immutata, vt Matri etiam dubitandi ansam præberet, filium titulo indicante cognouit. Agnouit, inquam, suum esse Iesum totius mundi Saluatorem, cuius nomen ab angelo ante conceptionem didicerat: agnouit Nazarenum, quem in Nazareth conceperat, & nouem ferè mensibus in vtero portauerat, atque postea ex Ægypto re-

reuersum vsque ad trigesimum annum ibidem a-
luerat, vnde & Nazareni nomen acquisierat, virtu-
tum eius flores significans: agnouit illum eundem
Regem esse Iudæorum, licet à Iudæis in cruce deri-
sum, qui à sanctis Magis ac Regibus in præsepio vt
Iudæorum Rex fuit acclamatus, & vt Deus humili-
ter, & deuotè adoratus. Videns igitur sanctissima
Virgo suum Iesum ex eo, quia Saluatoris nomen
acceperat, in cruce totum sanguinem effunden-
tem, ipsa vt salutis mediatrix decurrentem sangui-
nem quoad poterat colligebat, & pro eadem
peccatorum salute Deo offerebat. Videns Nazare-
num suum tot virtutibus in cruce florentem, ex illis
quatuor coronas in animo faciebat, quibus & ele-
ctorum animas decorandas fore sciebat. Videns Re-
gem Iudæorum illo spinarum diademate corona-
tum, & clauos pro sceptro gestantem, eleuatis in i-
psum oculis, & animæ oculis extensis crudelem co-
ronam, & impium sceptrum extrahere summo affe-
ctu desiderabat. At prudentissima Virgo, flores non
sunt colligendi, nisi in perfecto statu, quando ali-
quantulum inclinantur: Paululum ergò expectan-
dum tibi erit ô Mater pijssima: & postquam aspexe-
ris dilectum tuum capite inclinato vltimum emitte-
re spiritum, tunc licebit tibi à sanctæ crucis arbore
humillimam Violam humillimi tui Iesu, candidissi-
mum Nazareni tui lilium, & condientem temperan-
tiæ crocum, rosamque rubicundam charitatis regis
Iudæorum manibus excerpere, & in sinu collocare.
Regalia simul etiam insignia detrahes, coronam spi-
neam, clauos, lanceam, atque spongiam felle & ace-
to, atque sanguine pariter plenam, cuius amaritudi-
nem in ore filij tui osculando degustabis. Hi sunt
Nazareni tui flores saluberrimi, & in peccatorum re-
medium præparati. Eia ergò clementissima homi-
nũ mediatrix, qui istorum florũ odorem cœlos pene-
trãtem perfectè percepisti, illos Deo Patri pro nobis
offerre ne dubites, vt per te à Iesu Saluatore salutem

animæ, & à florente Nazareno virtutum flores assequamur, eumque toto corde, & ore confitentes, Regem Iudæorum adoremus, & gloriosum in cœlo glorificemus in æternum. Amen.

DE EADEM Passione.

SERMO SEXTVS.

Milites ergò cùm crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius (& fecerunt quatuor partes, vnicuiq; militi partem) & tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum, &c. vsq;. *Et milites quidem hæc fecerunt.* Ioan. cap. 19.

De hac vestium diuisione, deque sortium missione omnes sancti Euangelistæ specialem mentionem fecerunt, & ex illis Matthæus atque Ioannes expressam Dauidis prophetiam referunt. Quæ omnia non obscurè arguunt hanc vestium diuisionem inter ea maxima opprobria, quæ in Caluariæ monte perpessus est Dominus, posse numerari, & peculiari consideratione debere expendi. Quatuor autem tantum fuisse milites huius diuisionis auctores ex Euangelica narratione rectè colligit Diuus Augustinus, qui ij erant quibus præcipuè Dominus ad crucifigendum fuit traditus, quorum ex consuetudine, vt Cyrillus adnotauit, erant damnatorum vestes, quod nunc etiam pluribus in locis fit. De numero verò vestimentorum Christi Domini non constat inter omnes. Sententiam Euthymij probabiliorem existimo, qui tria fuisse

[Margin notes: Psalm. 21. — Augustinus. — Cyrillus. — Euthymius.]

fuisse vestimenta affirmat. Erat primum tunica inconsutilis corpori applicata ad modũ subuculę,& illa quidem non delicata, sed ex lana candida confecta, desuper contexta per totum: alterum, quo super hanc tunicam vestiebatur,eratq; vestis genus vndiq; clausum, & aliquantulum latius, ad talos vsque demissum: tertium erat exterius indumentum, quod chlamydem, seu pallium dicere possumus, ab humeris dependens. Hæ duæ vestes coloris erant violacei, siue cœrulei, vt apparet in illa particula sanctissimæ vestis, quæ in sacrario sanctarum reliquiarum huius conuentus sanctæ Mariæ de gratia Olysipponensi asseruatur. Duo hæc exteriora vestimenta per medium milites diuidentes quatuor effecerunt partes, quia cùm ex pauperioribus & vilioribus essent, vnusquisque ex illa vestis parte, quæ sibi obtigisset, aliam vestem confici posse arbitrabatur. Quamuis enim Christus Dominus pro nobis egenus factus sit, paupertatemque tantoperè dilexerit, non tamen concisas, aut nimium viles vestes deferebat, sed mediocres & ex communi atque consueto in illo populo panno confectas, vt communiorem vitæ modum sequens, omnes ad sui sequelam facilius pertraheret. Quia verò tunica inconsutilis, & per totum contexta, concisa retexeretur continuò, super eam integram sortem miserunt, & iuxta ipsum Dominum crucifixum, quem sedentes obseruabant, aleam iecerunt. Ideo autem ab Euangelista est additum, Et milites quidem hæc fecerunt, tum vt sciretur hoc non fuisse ab aliquo imperatum, sed à militibus illis vilibus peractum, qui lictorum munus obibant: tum vel maximè ad redarguẽdam hominum duritiam, & ingratitudinem, qui eodemmet tempore, quo Vnigenitus Dei homo factus, cruci affixus, immensis doloribus vndique circumdatus, de eorum salute cum Patre agebat, quando & elementa insensibilia, & lapides duri tot signa compassionis dederunt, homines ipsi, pro quibus tanta patiebatur, iuxta eandem crucem, & ante eius conspectum oculis & sensibus omni-

omnibus in iactum aleæ defixis sortem euenturam præstolabantur. Sed ô vtinam hæc impia ingratitudo, & animæ insensibilitas in solis illis militibus reperiretur, qui Christum Dominum non agnoscebant! At, proh dolor, quot vsq; hodie inter Christianos existunt, qui terrenis etiam vilissimis, & minimi momenti rebus affixi, & tota mente adhærentes, Redemptoris sui passionem minimè recordantur; neque ad Christum, qui ante eorum oculos proscriptus est, & crucifixus, mentis oculos conuertunt? Vos igitur, charissimi, quibus hodierna die sorte contigit, vt de hac diuisione vestium, & sortis missione sermonē audiatis, oro, & exhortor, vt attētis auribus deuotaq; mētis prōptitudine mysteria hic inclusa percipiatis.

Athanasius. Magnus ille, Athanasius suo de Passione Domini, atq, cruce tractatu de corona spinea agēs, simulq; considerans quot, & quàm inusitatis cruciatuum, & opprobriorum modis Dominus in passione volens fuerit afflictus, vt horum rationem explicet, ait, quod cùm Christus Dominus ex Patris decreto hominem susciperet liberandum, non satis esse duxit ea exequi, quæ sufficientem, ac debitam culparum satisfactionem præberent, sed insuper omnes humanas miserias, peccatorumque pœnas humano generi inflictas voluit experiri, vt earum rigorem deliniret, atque in meritorum materiam conuerteret. Iniecit, inquit Athanasius, scelestus ille (scilicet Dæmon) quanquam nolens, sollicitudines nostras super Dominum, non animaduertens futurum esse, vt earū gestatione Dominus omnes in securitatē assereret.] Ad persoluendum totius humani generis debitum, quodcumque Christi Domini opus meritorium sufficientissimum erat, cùm vnumquodq; infiniti meriti atq; valoris existeret: verùm cùm per easdē calamitates & miserias, quas diaboli inuidia per peccatū in mundum inuexit, eundem superandum fore deceret, eis omnibus (peccato excepto) se subdidit, & nobis miseris similis esse elegit. Hoc latissimè probat D.

Heb. 2. Paulus, *Decebat enim*, inquit, *eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxe-*

rat auctorem salutis eorũ per passionem cõsummari. Qui enim sanctificat, & qui sanctificatur ex vno oẽs (id est, eiusdem sunt naturæ, humanæ scilicet) *propter quam causam non confunditur fratres eos vocare dicens: Nunciabo nomẽ tuum fratribus meis. Et iterum: Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Deus: quia ergo pueri cõmunicauerunt carni & sanguini & ipse similiter participauit eisdem, vt per mortẽ destrueret eum qui habebat mortis imperium. id est, Diabolũ.*] Hęc ex Paulo, quibus probat filium Dei hominem factũ similem nobis fuisse, pasibilem scilicet, miserũ, mortalẽ. Per pueros nãq; tum Apostolos tum cæteros redemptionis participes intelligit, carnem autem, & sanguinem naturam humanam miserijs obnoxiã, & ærumnis circundatã, cui cõmunicauit Christus Dominus, vt mori posit: mori autẽ voluit, vt per eandẽ mortẽ atq; pœnalitates diabolũ destrueret, qui vt illarũ auctor, mortis habebat imperiũ. *Verè igitur lãguores nostros ipse tulit & dolores nostros ipse portauit*, & pro nobis dolet, oẽsq; calamitates voluit experiri, vt ad omnia perferẽda nobis in seipso & cõsolationẽ, & remediũ & exẽplum pberet. Isaiæ 53.

Hinc effectum est, vt in omnibus ijs rebus voluerit cruciari, quibus & diuina trãsgredimur pręcepta, Deumq; offendimus, & in quibus in hac vita sępe sæpius torquemur, atq; pro peccatis ipsis affligimur. Hæc aũt quatuor sunt pręcipuè, Anima, Corpus, Honor, Diuitiæ. Quod verò per hæc omnia in multis Dei ac Dñi nostri præcepta & monita contẽnamus, potest vnusquisq; secũ tacitus cogitare, & se in omnibus reũ agnoscet. Si enim animæ interiora fueris perscrutatus, eum inuenies superbia tumentem, vanitate inflatam, odio & inuidia tabescentem, inani vel lætitia vel tristitia affectam, totque alijs immoderatis pasionibus permotam, vt vix percipi aut intelligi queãt. *De corde*, inquit Dñs, *exeũt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, blasphemia: hæc sunt quæ coinquinant hominẽ.*] Si corpus quod corrũpitur aspiciamus, quid aliud esse reperiemus quã peccatorũ officinã? quod licet animã aggrauet, eiusq; bona veluti- Matth. 15.

inimicus persequatur, illud tamen fouemus, pro illius effrænatis voluptatibus laboramus, eius delitias per maria atque terras aeraque perquirimus. Quid de humano honore dicam? quoties ob hanc inanem hominum opinionem, & vulgi instabilem auram diuinam legem, & euangelicam, quam profitemur doctrinam, despicimus; in mutua odia atque crudeles vindictas exardescimus, Christum Dominum eiusque humilitatem atque mansuetudinem erubescentes, falsum hunc honorem consectamur. Si denique diuitias, atque temporalia bona inspiciamus, nonne illud Diui Pauli dictum verissimum experiemur: *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas.*] Ecquisnam est, qui post aurum non habeat, neque speret in pecuniæ thesauris? quisnam est hic, & laudabimus eum? Christus igitur Dominus, Redemptor & Saluator noster, qui verbis, exemplis, & meritis omnibus, infirmitatibus nostris medelam in se ipso præparabat, in omnibus supradictis rebus peculiariter voluit cruciari, vt cunctis nostris vulneribus sufficiens remedium adhiberet.

In primis igitur Christi sanctissima anima tristitia adeo fuit cruciata, vt nunquam eum risisse legamus, lachrymasse autem sæpius. Præsertim verò in passione vsque adeò fuit in omni consolatione in interiori parte destituta, vt discipulis dixerit in horto, Tristis est anima mea vsque ad mortem: quasi diceret, tam grauem esse animæ suæ tristitiam, vt mortem posset causare, si non impediretur diuinitus: quod & factum est per angelum qui eum confortauit, non quidem interiorem ei consolationem præbendo, sed vires corporis corroborando, vt tantam animæ tristitiam & angorem perferre valerent. De hac tristitia, & animæ cruciatu intelligit Diuus Augustinus illud Psalmi tanquam in persona Christi dictum: *Quoniam repleta est malis anima mea, & vi-*

Aug. in Psalm. 87.

ta

ta mea inferno appropinquauit.] Infernus autem hoc loco sepulturam significat, & pro morte accipitur. sed quænam sunt hæc mala, quibus anima sanctissima Iesu repleri potuit? Non vitijs, inquit sanctus Doctor, per quæ homini dominatur iniquitas, animam illam repletam possumus dicere; sed fortè doloribus, quibus anima suæ carni in eius passione compatitur: non enim vel ipse, qui dicitur corporis dolor, potest esse sine anima, quem ineuitabiliter imminentem præcedit mœstitia, quæ solius animæ dolor est. Dolere ergo anima etiam non dolēte corpore potest. Cur itaque non dicamus non hominis, sed tamen humanis malis repletam fuisse animam Christi? De quo alius Propheta dicit, quod pro nobis doluerit.] hucusque sunt verba sancti Augustini. Hos igitur dolores habuit Christi Domini anima comites vsque ad vltimum spiritum, qui ad præsentiam & experimentum cruciatuum, & opprobriorum magis ac magis augebantur tanto efficacius, quanto virtus apprehensiua illius nobilior, & viuacior erat. Ludibria omnia sibi illata cum omnibus circumstantijs personarum inferentium, & ingratitudinis expendebat, infamissimum mortis genus, & omnia denique, quæ mœstitiam afferunt, minutissimè cognoscebat. Vnde & in alio Psalmo in quo expresse de Passione Domini agitur, ipsum ad Patrem orantem in passione inducit Propheta, sic dicens: *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsq; ad animam meam.*] per aquas afflictiones intelligens, quæ vsque ad interiora animæ torquendo penetrarunt. Psalm. 68.

Deinde si corpus consideremus, tot ac tantis cruciatibus fuit repletum, vt nulla illius pars remanserit, quæ peculiarem & grauissimum dolorem non senserit: *Dedit enim corpus suum percutientibus,*] qui odio inueterato, & propria malitia atque crudelitate excitati in innocentissimum atque mansuetissimum agnum insurrexerunt, tormentisque tormenta addendo corpus illud delicatissimum immensis doloribus Isaiæ 50.

bus vndique repleuerunt, ita vt à planta pedis vsque ad verticem capitis non esset in eo sanitas. Caput ab spinis acerrimè, & multis in locis pungebatur: genæ ab alapis & vellicationibus tumescebant: veneranda cæsaries tum capitis, tum etiam barbæ magna ex parte erat euulsa: collum à fune quo trahebatur, corrosum: humeri ab onere crucis contusi, brachia ab inhumana vinculorum colligatione grauiter percussa: manuum atque pedum palmæ clauis transfixæ: corpus omne flagellis cæsum: nerui dissoluti: & ne interiora sine aliqua peculiari afflictione remanerent, dederunt in escam eius fel, & in siti aceto eum potauerunt. Cùm Sathan potestatem

Iob 2. à Deo super corpus Iob accepisset, percussit eum vlcere pessimo à planta pedis vsque ad verticem eius: qui testa saniem radebat sedens in sterquilinio. Quàm graues autem & acerbos dolores pateretur, indicant verba dolore plena, quæ ibi locutus est. At si vlceribus erat plenus, quæ dolorem efficiebant: sedebat tamen, licet in sterquilinio, & deinde manus erant liberæ, quibus testa saniem radebat, doloresque aliqua ex parte mitigabat. Verùm Christus Dominus erectus in cruce nullam habebat requiem, & quia manus erant affixæ non erat liberum coagulatum sanguinem vlcera pergrauantem amouere. Quare ipse verus Iob, qui dolens interpretatur, dici meritò potest, qui omnes corporis dolores absque vlla consolatione sustinuit.

Tertio in honore grauissimè fuit læsus: quamplurimas audiuit contumelias, verba iniuriosa, falsa crimina imposita, blasphemias, quæ, cùm numerari non possent, sanctus Lucas ita explicuit:

Luc. 22. *Et multa alia blasphemantes dicebant in eum.*] At non tantum verbis infamatorijs eius famam, & nomen omnino obscurare satagebant, sed & factis ipsis eum vt vilissimum despexerunt. In domo Caiphæ per illam partem noctis, quam vin-

ctus

ctus inter viliores seruos transegit, mitis est affectus contumelijs: nam post alapas, & sputa in faciem coniecta, *Viri qui tenebant illum illudebant ei cadentes, & velauerunt eum, & percutiebant faciem eius, & interrogauerunt eum dicentes, Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit.*] In domo Herodis tamquam amens, & stolidus per ludibrium albis vestibus fuit indutus, *spreuitq; illum Herodes cum omni exercitu suo.*] In atrio Pilati post diram flagellationem (quod supplicium seruis, & vilibus personis tantum inferebatur) conuocata militum cohorte spinis coronatus, chlamyde coccinea vilissima indutus, & arundine in manu posita fuit ab omnibus illusus, quia de affectato regio nomine à Iudæis accusabatur. Vltimo tandem ad infamissimum crucis supplicium fuit damnatus, & inter duos latrones tanquam eorum antesignanus collocatus. Et ideo de eo prophetauit Isaias, quia inter iniquos erat reputandus. Omnes hæ contumeliæ & opprobria animum eius summa molestia afficiebant, ita vt per Dauid antea conquestus dixerit, *Operuit confusio faciem meam.*] Et Hieremias de eo, *Dabat percutienti se maxillam, saturabitur opprobrijs.*] Cùm igitur Honor, qui virtutis est præmium, & rectè facta comitatur, inter licita hominum bona connumeretur, & melius nomen bonum, quàm diuitiæ multæ: non mirum si humanus animus naturaliter molestissimè ferat ea, quæ huiusmodi honorem lædunt absque vllo rectæ rationis nocumento. Quam naturalem afflictionem Christus Dominus perpeti non est dedignatus.

Luc. 23.

Psalm 68.

Thren. 3.

Reliquum erat vt in facultatibus pateretur. Verùm quasnam facultates habuit, qui dixit de seipso, *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet?* Diuus Paulus Apostolus vt paupertatem commendaret, dixit: *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.* Christus Do-

Matth. 8.

1. Tim. 6.

prosequeretur. Prior verò eum recepere renuit, & à se reiecit: qui per multos dies ad ianuam stetit manducans ex illis fragmentis panum, quæ supersunt, atque pauperibus elargiri solent, quoadusque iterum fuit admissus in monasterio vbi in summa vitæ austeritate vixit cœlesti passionis Christi pabulo recreatus, & ciborum asperitatem illo diuino croco condiens, vsque ad vitæ finem sanctissimè perseuerauit.

Rosa. Rosa. Flos rosa nobilissimus inter flores rubicundo colore propriè decoratur, & ideo nostri Nazareni charitatem exprimit sanguinem in passione rubicundam. Contendunt passio, & charitas (deuotissimus ait Bernardus) illa vt plus ardeat, ista vt plus rubeat. Sed mirabiliter per ardorem charitatis fit passio rubea, quia si non diligeret, non pateretur: & in passionis rubore maxima, & incomparabilis ostenditur charitas.] Septem igitur peculiares, & præcipuas sanguinis effusiones Nazareni nostri charitas adinuenit, vt hanc rosam rubicundissimam faceret, & omnem penitus sanguinē pro hominum salute exhauriret. Primò namq; in Circumcisione, quādo hęc diuina rosa adhuc intra matris vbera continebatur, per illas primas sanguinis guttas erūpentia folia tenerrima tenui quidē sed pulcherrimo rubore aspersit. Secunda in horto quādo in eo carnis infirmę, & spiritus prōptu cōflictu factus in agonia sanguinem desudauit: qui à charitate inflammatus tanto impetu in terram decurrebat, vt si ab angelo confortante non sisteretur, ibi fortè corpus exangue spiritum vltimum efflasset. Tertia, quando post comprehensionem vinculis ligatus in domo Principis Sacerdotum fuit nocte illa detentus: vbi, vt Bernardus existimat, illud Isaię vaticinium peculiariter fuit adimpletum, *Corpus meum dedit percutientibus, & genas meas vellentibus*:] quod tanta sæuitia ab illa vili, & impia turba fuit peractum, vt à crudeli genarum vellicatione sanguis erumperet, & faciem Nazareni rubicundam redderet. Quarta, totum ferè corpus aspersit in flagellatione, & per innumera loca à tot flagellis aperta san-

Margin notes: Bernardus. — 1. — 2. — 3. — Isa. 50. — 4.

ſanguis defluens hanc candidiſsimam roſam rubicundam effecit. Quinta ex capite ab ſpinarum coronatione: nam ſingulæ ſpinæ caput transfigentes ſingulos ſanguinis fontes aperuerunt, ex quibus ſacri cruoris riuuli profluentes faciem roſeo rubore reſperſerunt. Sexta in clauorum fixione, qui palmas manuum pedumque plantas, quo flagella non peruenerant, tranſuerberantes, quatuor ſanguinis flumina produxerunt, qui montem illum Caluariæ, imò & vniuerſum orbem irrigarunt. Septima, & vltima in lateris apertione, vnde ſanguis & aqua cõtinuo exiuit, quia ardentiſsima illa Nazareni charitas etiam in emortuo corpore, frigidiſque membris ſanguinem illum, & aquam in pectore ebullire, & quodammodo efferueſcere fecerat, vnde ſtatim atque crudelis lancea portam aperuit in latere, magno impetu ſacra illa vnda exiliuit. O roſa charitatis pulcherrima, rubicunda, & ardens, quæ dilectum Nazarenum noſtrum ex candido rubicundo effeciſti, trahe nos poſt te, & ad te. Curramus chariſſimi poſt odorem horum Nazareni noſtri florum, eos à ſancta cruce colligamus, & ex illis coronas conficientes, animas exornemus, vt Nazareno noſtro ſimiles, & grati efficiamur.

5.

7.

Rex Iudæorum.] Hæc fuit tertia cauſa damnationis Chriſti Domini ad ſupplicium crucis: quia nimirum ad hoc in mundum venerat, vt Rex eſſet Iudæorum, non quidem illorum tantum carnalium Iudæorum, quibus fuerat promiſſus, ſed eorum omnium, qui per hoc nomen ſignificabantur, quales ſunt omnes ij, qui Ieſum Nazarenum crucifixum corde & ore Regem ſuum confitentur. Diuus Auguſtinus expendens illas Iſraelitici populi acclamationes, in die, quo in Ieruſalem fuit cum ramis receptus, quibus cum regem Iſrael tanta multitudo clamauit, quamobrem Sacerdotum, & Phariſæorum animi grauiſſimè cruciati ſunt, inquit: Sed quid Domino, Regem eſſe Iſrael? Quid magnum fuit Regi ſæculorum, Regem fieri hominum? Non enim Rex Iſrael Chriſtus

August. in Ioan.

ad exigendum tributum, vel exercitum ferro armatum, hostesque visibiliter debellandos: Sed Rex Israel, quod mentes regat, quod in æternum consulat, quod in regnum cœlorum credentes, sperantes, amantes perducat.] Vt igitur hoc regnum sibi acquireret, crucem ascendit, & in ea sanguinem fudit: Cùm enim populus hic acquisitionis voluntariè, & liberè ad hoc regnum sit trahendus, ad has voluntates debellandas, & charitatis vinculis pertrahendas nullum efficacius medium potuit adhiberi, quàm crucis mors nostri Saluatoris, qui propter nimiam charitatem suam, qua nos dilexit, se ipsum ad crucis mortem obtulit. Hinc effectum est, vt Regis Iudæorum nomen, quod viuens respuit in cruce moriens, adeò est amplexus, vt Pontifices nulla vi illud à titulo delere potuerint. Quod si Regalem pompam desideras, ô anima, Regi nostro non defuit: namque spinea corona, aureæ, & gemmis ornatæ regiæ coronæ vicem subijt; pro purpura rubentia vulnera, pro sceptro claui manibus infixi, pro throno ipsa crux, pro faustis acclamationibus blasphemiæ, pro lautis epulis fel & acetum. Et licet ob hanc eandem pompam ab illo carnali Iudæorum populo fuerit contemptus, & derisus: Ipsis autem vocatis Iudæis, & gentilibus amabilis, & decorus apparuit, ita vt meritò cruci affixus, Rex Iudæorum dicatur.

Hunc ergò titulum multi legerunt Iudæorum.] Legerunt quidem, sed odio & malitia obcæcati minimè tituli mysteria intellexerunt. Legit etiam, non tantum semel, sed & multoties titulum illum sapientissima Virgo, cuius intellectum perfectè assecuta, licet facies adeò esset deformata, & à naturali specie liuore, sputis, & sanguine immutata, vt Matri etiam dubitandi ansam præberet, filium titulo indicante cognouit. Agnouit, inquam, suum esse Iesum totius mundi Saluatorem, cuius nomen ab angelo ante conceptionem didicerat: agnouit Nazarenum, quem in Nazareth conceperat, & nouem ferè mensibus in vtero portauerat, atque postea ex Ægypto re-

reuersum vsque ad trigesimum annum ibidem aluerat, vnde & Nazareni nomen acquisierat, virtutum eius flores significans: agnouit illum eundem Regem esse Iudæorum, licet à Iudæis in cruce derisum, qui à sanctis Magis ac Regibus in præsepio vt Iudæorum Rex fuit acclamatus, & vt Deus humiliter, & deuotè adoratus. Videns igitur sanctissima Virgo suum Iesum ex eo, quia Saluatoris nomen acceperat, in cruce totum sanguinem effundentem, ipsa vt salutis mediatrix decurrentem sanguinem quoad poterat colligebat, & pro eadem peccatorum salute Deo offerebat. Videns Nazarenum suum tot virtutibus in cruce florentem, ex illis quatuor coronas in animo faciebat, quibus & electorum animas decorandas fore sciebat. Videns Regem Iudæorum illo spinarum diademate coronatum, & clauos pro sceptro gestantem, eleuatis in ipsum oculis, & animæ oculis extensis crudelem coronam, & impium sceptrum extrahere summo affectu desiderabat. At prudentissima Virgo, flores non sunt colligendi, nisi in perfecto statu, quando aliquantulum inclinantur: Paululum ergò expectandum tibi erit ô Mater pijssima: & postquam aspexeris dilectum tuum capite inclinato vltimum emittere spiritum, tunc licebit tibi à sanctæ crucis arbore humillimam Violam humillimi tui Iesu, candidissimum Nazareni tui lilium, & condientem temperantiæ crocum, rosamque rubicundam charitatis regis Iudæorum manibus excerpere, & in sinu collocare. Regalia simul etiam insignia detrahes, coronam spineam, clauos, lanceam, atque spongiam felle & aceto, atque sanguine pariter plenam, cuius amaritudinem in ore filij tui osculando degustabis. Hi sunt Nazareni tui flores saluberrimi, & in peccatorum remedium præparati. Eia ergò clementissima hominũ mediatrix, qui istorum florũ odorem cœlos penetrãtem perfectè percepisti, illos Deo Patri pro nobis offerre ne dubites, vt per te à Iesu Saluatore salutem

animæ, & à florente Nazareno virtutum flores assequamur, eumque toto corde, & ore confitentes, Regem Iudæorum adoremus, & gloriosum in cœlo glorificemus in æternum. Amen.

DE EADEM Passione.

SERMO SEXTVS.

Milites ergò cùm crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius (& fecerunt quatuor partes, vnicuiq; militi partem) & tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum, &c. vsq;. Et milites quidem hæc fecerunt. Ioan. cap. 19.

DE hac vestium diuisione, deque sortium missione omnes sancti Euangelistæ specialem mentionem fecerunt, & ex illis Matthæus atque Ioannes expressam Dauidis prophetiam referunt. Quæ omnia non obscurè arguunt hanc vestium diuisionem inter ea maxima opprobria, quæ in Caluariæ monte perpessus est. Dominus, posse numerari, & peculiari consideratione debere expendi. Quatuor autem tantum fuisse milites huius diuisionis auctores ex Euangelica narratione rectè colligit Diuus Augustinus, qui ij erant quibus præcipuè Dominus ad crucifigendum fuit traditus, quorum ex consuetudine, vt Cyrillus adnotauit, erant damnatorum vestes, quod nunc etiam pluribus in locis fit. De numero verò vestimentorum Christi Domini non constat inter omnes. Sententiam Euthymij probabiliorem existimo, qui tria fuisse

[Margin notes: Psalm. 21. — Augustinus. — Cyrillus. — Euthymius.]

fuisse vestimenta affirmat. Erat primum tunica inconsutilis corpori applicata ad modũ subuculę,& illa quidem non delicata, sed ex lana candida confecta, desuper contexta per totum: alterum, quo super hanc tunicam vestiebatur,eratq; vestis genus vndiq; clausum, & aliquantulum latius, ad talos vsque demissum: tertium erat exterius indumentum, quod chlamydem, seu pallium dicere possumus, ab humeris dependens. Hæ duæ vestes coloris erant violacei, siue cœrulei, vt apparet in illa particula sanctissimæ vestis, quæ in sacrario sanctarum reliquiarum huius conuentus sanctæ Mariæ de gratia Olysipponensi asseruatur. Duo hæc exteriora vestimenta per medium milites diuidentes quatuor effecerunt partes, quia cùm ex pauperioribus & vilioribus essent, vnusquisque ex illa vestis parte, quæ sibi obtigisset, aliam vestem confici posse arbitrabatur. Quamuis enim Christus Dominus pro nobis egenus factus sit, paupertatemque tantoperè dilexerit, non tamen concisas, aut nimium viles vestes deferebat, sed mediocres & ex communi atque consueto in illo populo panno confectas, vt communiorem vitæ modum sequens, omnes ad sui sequelam facilius pertraheret. Quia verò tunica inconsutilis, & per totum contexta,concisa retexeretur continuò, super eam integram sortem miserunt, & iuxta ipsum Dominum crucifixum,quem sedentes obseruabant, aleam iecerunt.Ideo autem ab Euangelista est additum,Et milites quidem hæc fecerunt, tum vt sciretur hoc non fuisse ab aliquo imperatum, sed à militibus illis vilibus peractum,qui lictorum munus obibant: tum vel maximè ad redarguẽdam hominum duritiam, & ingratitudinem, qui eodemmet tempore, quo Vnigenitus Dei homo factus,cruci affixus,immensis doloribus vndique circumdatus, de eorum salute cum Patre agebat, quando & elementa insensibilia, & lapides duri tot signa compassionis dederunt, homines ipsi, pro quibus tanta patiebatur, iuxta eandem crucem, & ante eius conspectum oculis & sensibus omni-

omnibus in iactum aleæ defixis sortem euenturam præstolabantur. Sed ô vtinam hæc impia ingratitudo, & animæ insensibilitas in solis illis militibus reperiretur, qui Christum Dominum non agnoscebant! At, proh dolor, quot vsq; hodie inter Christianos existunt, qui terrenis etiam vilissimis, & minimi momenti rebus affixi, & tota mente adhærentes, Redemptoris sui passionem minimè recordantur; neque ad Christum, qui ante eorum oculos proscriptus est, & crucifixus, mentis oculos conuertunt? Vos igitur, charissimi, quibus hodierna die sorte contigit, vt de hac diuisione vestium, & sortis missione sermonē audiatis, oro, & exhortor, vt attētis auribus deuotaq; mētis prōptitudine mysteria hic inclusa percipiatis.

Athanasius. Magnus ille Athanasius suo de Passione Domini, atq, cruce tractatu de corona spinea agēs, simulq; considerans quot, & quàm inusitatis cruciatuum, & opprobriorum modis Dominus in passione volens fuerit afflictus, vt horum rationem explicet, ait, quod cùm Christus Dominus ex Patris decreto hominem susciperet liberandum, nōn satis esse duxit ea exequi, quæ sufficientem, ac debitam culparum satisfactionem præberent, sed insuper omnes humanas miserias, peccatorumque pœnas humano generi inflictas voluit experiri, vt earum rigorem deliniret, atque in meritorum materiam conuerteret. Iniecit, inquit Athanasius, scelestus ille (scilicet Dæmon) quanquam nolens, sollicitudines nostras super Dominum, non animaduertens futurum esse, vt earū gestatione Dominus omnes in securitatē assereret.] Ad persoluendum totius humani generis debitum, quodcumque Christi Domini opus meritorium sufficientissimum erat, cùm vnumquodq; infiniti meriti atq; valoris existeret: verùm cùm per easdē calamitates & miserias, quas diaboli inuidia per peccatū in mundum inuexit, eundem superandum fore deceret, eis omnibus (peccato excepto) se subdidit, & nobis miseris similis esse elegit. Hoc latissimè probat D. Paulus, *Decebat enim*, inquit, *eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxe-*

Heb. 2.

rat auctorem salutis eorū per passionem cōsummari. Qui enim sanctificat, & qui sanctificatur ex vno oēs (id est, eiusdem sunt naturæ humanæ scilicet) *propter quam causam non confunditur fratres eos vocare dicens: Nunciabo nomē tuum fratribus meis. Et iterum: Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Deus: quia ergo pueri cōmunicauerunt carni & sanguini & ipse similiter participauit eisdem, vt per mortē destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est, Diabolū.*] Hęc ex Paulo, quibus probat filium Dei hominem factū similem nobis fuisse, pasibilem scilicet, miserū, mortalē. Per pueros nāq; tum Apostolos tum cæteros redemptionis participes intelligit, carnem autem, & sanguinem naturam humanam miserijs obnoxiā, & ærumnis circundatā, cui cōmunicauit Christus Dominus, vt mori posit: mori autē voluit, vt per candē mortē atq; pœnalitates diabolū destrueret, qui vt illarū auctor, mortis habebat imperiū. *Verè igitur lāguores nostros ipse tulit & dolores nostros ipse portauit*, & pro nobis dolet oēsq; calamitates voluit experiri, vt ad omnia perferēda nobis in seipso & cōsolationē, & remediū & exēplum pberet. Isaiæ 53.

Hinc effectum est, vt in omnibus ijs rebus voluerit cruciari, quibus & diuina trāsgredimur pręcepta, Deumq; offendimus, & in quibus in hac vita sępe sæpius torquemur, atq; pro peccatis ipsis affligimur. Hæc aūt quatuor sunt pręcipuè, Anima, Corpus, Honor, Diuitiæ. Quod verò per hæc omnia in multis Dei ac Dñi nostri præcepta & monita contēnamus, potest vnusquisq; secū tacitus cogitare, & se in omnibus reū agnoscet. Si enim animæ interiora fueris perscrutatus, eum inuenies superbia tumentem, vanitate inflatam, odio & inuidia tabescentem, inani vel lætitia vel tristitia affectam, totque alijs immoderatis pasionibus permotam, vt vix percipi aut intelligi queāt. *De corde*, inquit Dñs, *exeūt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, blasphemiæ: hæc sunt quæ coinquinant hominē.*] Si corpus quod corrūpitur aspiciamus, quid aliud esse reperiemus quā peccatorū officinā? quod licet animā aggrauet, eiusq; bona veluti- Matth. 15.

inimicus persequatur, illud tamen fouemus, pro illius effrænatis voluptatibus laboramus, eius delitias per maria atque terras aeraque perquirimus. Quid de humano honore dicam? quoties ob hanc inanem hominum opinionem, & vulgi instabilem auram diuinam legem, & euangelicam, quam profitemur doctrinam, despicimus; in mutua odia atque crudeles vindictas exardescimus, Christum Dominum eiusque humilitatem atque mansuetudinem erubescentes, falsum hunc honorem consectamur. Si denique diuitias, atque temporalia bona inspiciamus, nonne illud Diui Pauli dictum verissimum experiemur: *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas.*] Ecquisnam est, qui post aurum non habeat, neque speret in pecuniæ thesauris? quisnam est hic, & laudabimus eum? Christus igitur Dominus, Redemptor & Saluator noster, qui verbis, exemplis, & meritis omnibus, infirmitatibus nostris medelam in se ipso præparabat, in omnibus supradictis rebus peculiariter voluit cruciari, vt cunctis nostris vulneribus sufficiens remedium adhiberet.

In primis igitur Christi sanctissima anima tristitia adeo fuit cruciata, vt nunquam eum risisse legamus, lachrymasse autem sæpius. Præsertim verò in passione vsque adeò fuit in omni consolatione in interiori parte destituta, vt discipulis dixerit in horto, Tristis est anima mea vsque ad mortem: quasi diceret, tam grauem esse animæ suæ tristitiam, vt mortem posset causare, si non impediretur diuinitus: quod & factum est per angelum qui eum confortauit, non quidem interiorem ei consolationem præbendo, sed vires corporis corroborando, vt tantam animæ tristitiam & angorem perferre valerent. De hac tristitia, & animæ cruciatu intelligit Diuus Augustinus illud Psalmi tanquam in persona Christi dictum: *Quoniam repleta est malis anima mea, & vi-*

August. in Psalm. 87.

ta mea inferno appropinquauit.] Infernus autem hoc loco sepulturam significat, & pro morte accipitur. sed quænam sunt hæc mala, quibus anima sanctissima Iesu repleri potuit? Non vitijs, inquit sanctus Doctor, per quæ homini dominatur iniquitas, animam illam repletam possumus dicere; sed fortè doloribus, quibus anima suæ carni in eius passione compatitur: non enim vel ipse, qui dicitur corporis dolor, potest esse sine anima, quem ineuitabiliter imminentem præcedit mœstitia, quæ solius animæ dolor est. Dolere ergo anima etiam non dolente corpore potest. Cur itaque non dicamus non hominis, sed tamen humanis malis repletam fuisse animam Christi? De quo alius Propheta dicit, quod pro nobis doluerit.] hucusque sunt verba sancti Augustini. Hos igitur dolores habuit Christi Domini anima comites vsque ad vltimum spiritum, qui ad præsentiam & experimentum cruciatuum, & opprobriorum magis ac magis augebantur tanto efficacius, quanto virtus apprehensiua illius nobilior, & viuacior erat. Ludibria omnia sibi illata cum omnibus circumstantijs personarum inferentium, & ingratitudinis expendebat, infamissimum mortis genus, & omnia denique, quæ mœstitiam afferunt, minutissimè cognoscebat. Vnde & in alio Psalmo in quo expresse de Passione Domini agitur, ipsum ad Patrem orantem in passione inducit Propheta, sic dicens: *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vsq; ad animam meam.*] per aquas afflictiones intelligens, quæ vsque ad interiora animæ torquendo penetrarunt. Psalm. 68.

Deinde si corpus consideremus, tot ac tantis cruciatibus fuit repletum, vt nulla illius pars remanserit, quæ peculiarem & grauissimum dolorem non senserit: *Dedit enim corpus suum percutientibus,*] qui Isaiæ 50. odio inueterato, & propria malitia atque crudelitate excitati in innocentissimum atque mansuetissimum agnum insurrexerunt, tormentisque tormenta addendo corpus illud delicatissimum immensis doloribus

ctus inter viliores seruos transegit, miris est affectus contumelijs: nam post alapas, & sputa in faciem coniecta, *Viri qui tenebant illum illudebant ei cadentes, & velauerunt eum, & percutiebant faciem eius, & interrogauerunt eum dicentes, Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit.*] In domo Herodis tamquam amens, & stolidus per ludibrium albis vestibus fuit indutus, *spreuitq; illum Herodes cum omni exercitu suo.*] In atrio Pilati post diram flagellationem (quod supplicium seruis, & vilibus personis tantum inferebatur) conuocata militum cohorte spinis coronatus, chlamyde coccinea vilissima indutus, & arundine in manu posita fuit ab omnibus illusus, quia de affectato regio nomine à Iudæis accusabatur. Vltimo tandem ad infamissimum crucis supplicium fuit damnatus, & inter duos latrones tanquam eorum antesignanus collocatus. Et ideo de eo prophetauit Isaias, quia inter iniquos erat reputandus. Omnes hæ contumeliæ & opprobria animum eius summa molestia afficiebant, ita vt per Dauid antea conquestus dixerit, *Operuit confusio faciem meam.*] Et Hieremias de eo, *Dabat percutienti se maxillam, saturabitur opprobrijs.*] Cùm igitur Honor, qui virtutis est præmium, & rectè facta comitatur, inter licita hominum bona connumeretur, & melius nomen bonum, quàm diuitiæ multæ: non mirum si humanus animus naturaliter molestissimè ferat ea, quæ huiusmodi honorem lædunt absque vllo rectæ rationis nocumento. Quam naturalem afflictionem Christus Dominus perpeti non est dedignatus.

Luc. 23.

Psalm. 68.
Thren. 3.

Reliquum erat vt in facultatibus pateretur. Verùm quasnam facultates habuit, qui dixit de seipso, *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos; filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet?* Diuus Paulus Apostolus vt paupertatem commendaret, dixit: *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus.* Christus Do-

Matth. 8.

1. Tim. 6.

Dominus neque propria habuit alimenta, ſed ex eleemoſynis ſibi à pijs perſonis impertitis ſe ſuoſque alebat. Vnde contigit aliquando vt diſcipuli eſurientes ſpicas vellerent, & manducarent, cùm aliter fami non poſſent ſuccurrere.
Luc. 6.
Sola igitur veſtimenta, quibus tegebatur, poſsidebat. His fuit ſpoliatus antequam crucifigeretur, & poſtquam in cruce fuit exaltatus, vt etiam ex hac tenui facultate peculiari aliquo dolore torqueretur, veſtes illæ iuxta crucem in eius conſpectu ſunt diuiſæ, & ſuper tunicam dilectam ſors emiſſa. Experientia liquet, quantum hæc humana natura noſtra dolorem percipiat ex iactura bonorum temporalium, & præcipuè rerum familiarium, quocumque modo eueniat: plus etiam cruciatur quando per lites iniuſtas, per fraudes, ſeu per violentiam extrahuntur ea quæ licitè poſsidebat. At tunc dolor eſt vehementior, quando ante vniuſcuiuſque oculos arcæ aperiuntur, ſcrinia conſtringuntur, & pecuniæ, vaſa aurea, & argentea, veſtes pretioſæ, cæteraque bona violenter diripiuntur. Sed ſi contingat, vt in vltima vitæ periodo quis conſtitutus, & in vltimo mortis agone vndique afflictus, videat eos qui adſunt hinc lectuli operimenta detrahentes, inde veſtes proprias rapientes, & ſe viuum adhuc nudum, & ſpoliatum relinqui, grauiſsimo & intolerabili dolore naturaliter cruciari non eſt dubium. Hunc dolorem, hanc afflictionem, hoc opprobrium pati pro nobis voluit Chriſtus Dominus, quando in cruce pendens, ſe ipſum nudum aſpexit, veſtes autẽ à vilibus hominibus in partes diuiſas, & ſortibus expoſitas.
Iob 22.
Eliphaz vnus ex amicis Iob (qui eius animum ignorãtes quærimonias illius, & virtutum commemorationem prauè interpretantes, eius ærumnas obiurgationibus imperitis grauiores effecerunt) eum coarguens crudelitatis, & inhumanitatis vitia ei improperat, dicens: *Abſtuliſti pignus fratrum tuorum, & nudos ſpoliaſti veſtibus.*] Nudos eos appellat, qui tam attritis atque tenuibus veſtibus erãt induti, quod ferè nudi viderẽtur, alioquin inepta

eſſet

esset locutio, Nudos vestibus spoliasse, qui, si erant nudi, quibus spoliarentur, non haberent. At vt inhumanitatem Iob amplificet, his vtitur verbis, & loquendi modo. Hoc tamen re ipsa Dominus Iesus à militibus est passus: cùm namque iam nudus in cruce penderet, vestibus fuit spoliatus omnino, cùm eos milites diuiserunt in partes, & super tunicam sortem miserunt.

Nulli dubium esse potest graui fuisse dolore percussum Iosephi adolescentis animum, quando à fratribus tunica polymita talari à Patre Iacob in singularis amoris indicium data fuit, inhumaniter exutus, & ferè nudus in cisternam veterem missus, ipsismet fratribus post factum iuxtà cum lætitia ad manducandum sedentibus. Quis hæc considerans, non intelligat, præfiguratum manifestè in hoc facto extitisse hunc Christi Domini dolorem, & opprobrium? Milites namque cùm crucifixissent eum, ait Euangelista, acceperunt vestimenta eius, &c. & iuxta crucem in partes quatuor concisas diuiserunt inter se, & illudentes, nihilique ducentes illum hominem crucifixum, sortem in eius tunicam dilectam immiserunt. Gen 27.

Et fecerunt quatuor partes, vnicuiq; militi partem, & tunicam.] Hoc ego ita intelligendum existimo, quod post diuisionem illam in quatuor partes, vnusquisque partem suam accepit, super solam autem tunicam inconsutilem sortem miserunt, de qua nimirum dixerunt inuicem: *Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius sit.*] Hic se offert considerandum quod Christus Dominus vestibus proprijs exutus, eosdem milites, qui eum crucifixerunt, quia pauperes, & egeni erant, ijsdemmet vestibus induit. O incomprehensibilis Redemptoris nostri charitas, ô ineffabilis misericordia, ô immensa liberalitas! seipsum exinaniuit, vt nos bonis impleret, se spoliauit, vt nos cooperiret, se inopem fecit, vt nos diuites faceret. Corinthios exhortans Diuus Paulus, vt in pauperes Ierosolymis habitantes liberales existerent, Matth. 27.

Chri-

Christum Dominum in exemplum adducit per hæc verba: *Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam pro vobis egenus factus est, cùm esset diues, vt illius inopia vos diuites essetis.*] Et quid mirum, si vestes militibus illis pauperibus dedit, pro quibus sanguinem effundebat, & vitam in cruce offerebat? D. Bernardus ostendit quatuor præcipuè virtutibus ornatũ & vestitum veluti fuisse Adam ante peccatum, qua de causa se nudum esse non sentiebat. Has virtutes quia peccando perdidit, nudus remansit, & nuditatem erubuit. Hoc in parabola illius hominis, qui descendens ab Ierusalem in Iericho in latrones incidit, à Christo Domino fuit significatum, quem latrones primum despoliauerunt, nudumque & grauiter vulneratum reliquerunt. Nec verò (inquit Bernardus) poterat reuestiri vel ablata sibi recipere vestimenta, nisi Christus amitteret sua. Sicut enim animæ vita non aliter nisi per eius mortem recuperanda erat, ita nec reuestire sine eius dispoliatione. Vt igitur & paupertatem nostram ditaret, & nuditatem cooperiret, propria diuisit ex cruce vestimenta. Quare hanc vestium diuisionem in quatuor partes multorum mysteriorum esse symbolum, docent sancti Patres; ex quibus vnum cum Diuo Augustino expendemus præsenti considerationi inseruiens. Vestimenta ipsius, ait sanctus Doctor, Sacramenta illius sunt, quæ vim & sanctificationem à Christi sanguine in cruce effuso acceperunt. Hęc autem sacramenta in quatuor partes diuiduntur, quia ad omnes gentes per quatuor orbis partes diuisas peruenerunt, & eis fuerunt oblata quando Christi fides fuit per orbem prædicata. At quia non sufficit tantum sacramentorum communicatio sine charitate, tunicam illam inconsutilem diuidi non permisit, sed integram conseruauit. Non enim ad salutem consequendã sufficit sacramẽtorum participatio, si simul charitas nõ adsit, quę nos Christo cõiũgat. Quare vnicuiq; parti debet iungi tunica, hę nãq; sunt vestes à Christo Iesu donatę fidelib⁹ suis, sc. fides & charitas;

1. Corinth. 8.

Bernard. ser. 1. de Annunc.

Luc. 10.

Augustin. in Psalm. 21.

ritas: hæ sunt quæ nostram cooperiũt nuditatem. Ad Christum ergo cruci affixum illa de muliere forti & prudenti verba possumus accommodare: *Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem* (manus habet clauis apertas in cruce, & palmas satis extensas) *non timebit domui suæ à frigoribus niuis: omnes enim domestici eius vestiti sunt duplicibus.*] Non vnica tantum fidei veste quæ sola frigus non expellit, sed insuper nuptiali illa & interiori tunica charitatis desuper contexta (diffusa, inquam, in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis) quæ fidem viuificat, calorem animæ accendit, & integra semper in diuisione vestium manet. Prou. 30.

Erat autem tunica inconsutilis, &c.] Omnes sancti Patres, & Ecclesiæ Doctores vnanimi consensu per hanc indiuisam, & inconsutilem tunicam, fidelium cum Christo Domino capite nostro vnitatem designari asseuerant: quam quidem vnionem per ipsius Domini mortem esse perficiendam Ioannes Euangelista explicans illud Caiphæ consilium: *Quia expedit vt vnus moriatur homo pro populo & non tota gens pereat, Prophetauit*, ait sanctus Ioannes, quia *Christus moriturus erat pro gente: & non tantum pro gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum.*] Hoc idem confirmant verba illa ipsiusmet Christi Domini in ea oratione, quam in fine cœnæ ad Patrẽ habuit, *Et pro eis*, inquit, *sanctifico meipsum* (id est, ad mortem offero) *vt sint ipsi sanctificati in meipsum. Nõ pro eis autẽ rogo tantum, sed & pro eis qui credituri sunt per verbũ eorũ in me: vt oẽs vnũ sint, sicut tu pater eorũ in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnũ sint.*] Vnũ quidẽ non per substantiæ vnitatẽ, sed per intimã charitatis vnionẽ, per quã efficimur diuinæ naturæ cõsortes. Hũc esse potissimũ effectũ Dominicæ passionis præfiguratũ fuit ex D. Gregorij sentẽtia in illo legali ritu, quãdo de turturibus, siue columbarũ pullis erat oblatio. In ea enim oblatione caput auis à corpore nõ separabatur, sed retorto ad collũ capite, ac rupto vulneris loco sanguis super crepidinẽ altaris erat effundendendum- Ioan. 18. C. 17. Gregorius Leu. 5.

dendus. Quia videlicet, ait Gregorius, mediator Dei, & hominum, id est, caput omnium nostrum, & verè mūdationis hostia, vnde pro nobis mortem pertulit, inde nobis verius inhæsit. Post sectionem ergò caput turturis suo corpori inhæret, quia Christum ab Ecclesia neque mors interueniens diuidit.] Quamobrem deteriores militibus Dominum crucifigentibus sunt Ecclesiæ hostes, qui se ab eius capite segregarunt: illi namque dilectam hanc Domini tunicam scindere pertimuerunt: at hi, proh dolor, totis viribus eam proscindere conantur. At, ô miseri, & à proprio spiritu obcæcati, vos ipsos conspicite: namque perspicuè videbitis, quòd simul atque hanc inconsutilem tunicam disrumpere conati estis (licet minimè valeatis) vos ipsos dissipastis, antiquam fidem in varios errores diuisistis, neque inter vos aliquid est constans, firmum aut solidum, quia à Sanctæ, & Apostolicæ Ecclesiæ, eiusque capitis vnione vltrò estis diuisi: neque fructum aliquem ex tot Christi Saluatoris nostri doloribus percipietis, quin prius ad hoc vnum eius ouile redeatis, & vos eius vnico Pastori ex animo subdatis: vbi tantum hæc inconsutilis tunica, integra reperitur, desuper contexta per totum: quia eam quam Ecclesia sancta cum suo Pastore Romano Pontifice profitetur fidem, non aliunde accepit, quam ab ipso Domino, & à sancto Spiritu eius, in quo credens, & cui inhærens permanet, & vsque ad consummationem sæculi permanebit.

Hæc inconsutilis tunica, secundum antiquam Patrum traditionem, sanctissimæ Deiparæ manibus fuit confecta: quam cùm illa conspexisset sorti expositam, & vilibus illis lictoribus in prædam datam, non dubium, quin vehementer doleret. Quod sacer Euangelista videtur significare voluisse, cùm illicò adiungit, stabat autem iuxta crucem Iesu mater eius.] quasi nostrum intellectum excitans, vt consideret, quid eo tempore pijssimæ Matris animus senserit, videns filium morti iam proximum nudum in cruce pendere, ad quem sepeliendum, neque vestes resi-

residuæ erant, sed eas milites impij inter se diuiserant. Inuidi illi & inhumani sancti Ioseph fratres polymitam illam tunicam à Patre ipsi donatam, quæ aliqua ex parte inuidiæ, & odij fomitem ministrauerat, crudeliter extrahentes, vt in siccam cisternam eum mitterent, in sanguine hœdi tinctam ad senem Patrem miserunt, dicentes: *Vide si tunica filij tui sit. Quam cùm vidisset Pater, ait: Fera pessima deuorauit filium meum Ioseph:*] defleuitque eum multis diebus. Verùm si à subito atque vehementi dolore senis animus non opprimeretur, perciperet euidenter non fieri posse, vt Ioseph à fera deuoraretur integra manente tunica. Sed cùm hæc in figura contigissent, hunc Virginis Matris dolorem adumbratum existimo, quę & morientem filium proprijs aspexit oculis, & vidit simul integram tunicam illam candidam, quam proprijs manibus cōtexuerat, sanguine intinctam, adeò vt rubram præuiderit Isaias, veluti vestes calcantium in torculari: at non sanguine hœdi sed ipsiusmet filij sui: oui dicere possumus: Vide, ô Mater clementissima, si tunica filij tui sit. Est quidem eademmet, quam virgineis & maternis manibus summo in filium amore confecisti, licet ex eo quòd sanguine vndique madeat facilè non possit agnosci. Sed quis præter te, ô sanctissima Virgo, sanguinem illum agnoscet, qui ex purissimo tuo sanguine originem duxit, & lacte creuit? ideò igitur oculos Virginis Matris post se traxit, & pulchrior eidem tunc visa est, quia in sanguine dilecti filij intinctam vidit: quam si daretur facultas à militibus magno pretio emeret, & summo studio conseruaret.

Gen. 27.

Isaiæ 63.

Alia tibi spolia seruanda erunt, ô Virgo pijssima, non quidem materno amore tuis manibus, sed crudelium ministrorum opera summo odio confecta, quibus Iesus filius tuus in cruce de principe mundi triumphat. Coronam ex spinis contextam caput cingentem, clauos manus pedesque transuerberantes, spongiam felle & aceto plenam ori eius appositam, lanceam latus aperientem seruabis, quibus opimis

V spo-

tenditur, tunc folia pulchriora sunt, capacioremque vmbram efficiunt: sic in hac diuina vite contigit, simul atque enim super lignum crucis à terra fuit exaltata, & ibi tota corporis compago extensa, & penè dissoluta, tunc eruperunt septem illa pulcherrima verborum folia, Ecclesiam adeo adumbrantia, vt in illis summatim edoceret Dominus ea omnia, quæ per omnem vitæ decursum latius prædicauit, in quibus & Euangelica perfectio, & perfecta charitas, quæ legis est plenitudo, continentur, vt facilè hæc omnia & perdiscantur, & memoria teneantur.

Primum igitur folium sanctus Lucas enarrauit statim post crucifixionem Iesu, ita inquiens: *Iesus autem dicebat: Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.*] Cuius vt efficaciam ac vim percipiamus, prius expendēda sunt nonnulla Prophetæ Isaiæ verba, ex illo quinquagesimotertio capite desumpta, in quo adeò expresè ea, quæ Christus Dominus in cruce pertulit, sunt scripta, vt Euangelica potius narratio præteritorum quàm prophetia futurorum videatur. Ibi igitur dicit se vidisse eum, *Virum dolorum, & scientem infirmitatem.* Quæ verba maximam habent vim ad significandum quantum ipse Dominus passus est in cruce exterius, & interius. Nam cùm virum nominat, ostendit virilem eius constantiam, animi fortitudinem, & voluntatis animosam determinationem, qua se morti obtulit, quæ semper in eo fuit absque vlla diminutione ab instanti incarnationis, vsque ad illud met tempus, quo hæc omnia pertulit. Vnde Ieremias in ipso incarnationis tempore iā eum virum appellat, cùm dicit: *Nouum creabit Dominus super terram, fœmina circundabit virum.*] Illico enim atque homo factus est vir fuit, & virilem animum induit, quo deliberatè & fortiter se ad omnia perferenda pro Patris sui honore, & hominum salute libentissimè obtulit. Quare vt Spiritus sanctus nobis manifestum faceret, nihil de illa animi fortitudine fuisse deperditum, quando Christus Dominus passiones omnes, mortisque dolores experiebatur, vo-

Isaiæ 53.

Ierem. 31.

& acres. Deinde vniuersales erant, & per vniuersum corpus extendebantur, nullaque erat vel minima pars, quæ peculiari aliquo dolore non torqueretur. Tertio demum, quia omni prorsus consolatione caruit: namque omnes ferè qui doloribus vexantur, si sunt rationis compotes, ab ipsa ratione considerationes mutuantur, à quibus non modicum leuamen percipiunt: pars enim superior inferiorem adiuuat, multa sensibus offert, quæ illos corporis dolores mitigant, & leuiores ad ferendum reddunt. At in Christo Domino illa superior naturalis pars ita se ad inferiorem sensitiuam habuit, vt eam cunctis doloribus traderet cruciandam absque vlla consolatione, & refrigerio: imo & doloris sensum augebat. Deinde interni animæ dolores acerbissimi extitere tum ex eo, quia virtus apprehensiua intellectus acutissima erat, & magna efficacia singula penetrabat: tum vel maximè quia dolor ille, & afflictio à peccatis hominum oriebatur, quæ omnia mente percipiebat, & à quibus tantoperè abhorrebat, cùm tamen pro vnoquoque talia pateretur. At vehementius cruciabatur ob ea ingentia scelera, quæ ipsismet oculis intuebatur, nimirum grauissimam Dei Patris offensam, impiam populi Iudaici cæcitatem, ardentem in seipsum odium gratis exhibitū, inuidiam, summam ingratitudinem, & super omnia crudelissimam innocui sanguinis effusionem, & homicidium illud iniustissimum iniquissimè ab ipsis Iudæis totis viribus sollicitatum, & à Romanis crudelissimè perpetratum. Qui grauis dolor inde magis ac magis augebatur, quia præuidebat quàm pauci ex illis eius passionis fructum essent consecuturi. Ipse enim solus perfectè suæ mortis efficaciam comprehendebat, ipse illius diuinæ offensæ magnitudinem agnoscebat, ipse æternas & incomprehensibiles inferorum pœnas peccatis debitas perspiciebat. Vnde quanto corporis dolores acerbius intendebantur, atque in ea acerbitate duram diuinæ iustitiæ vindictam aduersus peccatores in seipso experiebatur, tanto ampliori com-

passionis affectu commouebatur, & plus eorum perditionem, æternosque cruciatus deflebat. Hoc per Dauid antea significauit, cùm dixit: *Circundederunt me dolores mortis, pericula inferni inuenerunt me.*] Nihil aliud sunt inferni pericula quàm hominum peccata, ob quæ solummodo de æterna salute periclitamur, & in inferno animæ cruciantur: quæ quidem peccata eo tempore, quo Christus Dominus immensis doloribus in cruce moriens vndique erat circundatus, illum inuenerunt, quia in ipsismet grauissimis mortis doloribus inferni pericula peccatoribus imminentia experiebatur, à quibus, vt eos eriperet, talia patiebatur, cùm tamen perspiceret quampluri-mam hominum multitudinem illis inferni periculis se voluntariè obijcere, & ab illis detineri, ne salutem consequerentur. Quare cùm se in cruce vidit exaltatum, atque illius hostiæ, quam ipse de seipso offerebat, vim, efficaciam, atque in oculis Patris gratam acceptationem intelligeret, illud primum exorat, vt transgressoribus Iudæis, & gentilibus ipsum occidentibus veniam concedat. Illi à propria malitia atque odio excæcati blasphemiæ plenos clamores extulerunt: cùm eum in cruce eleuatum viderunt:

Psalm. 18.

Iesus autem dicebat: Pater dimitte illis.] Non vtitur Euangelista verbo *Dixit*, sed *Dicebat*,] vt ostenderet non semel tantum hanc orationem à Christo Domino esse prolatam, sed & sæpissimè iteratam. Principes Sacerdotum & populus Iudæorum deridebant Dominum Iesum crucifixum, milites ei illudebant, at ipse eorum miserrimam vicem dolens, pro ipsis primam Deo Patri offert deprecationem. Aderat sanctissima Mater, quam tot doloribus afflictam erat relicturus, aderat & discipulus dilectus eius solatio orbatus, aderant & mulieres illæ sanctæ, quæ illum vsque ad crucem fuerant miro amore prosecutæ: seipsum etiam omni ope destitutum conspiciebat, quæ omnia & singula præsentissima illi erant: atque omnibus ijs præcedunt

in

in eius memoria illi ipsi Iudæi, & Gentiles, qui cum tot contumelijs afficiebant: quia ea ipsa, quæ isti in diuinam maiestatem committebant crimina, animum eius vehementius cruciabant; & ideò pro ipsis prius deprecatur. Si ægrotus aliquis multis vulneribus saucius, doloribusve afflictus, præsentem habeat peritum medicum, dolorem illum prius exponit, quo magis torquetur, & illi vulneri remedium adhiberi postulat primùm, à quo magis infestatur. Sic Christus Dominus in cruce eleuatus, oculisque Patris oblatus, (quem, & omnipotentem, & infinitæ misericordiæ esse sciebat) cùm multis vndique doloribus esset circumdatus, illum dolorem eidem Patri primo repræsentat, à quo eius anima grauius cruciabatur, nimirum ob grauissima hominum peccata illorum præcipuè, qui eius necis auctores & ministri extiterant, quibus veniam à Patre exorat. Diuus Paulus postquam asseruit Christum Dominum nostrum esse summum Sacerdotem à Deo constitutum, vt pro nobis intercedat, statim addit: *Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesq; ad eum, qui posset illum saluum facere à morte, cum clamore valido, & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia.*] Quæ verba de hac præsertim oratione intelligenda esse, omnes ferè expositores arbitrantur. Offerens igitur in cruce orationem adeo affectuosam, & efficacem, non lachrymis tantum, sed & sanguine irrigatam, ad Deum, qui illum à morte poterat saluum facere, non sibi liberationem, sed peccatoribus & crucifixoribus suis veniam petijt. Cùm verò dicat Diuus Paulus exauditum fuisse ob sui reuerentiam, hinc effectum est, vt sancti Patres asserere minus dubitent, Latronis conuersionem, Centurionis confessionem, & eorum contritionem, qui reuertebantur percutientes pectora sua, & insuper mirabiles illas animorum mutationes, quando in die Pētecostes tot millia hominum eiusdem Christi Domini fidem suscepere, (cùm illi ipsi essent, qui eum Heb. 5.

 vsque

Dominus neque propria habuit alimenta, ſed ex eleemoſynis ſibi à pijs perſonis impertitis ſe ſuoſque alebat. Vnde contigit aliquando vt diſcipuli eſurientes ſpicas vellerent, & manducarent, cùm aliter fami non poſſent ſuccurrere. Sola igitur veſtimenta, quibus tegebatur, poſsidebat. His fuit ſpoliatus antequam crucifigeretur, & poſtquam in cruce fuit exaltatus, vt etiam ex hac tenui facultate peculiari aliquo dolore torqueretur, veſtes illæ iuxta crucem in eius conſpectu ſunt diuiſæ, & ſuper tunicam dilectam ſors emiſſa. Experientia liquet, quantum hæc humana natura noſtra dolorem percipiat ex iactura bonorum temporalium, & præcipuè rerum familiarium, quocumque modo eueniat: plus etiam cruciatur quando per lites iniuſtas, per fraudes, ſeu per violentiam extrahuntur ea quæ licitè poſsidebat. At tunc dolor eſt vehementior, quando ante vniuſcuiuſque oculos arcæ aperiuntur, ſcrinia confringuntur, & pecuniæ, vaſa aurea, & argentea, veſtes pretioſæ, cæteraque bona violenter diripiuntur. Sed ſi contingat, vt in vltima vitæ periodo quis conſtitutus, & in vltimo mortis agone vndique afflictus, videat eos qui adſunt hinc lectuli operimenta detrahentes, inde veſtes proprias rapientes, & ſe viuum adhuc nudum, & ſpoliatum relinqui, grauiſsimo & intolerabili dolore naturaliter cruciari non eſt dubium. Hunc dolorem, hanc afflictionem, hoc opprobrium pati pro nobis voluit Chriſtus Dominus, quando in cruce pendens, ſe ipſum nudum aſpexit, veſtes autē à vilibus hominibus in partes diuiſas, & ſortibus expoſitas. Eliphaz vnus ex amicis Iob (qui eius animum ignorātes quærimonias illius, & virtutum commemorationem prauè interpretantes, eius ærumnas obiurgationibus imperitis grauiores effecerunt) eum coarguens crudelitatis, & inhumanitatis vitia ei improperat, dicens: *Abstulisti pignus fratrum tuorum, & nudos ſpoliaſti veſtibus.*] Nudos eos appellat, qui tam attritis atque tenuibus veſtibus erāt induti, quod ferè nudi viderētur, alioquin inepta

eſſet

[margin: Luc. 6.]
[margin: Iob 22.]

esset locutio, Nudos vestibus spoliasse, qui, si erant nudi, quibus spoliarentur, non haberent. At vt inhumanitatem Iob amplificet, his vtitur verbis, & loquendi modo. Hoc tamen re ipsa Dominus Iesus à militibus est passus: cùm namque iam nudus in cruce penderet, vestibus fuit spoliatus omnino, cùm eos milites diuiserunt in partes, & super tunicam sortem miserunt.

Nulli dubium esse potest graui fuisse dolore percussum Iosephi adolescentis animum, quando à fratribus tunica polymita talari à Patre Iacob in singularis amoris indicium data fuit, inhumaniter exutus, & ferè nudus in cisternam veterem missus, ipsismet fratribus post factum iuxtà cum lætitia ad manducandum sedentibus. Quis hæc considerans, non intelligat, præfiguratum manifestè in hoc facto extitisse hunc Christi Domini dolorem, & opprobrium? Milites namque cùm crucifixissent eum, ait Euangelista, acceperunt vestimenta eius, &c. & iuxta crucem in partes quatuor concisas diuiserunt inter se, & illudentes, nihilique ducentes illum hominem crucifixum, sortem in eius tunicam dilectam immiserunt. Gen 27.

Et fecerunt quatuor partes, vnicuiq; militi partem, & tunicam.] Hoc ego ita intelligendum existimo, quod post diuisionem illam in quatuor partes, vnusquisque partem suam accepit, super solam autem tunicam inconsutilem sortem miserunt, de qua nimirum dixerunt inuicem: *Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius sit.*] Hic se offert considerandum quod Christus Dominus vestibus proprijs exutus, eosdem milites, qui eum crucifixerunt, quia pauperes, & egeni erant, ijsdemmet vestibus induit. O incomprehensibilis Redemptoris nostri charitas, ô ineffabilis misericordia, ô immensa liberalitas! seipsum exinaniuit, vt nos bonis impleret, se spoliauit, vt nos cooperiret, se inopem fecit, vt nos diuites faceret. Corinthios exhortans Diuus Paulus, vt in pauperes Ierosolymis habitantes liberales existerent, Math. 27.

Chri-

Christum Dominum in exemplum adducit per hæc verba: *Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam pro vobis egenus factus est, cùm esset diues, vt illius inopia vos diuites essetis.*] Et quid mirum, si vestes militibus illis pauperibus dedit, pro quibus sanguinem effundebat, & vitam in cruce offerebat? D. Bernardus ostendit quatuor præcipuè virtutibus ornatũ & vestitum veluti fuisse Adam ante peccatum, qua de causa se nudum esse non sentiebat. Has virtutes quia peccando perdidit, nudus remansit, & nuditatem erubuit. Hoc in parabola illius hominis, qui descendens ab Ierusalem in Ierichо in latrones incidit, à Christo Domino fuit significatum, quem latrones primum despoliauerunt, nudumque & grauiter vulneratum reliquerunt. Nec verò (inquit Bernardus) poterat reuestiri vel ablata sibi recipere vestimenta, nisi Christus amitteret sua. Sicut enim animæ vita non aliter nisi per eius mortem recuperanda erat, ita nec reuestire sine eius dispoliatione. Vt igitur & paupertatem nostram ditaret, & nuditatem cooperiret, propria diuisit ex cruce vestimenta. Quare hanc vestium diuisionem in quatuor partes multorum mysteriorum esse symbolum, docent sancti Patres; ex quibus vnum cum Diuo Augustino expendemus præsenti considerationi inseruiens. Vestimenta ipsius, ait sanctus Doctor, Sacramenta illius sunt, quæ vim & sanctificationem à Christi sanguine in cruce effuso acceperunt. Hęc autem sacramenta in quatuor partes diuiduntur, quia ad omnes gentes per quatuor orbis partes diuisas peruenerunt, & eis fuerunt oblata quando Christi fides fuit per orbem prædicata. At quia non sufficit tantum sacramentorum communicatio sine charitate, tunicam illam inconsutilem diuidi non permisit, sed integram conseruauit. Non enim ad salutem consequendã sufficit sacramẽtorum participatio, si simul charitas nõ adsit, quę nos Christo cõiũgat. Quare vnicuiq; parti debet iungi tunica, hę nãq; sunt vestes à Christo Iesu donatę fidelib⁹ suis, sc. fides & cha-

1. Corinth. 8.

Bernard. ser. 1. de Annunc.

Luc. 10.

Augustin. in Psalm. 21.

citas: hæ sunt quæ nostram coopeniũt nuditatem. Ad Christum ergo cruci affixum illa de muliere forti & prudenti verba possumus accommodare : *Manum suam aperuit inopi , & palmas suas extendit ad pauperem* (manus habet clauis apertas in cruce , & palmas satis extensas) *non timebit domui suæ à frigoribus niuis : omnes enim domestici eius vestiti sunt duplicibus.*] Non vnica tantum fidei veste quæ sola frigus non expellit, sed insuper nuptiali illa & interiori tunica charitatis desuper contexta (diffusa, inquam, in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis) quæ fidem viuificat , calorem animæ accendit, & integra semper in diuisione vestium manet. Prou.3.

Erat autem tunica inconsutilis, &c.] Omnes sancti Patres , & Ecclesiæ Doctores vnanimi consensu per hanc indiuisam, & inconsutilem tunicam , fidelium cum Christo Domino capite nostro vnitatem designari asseuerant: quam quidem vnionem per ipsius Domini mortem esse perficiendam Ioannes Euangelista explicans illud Caiphæ consilium: *Quia expedit vt vnus moriatur homo pro populo & non tota gens pereat, Prophetauit,* ait sanctus Ioannes, quia *Christus moriturus erat pro gente: & non tantum pro gente , sed vt filios Dei , qui erant dispersi , congregaret in vnum.*] Hoc idem confirmant verba illa ipsiusmet Christi Domini in ea oratione, quam in fine cœnæ ad Patrẽ habuit, *Et pro eis,* inquit, *sanctifico meipsum* (id est, ad mortem offero) *vt sint ipsi sanctificati in meipsum. Nõ pro eis autẽ rogo tantum, sed & pro eis qui credituri sunt per verbũ eorũ in me: vt oes vnũ sint, sicut tu pater eos in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnũ sint.*] Vnũ quidẽ non per substantiæ vnitatẽ, sed per intimã charitatis vnionẽ, per quã efficimur diuinæ naturæ cõsortes. Hũc esse potissimũ effectũ Dominicæ passionis præfiguratũ fuit ex D. Gregorij sentẽtia in illo legali ritu, quãdo de turturibus, siue columbarũ pullis erat oblatio. In ea enim oblatione caput auis à corpore nõ separabatur, sed retorto ad collũ capite, ac rupto vulneris loco sanguis super crepidinẽ altaris erat effunden- Ioan.11. C.17. Gregorius Leu.5.

dendus. Quia videlicet, ait Gregorius, mediator Dei, & hominum, id est, caput omnium nostrum, & verè mūdationis hostia, vnde pro nobis mortem pertulit, inde nobis verius inhæsit. Post sectionem ergò caput turturis suo corpori inhæret, quia Christum ab Ecclesia neque mors interueniens diuidit.] Quamobrem deteriores militibus Dominum crucifigentibus sunt Ecclesiæ hostes, qui se ab eius capite segregarunt: illi namque dilectam hanc Domini tunicam scindere pertimuerunt: at hi, proh dolor, totis viribus eam proscindere conantur. At, ô miseri, & à proprio spiritu obcæcati, vos ipsos conspicite: namque perspicuè videbitis, quòd simul atque hanc inconsutilem tunicam dirumpere conati estis (licet minimè valeatis) vos ipsos dissipastis, antiquam fidem in varios errores diuisistis, neque inter vos aliquid est constans, firmum aut solidum, quia à Sanctæ, & Apostolicæ Ecclesiæ, eiusque capitis vnione vltrò estis diuisi: neque fructum aliquem ex tot Christi Saluatoris nostri doloribus percipietis, quin prius ad hoc vnum eius ouile redeatis, & vos eius vnico Pastori ex animo subdatis: vbi tantum hæc inconsutilis tunica, integra reperitur, desuper contexta per totum: quia eam quam Ecclesia sancta cum suo Pastore Romano Pontifice profitetur fidem, non aliunde accepit, quam ab ipso Domino, & à sancto Spiritu eius, in quo credens, & cui inhærens permanet, & vsque ad consummationem sæculi permanebit.

Hæc inconsutilis tunica, secundum antiquam Patrum traditionem, sanctissimæ Deiparæ manibus fuit confecta: quam cùm illa conspexisset sorti expositam, & vilibus illis lictoribus in prædam datam, non dubium, quin vehementer doleret. Quod sacer Euangelista videtur significare voluisse, cùm illicò adiungit, stabat autem iuxta crucem Iesu mater eius.] quasi nostrum intellectum excitans, vt consideret, quid eo tempore pijssimæ Matris animus senserit, videns filium morti iam proximum nudum in cruce pendere, ad quem sepeliendum, neque vestes

resi-

residuæ erant, sed eas milites impij inter se diuiserant. Inuidi illi & inhumani sancti Ioseph fratres polymitam illam tunicam à Patre ipsi donatam, quæ aliqua ex parte inuidiæ, & odij fomitem ministrauerat, crudeliter extrahentes, vt in siccam cisternam eum mitterent, in sanguine hœdi tinctam ad senem Patrem miserunt, dicentes: *Vide si tunica filij tui sit. Quam cùm vidisset Pater, ait: Fera pessima deuorauit filium meum Ioseph:*] defleuitque eum multis diebus. Verùm si à subito atque vehementi dolore senis animus non opprimeretur, perciperet euidenter non fieri posse, vt Ioseph à fera deuoraretur integra manente tunica. Sed cùm hæc in figura contigissent, hunc Virginis Matris dolorem adumbratum existimo, quę & morientem filium proprijs aspexit oculis, & vidit simul integram tunicam illam candidam, quam proprijs manibus cõtexuerat, sanguine intinctam, adeò vt rubram præuiderit Isaias, veluti vestes calcantium in torculari: at non sanguine hœdi sed ipsiusmet filij sui: cui dicere possumus: Vide, ô Mater clementissima, si tunica filij tui sit. Est quidem eademmet, quam virgineis & maternis manibus summo in filium amore confecisti, licet ex eo quòd sanguine vndique madeat facilè non possit agnosci. Sed quis præter te, ô sanctissima Virgo, sanguinem illum agnoscet, qui ex purissimo tuo sanguine originem duxit, & lacte creuit? ideò igitur oculos Virginis Matris post se traxit, & pulchrior eidem tunc visa est, quia in sanguine dilecti filij intinctam vidit: quam si daretur facultas à militibus magno pretio emeret, & summo studio conseruaret.

Gen. 27.

Isaiæ 63.

Alia tibi spolia seruanda erunt, ô Virgo pijssima, non quidem materno amore tuis manibus, sed crudelium ministrorum opera summo odio confecta, quibus Iesus filius tuus in cruce de principe mundi triumphat. Coronam ex spinis contextam caput cingentem, clauos manus pedesque transuerberantes, spongiam felle & aceto plenam ori eius appositam, lanceam latus aperientem seruabis, quibus opimis

tenditur, tunc folia pulchriora sunt, capacioremque vmbram efficiunt: sic in hac diuina vite contigit, simul atque enim super lignum crucis à terra fuit exaltata, & ibi tota corporis compago extensa, & penè dissoluta, tunc eruperunt septem illa pulcherrima verborum folia, Ecclesiam adeo adumbrantia, vt in illis summatim edoceret Dominus ea omnia, quæ per omnem vitæ decursum latius prædicauit, in quibus & Euangelica perfectio, & perfecta charitas, quæ legis est plenitudo, continentur, vt facilè hæc omnia & perdiscantur, & memoria teneantur.

Primum igitur folium sanctus Lucas enatrauit statim post crucifixionem Iesu, ita inquiens: *Iesus autem dicebat: Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.*] Cuius vt efficaciam ac vim percipiamus, prius expendēda sunt nonnulla Prophetæ Isaiæ verba, ex illo quinquagesimotertio capite desumpta, in quo adeò expresè ea, quæ Christus Dominus in cruce pertulit, sunt scripta, vt Euangelica potius narratio præteritorum quàm prophetia futurorum videatur. Ibi igitur dicit se vidisse eum, *Virum dolorum, & scientem infirmitatem.* Quæ verba maximam habent vim ad significandum quantum ipse Dominus passus est in cruce exterius, & interius. Nam cùm virum nominat, ostendit virilem eius constantiam, animi fortitudinem, & voluntatis animosam determinationem, qua se morti obtulit, quæ semper in eo fuit absque vlla diminutione ab instanti incarnationis, vsque ad illudmet tempus, quo hæc omnia pertulit. Vnde Ieremias in ipso incarnationis tempore iā eum virum appellat, cùm dicit: *Nouum creabit Dominus super terram, fœmina circundabit virum.*] Illico enim atque homo factus est vir fuit, & virilem animum induit, quo deliberatè & fortiter se ad omnia perferenda pro Patris sui honore, & hominum salute libentissimè obtulit. Quare vt Spiritus sanctus nobis manifestum faceret, nihil de illa animi fortitudine fuisse deperditum, quando Christus Dominus passiones omnes, mortisque dolores experiebatur,

Isaiæ 53.

Ierem. 31.

& acres. Deinde vniuersales erant, & per vniuersum corpus extendebantur, nullaque erat vel minima pars, quæ peculiari aliquo dolore non torqueretur. Tertio demum, quia omni prorsus consolatione caruit: namque omnes ferè qui doloribus vexantur, si sunt rationis compotes, ab ipsa ratione considerationes mutuantur, à quibus non modicum leuamen percipiunt: pars enim superior inferiorem adiuuat, multa sensibus offert, quæ illos corporis dolores mitigant, & leuiores ad ferendum reddunt. At in Christo Domino illa superior naturalis pars ita se ad inferiorem sensitiuam habuit, vt eam cunctis doloribus traderet cruciandam absque vlla consolatione, & refrigerio: imo & doloris sensum augebat. Deinde interni animæ dolores acerbissimi extitere tum ex eo, quia virtus apprehensiua intellectus acutissima erat, & magna efficacia singula penetrabat: tum vel maximè quia dolor ille, & afflictio à peccatis hominum oriebatur, quæ omnia mente percipiebat, & à quibus tantoperè abhorrebat, cùm tamen pro vnoquoque talia pateretur. At vehementius cruciabatur ob ea ingentia scelera, quæ ipsismet oculis intuebatur, nimirum grauissimam Dei Patris offensam, impiam populi Iudaici cæcitatem, ardentem in seipsum odium gratis exhibitũ, inuidiam, summam ingratitudinem, & super omnia crudelissimam innocui sanguinis effusionem, & homicidium illud iniustissimum iniquissimè ab ipsis Iudæis totis viribus sollicitatum, & à Romanis crudelissimè perpetratum. Qui grauis dolor inde magis ac magis augebatur, quia præuidebat quàm pauci ex illis eius passionis fructum essent consecuturi. Ipse enim solus perfectè suæ mortis efficaciam comprehendebat, ipse illius diuinæ offensæ magnitudinem agnoscebat, ipse æternas & incomprehensibiles inferorum pœnas peccatis debitas perspiciebat. Vnde quanto corporis dolores acerbius intendebantur, atque in ea acerbitate duram diuinæ iustitiæ vindictam aduersus peccatores in seipso experiebatur, tanto ampliori com-

passionis affectu commouebatur, & plus eorum perditionem, æternosque cruciatus deflebat. Hoc per Dauid antea significauit, cùm dixit: *Circundederunt me dolores mortis, pericula inferni inuenerunt me.*] Nihil aliud sunt inferni pericula quàm hominum peccata, ob quæ solummodo de æterna salute periclitamur, & in inferno animæ cruciantur: quæ quidem peccata eo tempore, quo Christus Dominus immensis doloribus in cruce moriens vndique erat circundatus, illum inuenerunt, quia in ipsismet grauissimis mortis doloribus inferni pericula peccatoribus imminentia experiebatur, à quibus, vt eos eriperet, talia patiebatur, cùm tamen perspiceret quamplurimam hominum multitudinem illis inferni periculis se voluntariè obijcere, & ab illis detineri, ne salutem consequerentur. Quare cùm se in cruce vidit exaltatum, atque illius hostiæ, quam ipse de seipso offerebat, vim, efficaciam, atque in oculis Patris gratam acceptationem intelligeret, illud primum exorat, vt transgressoribus Iudæis, & gentilibus ipsum occidentibus veniam concedat. Illi à propria malitia atque odio excæcati blasphemiæ plenos clamores extulerunt: cùm eum in cruce eleuatum viderunt:

Psalm. 18.

Iesus autem dicebat: Pater dimitte illis.] Non vtitur Euangelista verbo *Dixit*, sed *Dicebat,*] vt ostenderet non semel tantum hanc orationem à Christo Domino esse prolatam, sed & sæpissimè iteratam. Principes Sacerdotum & populus Iudæorum deridebant Dominum Iesum crucifixum, milites ei illudebant, at ipse eorum miserrimam vicem dolens, pro ipsis primam Deo Patri offert deprecationem. Aderat sanctissima Mater, quam tot doloribus afflictam erat relicturus, aderat & discipulus dilectus eius solatio orbatus, aderant & mulieres illæ sanctæ, quæ illum vsque ad crucem fuerant miro amore prosecutæ: seipsum etiam omni ope destitutum conspiciebat, quæ omnia & singula præsentissima illi erant: atque omnibus ijs præcedunt in

in eius memoria illi ipsi Iudæi, & Gentiles, qui eum tot contumelijs afficiebant: quia ea ipsa, quæ isti in diuinam maiestatem committebant crimina, animum eius vehementius cruciabant; & ideò pro ipsis prius deprecatur. Si ægrotus aliquis multis vulneribus saucius, doloribusve afflictus, præsentem habeat peritum medicum, dolorem illum prius exponit, quo magis torquetur, & illi vulneri remedium adhiberi postulat primùm, à quo magis infestatur. Sic Christus Dominus in cruce eleuatus, oculisque Patris oblatus, (quem, & omnipotentem, & infinitæ misericordiæ esse sciebat) cùm multis vndique doloribus esset circumdatus, illum dolorem eidem Patri primo repræsentat, à quo eius anima grauius cruciabatur, nimirum ob grauissima hominum peccata, illorum præcipuè, qui eius necis auctores & ministri extiterant, quibus veniam à Patre exorat. Diuus Paulus postquam asseruit Christum Dominum nostrum esse summum Sacerdotem à Deo constitutum, vt pro nobis intercedat, statim addit: *Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesq; ad eum, qui posset illum saluum facere à morte, cum clamore valido, & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia.*] Quæ verba de hac præsertim oratione intelligenda esse, omnes ferè expositores arbitrantur. Offerens igitur in cruce orationem adeo affectuosam, & efficacem, non lachrymis tantum, sed & sanguine irrigatam, ad Deum, qui illum à morte poterat saluum facere, non sibi liberationem, sed peccatoribus & crucifixoribus suis veniam petijt. Cùm verò dicat Diuus Paulus exauditum fuisse ob sui reuerentiam, hinc effectum est, vt sancti Patres asserere minus dubitent, Latronis conuersionem, Centurionis confessionem, & eorum contritionem, qui reuertebantur percutientes pectora sua, & insuper mirabiles illas animorum mutationes, quando in die Pētecostes tot millia hominum eiusdem Christi Domini fidem suscepere, (cùm illi ipsi essent, qui eum

Heb. 5.

vsque ad crucis mortem persecuti fuerant) inter primos & præcipuos effectus illius orationis debere numerari; illius etiam vi, & efficaciæ tribuendæ sunt omnes peccatorum conuersiones, quæ diuina opitulante gratia quotidie fiunt, quia noster hic summus sacerdos pro nobis semper apud Patrem intercedit, & eandem orationem repetit dicens:

Pater dimitte illis.] Quodlibet horum verborum peculiarem requirit, & attentam consideratione. *Pater*, ait, non *Deus*, non *Domine*: quia cùm hęc nomina ex se maiestatem importent, illo vti voluit, quod naturalis amoris affectum, atque beneuolentiam repræsentat. Vnde solent filij qui benignos habent Patres, quando ea, quæ ab ipsis postulant, volunt sibi concedi, dulcissimum Patris nomen præmittere, quo paternum amorem excitent. Prodigus ille filius
Luc 15. postquam in se reuersus paternam domum repetere decreuit, vt à Patre, cuius monita ante contempserat, veniam impetraret, ita orationem contexuit: *Pater peccaui in Deum, & coram te.* Qua spe, (inquit
Pet. Chrysol. Petrus Chrysologus) qua fiducia? Illa qua Pater est: ego perdidi, quod erat filij, ille, quod Patris est, non amisit: intus est in Patris pectore, qui interuenit, & exorat affectus.] Si igitur tantam nomen Patris præbuit fiduciam filio inobedienti, & prodigo, quàm fiducialiter filius hic frugi, & qui non solum mandatum Patris sui nunquam præteriuit, fecitque semper quæ illi erant placita, sed & vsque ad mortem, mortem autem crucis, & vsque ad totius sanguinis effusionem pro ipsius Patris gloria amplificanda obediens extitit, Patrem poterat appellare & omnia ab eo sperare? *Patrem* etiam appellat, vt ostendat quod quamuis in eo esset miserrimo statu constitutus, nihil tamen de diuina filiatione amiserat, imò ibi & vnicus erat æterni Patris filius, eidem per omnia similis, illius bonitatis imago naturalis, & ab eo vnicè dilectus. O mira circa nos æterni Patris dignatio! ô inæstimabilis dilectio charitatis: vt seruum vilissimum atque ingratissimum redimeret, filium vnigeni-

nitum, dilectum, & in quo tantum sibi complacuit, in mortem crudelissimam tradidit: vbi adeò absconditus fuit vultus eius, vt Sacerdotum Principes, cæteraque Iudæorum, & militum Romanorum turba, qui oculis tantum carneis, & à fidei lumine destitutis Christum crucifixum aspexerunt, per irrisionem dicerent: *Si filius Dei est, descendat nunc de cruce, & credemus ei. Dixit enim, quia filius Dei sum.* Nos verò qui reuelata facie atque fidei lumine illustrati gloriam Domini Iesu etiam in cruce pendentis, & credimus, & speculamur, certo certius scimus eum verum esse Dei filium, & merito atque optimo iure Deum appellasse Patrem: confitemur etiam quàm graui debito simus astricti ad venerandum, & amandum hunc Patrem Deum omnipotentem, qui proprio filio suo vnigenito non pepercit, sed pro nobis abiectissimæ morti tradidit, & insuper ad hunc filium eius Iesum toto corde, & viribus animæ amplectendum, qui vt nos redimeret, & filiorum Dei adoptionem nobis acquireret, seipsum exinaniuit, & sub illa serui forma, quā acceperat, filij Dei naturalis gloriā tantum occultauit, vt (iuxta nostrum loquēdi modum) ideo Patrem ibi nuncupauerit, quasi ei in mentem reuocans, se eundemmet esse eius filium, quem voce de cœlo delapsa bis filium nominarat: quasi dicens: si flagella vilissimis solum seruis debita, si spinea corona, Regis ficti, & seductoris indicium, si crux ista, in qua inter duos latrones sum affixus, latronum & sceleratorum infame supplicium, me adeò deformant, vt hominum oculis non quidem filius tuus vnigenitus, sed despectus, & nouissimus virorum appaream, Tu pater me filium & agnoscis, & hic paterno amore foues: vnde & summa fiducia dico, *Pater.*

Dimitte.] Quando ipse Christus Dominus in horto ob carnis infirmitatem, quæ naturaliter mortem crucis exhorrebat, Patrem pro seipso exorauit, & in oratione etiam Patris nomen principio posuit; at non absolutè postulauit, sed sub conditione, inquiens:

ens: Si fieri potest: *Si possibile est transfer calicem hunc à me: veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat.*] Hic verò quando pro inimicis deprecatur, nullam apponit conditionem, sed, vt Theophylactus ait, maiestatem quandam præ se fert hæc oratio: non enim dixit, oro vt dimittas, sed simpliciter & magna potestate, *Dimitte.*] Arduum sanè, & difficile erat, quod postulabat, vt scilicet Pater veniam concederet vnigeniti filij sui interfectoribus eomet temporis momento, quo ipsi in eius conspectu tantum scelus perpetrabant immanissimè. At, quis rogat? Ipse, ipse filius, qui iniustam mortem patiebatur, & omnem interponit auctoritatem, & efficaciam, vt sibi quod postulat concedatur: quare illud idem quod difficillimam reddebat veniam, ad concedendum impellit. Siquidem ille qui occiditur, & tot acerba patitur, mortem ipsam cæterasque passiones infiniti meriti, & summè acceptabiles offert; & ideo confidenter dicit absolutè, *Dimitte.* De sanguine Christi Domini in cruce effusi dicit Diuus Paulus, quòd melius loquitur quàm sanguis Abel, de quo dixit Dominus ad Cain, qui illum effuderat: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.*] Clamor autem ille, & vox sanguinis vindictam fratris expostulabat. Verùm Christi Domini sanguis licet impiè, & immaniter ab inimicis tot cruciatibus effusi, de illa terra montis Caluariæ, atque ab ipsa cruce voces dabat ingentes, & ad Deum Patrem clamabat: non tamen sicut sanguis Abel vindictam postulans, sed veniam, dicens: Dimitte. Ita vt omnia pijssimi Iesu vulnera (sicut Diuus Thomas adnotauit) omnes eius acerbissimi dolores interiores, & exteriores in auribus Patris personarent dicentes, *Dimitte, Dimitte.* Cæcus ille Iudæorum populus crudelissimam aduersus semetipsum sententiam protulerat, quando ad Pilatum vociferans dixit: *Sanguis eius super nos, & super liberos nostros,* immane illud crimen, & illi debitam vltionem diuinam super seipsos atque omnem suam posteritatem imponentes. At incompre-

Theophyl.

Hebr. 4.

Gen. 4.

D Thom. in hunc locum.

prehensibilis Domini Iesu clementia, & benigna miseratio, quoad eius fieri poterat, illius sententiæ rigorem volens aliqua ex parte mitigare, & viam salutis etiam ipsis aperire, si resipiscerent, sanguini suo tales voces attribuit, quibus in illis quoque, qui tanto odio & ira eum effuderant, non quam merebantur, vltionem, sed quam nec cognoscebant, veniam deprecaretur, dicens, *Dimitte.*

Illis.] Nō dicit, Inimicis, seu interfectoribus meis, vel aliud nomen querimoniam indicans, aut eorum impietatem commemorans, sed vtitur hoc generali pronomine, tum ne videretur ea commemorare, quę difficiliorem poterant reddere veniam: tum etiam vt cunctos tam præsentes quàm absentes, qui in eius mortem conspirauerant, comprehenderet, siue illi fuissent Iudæi siue gentiles, quibus omnibus, si vellent, misericordiæ ianua per eiusdem passionis meritum patefiebat. Hæc enim immensa est latitudo cordis Domini Iesu, quæ recipit, & fouet quotquot per latus eius apertum ingredi voluerint, illos etiam ipsos, qui vulnus aperuerunt. Hoc est illud testimoniū, iuxta Diui Augustini sententiam, quod Spiritus sanctus in die Pentecostes per Apostolos de ipso Christo Domino erat redditurus, quando videlicet Diuo Petro loquente & eisdem Iudæis ipsius Domini iniustam necem exprobrante, *Compuncti corde conuersi sunt*, & tanti sanguinis tam impiè atque immaniter fusi, indulgentiam perceperunt, ipso redempti sanguine quem fuderunt. Christi enim sanguis sic in remissionem peccatorum omnium fusus est, vt ipsum etiam peccatum posset delere, quo fusus est.

August. in Ioan.

Non enim sciunt quid faciunt.] Grauissima ea Iudæorum impietas, & ardentissimi in Christum odij indicium, quando summo studio ac diligentia falsa crimina perquisierunt, de quibus eum possent apud Pilatum accusare, vt & suam ipsorum satis perspectam inuidiam, atque inueteratum animi odium possent occultare, & ipsius Domini

Iesu

Iesu innocentiam populo vniuerso notissimam obscurare. At econtra ipse pijssimus Dominus, vt perfectissimi Aduocati officio fungeretur, inuestigat omnia, & scrutatur diligentissimè quo aliquid inueniat ad tantam impietatem aliqua ex parte imminuendam, Patremque facilius placandum. Ob id igitur eorum ignorantiam exponit: licèt enim ignorantia illa esset affectata, & voluntaria, ab odio & inuidia ortum habens, & ideò ab immani crimine reos non absolueret; quia tamen ignorantiæ nomen aliquantulum videtur culpas attenuare, inde ansam arripuit, vt veniam postularet. Quare cùm dicit, *Non enim sciunt quid faciunt*, perinde est ac si dicat: Nesciunt quàm graue sit crimen hoc quod committunt; non percipiunt atrocitatem iniuriæ in te, Pater sanctissime, illatæ in hac vnigeniti tui immerita morte, cùm me filium tuum perfectè non cognoscant. Hinc effectum est vt Diuus Petrus, quo Iudæorum populum ad spem veniæ accenderet, Iudæos ipsos ita alloqueretur: *Et nunc scio, fratres, quoniam per ignorantiam fecistis, sicut & principes vestri. Deus autem qui prænunciauit per os omnium Prophetarum pati Christum suum, sic impleuit*. Hanc Domini excusationem expendens deuotus Arnoldus, ait: Quid est Domine quod dicis? Non accusas, non quæris vindictam: potius excusas, & coniurationis illius spissamentum attenuas, & hæreditariũ onus ab impijs transferẽs, crimẽ malitiæ non apponis, qui ideò dimittendum censes, quia admissum ignoranter ipse testaris. Vbi est illud quod dixeras prius: *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent*? Nunc verò & viderunt, & oderunt & me, & Patrem meum. Quis ignorantiæ locus erat, cùm tot signa vidissent? Et tamen Christus nescire eos quid agant affirmat: ideoque pro errore eorum, & cæcitate obnixè supplicat Patri.] Quo enim hæc ignorantia erat excusabilior, quo mentis cæcitas erat maior, & à maiori malitia proueniens, ob quam & se ægrotasse nesciebant, sanitatisque contemnebant subsidia, eo miserabiliorem eorum vi-

Actor. 3.

Arnold. de 7. verb.

vicem magis clementissimus Iesus dolebat, & misericordia motus super eos Patrem misericordiarum pro ipsis deprecabatur. Si quis amicum ægrotum vel amentem, vel phreneticum conspicit opprobria in se iactantem, & eos qui medicamenta adhibent percutere conantem, maiori circa illum compassionis affectu permotus diligentius beneficia efficaciora sollicitat. Sic pius Dominus propriæ offensæ, & iniuriarum oblitus, in eam summam impietatem, in quam ob animi cæcitatem atque ignorantiam minimè ceciderant, oculos conijciens, hanc ingentem miseriam Patri offert, vt ad miserendum inclinet.

Diuinæ bonitatis excellentia & infinita perfectio in eo maximè elucet, iuxta sanctorum Patrum doctrinam, quod adeò bonus est vt ex omnibus malis bona eliciat. Melius enim iudicauit, inquit Diuus Augustinus, de malis benefacere, quam mala nulla esse permittere.] Ex quo infertur, quod quamuis omnium malorum maximum fuerit filij Dei Domini nostri Iesu Christi impia occisio, à Iudæis ob inuidiam, atque odium sollicitata, & à gentibus summa crudelitate perpetrata, ex ea tamen morte, innocentissimique sanguinis effusione incomprehensibilis Dei bonitas immensa bona ad totius mundi redemptionem pertinētia elicuerit. Iuxta quam considerationem hæc Domini verba, *Non enim sciunt quid faciunt*, sic possumus intelligere, quasi Patrem exoret, quod ad dimittendam illam, quam patiebatur, mortem, ne ad eorum malitiam, odiumque respiceret, sed potius ad ea immensa bona oculos conuerteret, quæ inde erant profectura: licet ipsi, qui scelus perpetrabant ea minimè intelligerent. ô diuinum amorem, ô infinitam & incomprehensibilem bonitatem? Iniurias, cruciatus, & crudelissimam mortem non inde considerat, quia ab impijs manibus, animisque odio, liuore, & nequitia plenis proficiscebantur, sed quia tot commoda inde in Dei gloriam, & hominum salutem proueniebant; quare inimicorum causam ita pertractat, atque si amici existerent, & eius

Augustinus.

voluntati obsequerentur. Hinc etiam effectum est, vt Diuum Petrum eum à crucis morte abducere conantem, Sathanam, id est, aduersarium asperè obiurgando nominauerit, Iudam verò traditorem in ipsomet proditionis actu amicum salutare non dubitauerit, quia, & Iudam proditorem, & cæteros suos inimicos, atque persecutores non tanquam inimicos, & aduersarios aspiciebat, sed tamquam desiderij sui ministros: desiderio namque desiderabat seipsum pro Patris honore, & hominum salute in cruce offerre.

Ex ijs omnibus duo se offerunt vltimo consideranda. Primo quidem quod quanquam Deus Pater verbis filio responsum non dederit, per effecta declarauit quàm grata illi fuisset hæc filij deprecatio: namque ea permotus, creaturarum insensibilium quodammodo impetum repressit, ne contra impios in vindictam creatoris sui exurgerent, & contra hos insensatos pro eo pugnarent, sicut ante vltimum iudicij diem fiet. Sicut enim sol lumen suum abscondens, terra contremiscens, petræ se inuicem scindentes, sepulchraque aperta auctorem naturæ pati testata sunt, ita vlterius ad vltionem sceleratorum illorum progrederentur, nisi diuinitus fuissent prohibita. Sed multo euidentius huius orationis effectus patuit in Iudæorum conuersione: quod ijs verbis ostendit Arnoldus ita dicens: Hæc erat cæcitas, hęc ignorantia plebis erroneę quam dimitti charitas Christi postulabat, beneficium præstans ingratis, quod vtique & ibi ex parte completum est, & in fine perfectè complendum, quando intra huius indulgentiæ sinum tota Israelitici populi massa concurret cùm gentium intrauerit plenitudo.]

Arnoldus.

Anselmus.

Deinde sunt consideranda hæc deuotissima Diui Anselmi verba, In cruce eleuatur, irridetur, blasphematur, & ecce dicit: *Pater dimitte illis*. O verbum magnæ patientiæ, magnæ dulcedinis, & indicibilis charitas! Vitã procurat, à quibus occiditur, orat pro eis, & non

& non petit vltionem. Cur ergo tu formica, festuca, vermis, cinis, & puluis vindictam expetis, & remissionem protrahis, cum videas regem gloriæ remittentem contumelias? Quid benignius anima mea vidisti? Ego Domine tuæ maiestatis adorator non blasphemator, tuæ miseriæ contemplator non derisor humiliter peto, vt interpellet pro me tua dulcis humanitas, & dicat, *Pater dimitte illis.*

At, clementissime Dñe Iesu, non ex omni parte interfectores tui, & necis complices de venia ob illatã tibi mortem reddentur securi, si solus Pater dimittat: adest namque & Mater, quę æquale sibi vendicat ius & vindictam requirit: si enim Deus Pater naturaliter te filium Deum ab ęterno genuit, Virgo mater naturaliter te hominem in tempore generauit, filiusque eius etiam naturalis existis: & deinde in hoc peculiare sibi vendicat ius, quod doloris sensum ipsa sola patitur, & experitur. Pater namq; diuinus omnis tristitię atq; doloris est expers: illa orbata manet, & te vnicũ atque dilectum filium amittit; Pater verò, cum quo semper vt Deus existis, te hominẽ ad se vocat. Quapropter ius, & ratio postulare videbantur, vt eã prius placares, & vt dimitteret, exorares. Verùm si huius Virginis, & Matris animum cõtemplemur, eandemmet causam fuisse reperiemus: ob quam neque ipse Christus Dominus, qui iniustè occidebatur, dixit se illis dimittere, quia nimirum tum Christus ipse, tum etiam eius sanctissima Mater plus ob diuinam Patris offensam quam ob sua peculiaria damna cruciabantur, plurisque faciebant iniuriam Patri irrogatam, quam cæteras omnes sibi ipsis illatas contumelias. Hunc ergo sibi simillimum Matris animum intuens Dominus, minimè fore necessarium indicauit illam pro remissione deprecari, sed ipsum Patrem præcipuè offensum vt dimitteret exorare. Cùm igitur pijssimè sit credendum, clementissimam Virginem, atque misericordiæ Matrem illatam sibi in morte filij iniuriam, ex animo propter Deum omnibus, qui in eam conspirauerant, di-


dimisisse, piè etiam asserere non dubito, quod simul atque filium pro transgressoribus orantem audiuit, ipsa pariter pro ijsdem deprecabatur, & lachrymas ex compassione fundens, suos & filij cruciatus Patri offerens dicebat, *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.*

Te igitur pijssima Mater, peccatorum aduocata clementissima humiliter deprecamur, vt licet reos nos esse cognoscas (siquidem peccata nostra illius acerbissimæ mortis causa extitere, & nos quodammodo homicidæ fuimus) pro nobis miserrimis peccatoribus eundem Patrem filij tui deprecari digneris illa eademmet oratione, vt nobis dimittat, quia nescimus quid facimus, quando eius præcepta contemnimus, & ab eo voluntariè separamur: vt hac tua intercessione illa filij tui deprecatio in nobis effectum sortiatur, & illius vi & merito ab ipso misericordiarum patre veniam, & misericordiam consequamur æternam, Amen.

DE EADEM Passione.

SERMO OCTAVVS.

Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso. Luc 23


Nter illos mirabiles effectus, quos oratio illa Christi Domini crucifixi in mundo est operata, primo loco enumeratur hæc subita latronis conuersio, quando ab ipso Patre luminum per Spiritum sanctum interius illustratus, Christi Domini innocentiam & diuinitatem palam confessus est, & scelera sua cognoscens atque dete-

detestans, se omni pœna dignum profitetur. Quam confessionem spe innixa, & charitate exornatam tanti Dominus ipse fecit, vt illico plus concesserit, quàm ipse petierat: postulauerat ille tantum, vt sui in regno meminisset, Christus verò societatem Paradisi illico consequendam promisit, cum attestatione affirmans quod eodemmet die secum Paradisi gaudia esset possessurus, vt proposita verba declarant, quæ secundum folium nostræ diuinæ Vitis super peccatores, ne de venia desperent, extendunt, sub cuius vmbra verè pœnitentes in quacumque hora ingemuerint, summa fiducia conquiescunt.

Postquam Diuus Paulus euangelizare se dixit non in sapientia verbi, ne crux Christi euacuaretur: & deinde mirabilem illum diuinæ sapientiæ ordinem explicauit, quo illi placuit non per humanam sapientiam, sed per prædicationis stultitiam saluos facere credentes, continuò addidit: *Quoniam & Iudæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt. Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam: ipsis autem vocatis Iudæis atq; Græcis Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam.*] Ex quibus verbis euidenter colligitur Christum crucifixum illud esse speculum sine macula, in quo ante credentium oculos omnes diuinæ perfectiones repræsentantur. Quamuis enim vt idem Apostolus ait, Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciantur sempiterna quoque eius virtus & diuinitas, ita vt inexcusabiles sint ij, qui cùm Deum per hæc cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt: non tamen hæ diuinæ perfectiones sic ex creaturis cognoscuntur, vt cognitio illa ad fidei lumen accedat, quo animæ credentium illustrantur, & ad certam diuinitatis cognitionem deducuntur. Hac autem diuina luce vniuscuiusque fidelis mens illustrata in Christo Iesu cruci affixo omnes diuinas perfectiones elucere confitetur, & insuper credit, quod eo mediante, & per eius crucem atque mortem

1. Cor. 1.

Rom. 1.

tem, Deus Pater se fidelibus cognoscendum præbuit, & diuina attributa perfectius declarauit. Vnde effectum est, vt ob illum præcipuè finem Christus Dominus, & crucis mortem sponte subierit, & omnes passionis difficultates superauerit, quia scilicet inde Dei Patris nomen erat manifestandum, gloria amplificanda, & diuinæ perfectiones euidentius ab omnibus cognoscendæ. Cùm Dominus ante passionem solemni pompa ab Iudaico populo ramis, & faustis acclamationibus esset exceptus, inter multa quæ tunc coram discipulis, & omni populo disseruit, de proxima futura passione ac morte verba faciens vehementissimè turbatus est, eamque perturbationem verbis expressit, dicens: *Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam? Pater saluifica me ex hac hora.* hinc primò colligitur quàm graues, & intolerabiles extiterint Christi Domini in passione, ac morte cruciatus, quando eorum sola interior intellectus apprehensio adeo infirmam illam, & inferiorem humanitatis sanctissimæ partem perturbauit, vt in has voces prorumpere coegerit, licet superior animę pars se sponte, & summa deliberatione morti obtulerit. Deinde notandum, quod ad infirmum illum humanitatis effectum superandum veluti supra se reuersus, causam finalem, eamque præcipuam, ob quam ad mortem properabat, exponit dicens: *Sed propterea veni in horam hanc. Pater clarifica nomen tuum*. Quasi dicens: Sit præcipuus finis huius mortis abiectissimæ & acerbissimæ, tui sanctissimi nominis est exaltatio, nec hæc carnis meæ infirmitas atque timor impedimento sint, quin nomen tuum clarificetur, & diuinitatis tuæ infinita perfectio cognoscatur, & glorificetur, quamuis ego omnia sustineam opprobria, cunctosque perferam mortis acerbæ cruciatus. Cùm igitur ad hoc Christus Dominus se in mundum venisse dixerit, vt nomen (id est, diuinas perfectiones) Patris sui hominibus manifestaret, eo breuissimo tempore, quo in cruce pependit, quasi per epilo-

Ioan. 12.

logum quamplurimas diuinitatis suæ excellentias, & attributa declarauit. In ijs igitur verbis, *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.*] quibus latroni humiliter deprecanti, vt sui in regno meminisset, abundantius quàm petierat satisfecit, tres præcipuè considero diuinas perfectiones, quæ mirum in modum, & diuinum nomen, & nostræ redemptionis per mortem Christi Domini in cruce excellentiam extollunt. Sunt autem Veritas, Iustitia, Misericordia. *Amen.*] Affirmationis est attestatio, quo veritas comprobatur. *Dico tibi.*] Iustitiæ fuit actus: *Hodie mecum eris in paradiso.*] immensæ, & incomprehensibilis misericordiæ fuit opus.

Maximè quidem nostra interest, Deum nostrum summè esse verum, non solum fide confiteri, sed & mente & cogitatione sæpè sæpius concipere: namque cùm in diuina lege, & præmia eam obseruantibus, & pœnæ transgredientibus promittantur, si firmiter animo non inhæserit infallibiles esse Dei promissiones seu comminationes, eius præcepta facillimè contemnentur, & cuncta in eademmet lege contenta nihili reputabuntur. Hoc intelligens callidus serpens, vt Euam deciperet atque ad diuini præcepti transgressionem induceret, primum ei persuadere conatus est illam diuinam comminationem: *In quacunq; hora comederitis ex eo, morte moriemini,* non esse infallibilem sed fictitiam, & ideo dixit: *Nequaquam moriemini.* Simulatque igitur stulta mulier sibi persuasit posse illi comminationi diuinæ falsum subesse, miserè decepta est, diuinum præceptum contempsit, & ad vetitum pomum manum extendit. Vnde in veteri lege multoties Deus verax prædicatur, & eius veritatem infallibilem esse ostenditur, vt illius mandata obseruentur, pollicitationibusq; atq; cõminationibus fides adhibeatur. Cũ igitur ex hac firma fide, certissimaq; persuasione circa diuinæ veritatis infallibilitatem nostra salus, & recta vitæ institutio maximè dependeat, Gen. 3.

Christus Dominus exactissimè & ad vnguem omnia ea quæ de vita, passione atque morte sua à Prophetis diuino spiritu afflatis fuerunt prænunciata, est executus: Vnde sæpissimè ab ipso Domino & ab Euangelistis Prophetiæ ipsæ, & veteris scripturæ testimonia in memoriam reuocantur, vt prædictionum diuinarum veritas comprobetur. Id imprimis ostenditur ex illis Domini verbis ad Diuum Petrum, quando euaginato gladio ministris Iudæorum, qui ad eum comprehendendum venerant, Petrus se opposuit, & seruum percussit, cui Dominus vt gladium in vaginam mitteret præcipiens, dixit

Matth. 26. inter cætera: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum? Quomodo ergo implebuntur Scripturæ quia sic oportet fieri.* Cùm deinceps idem Euangelista modum comprehensionis enarrasset, statim adiecit: *Hoc autem totum factum est, vt adimplerentur scripturæ Prophetarum.*] Quod & alias ipse Euangelista Matthæus, tum cæteri multis locis commemorant. Cùm Diuus Marcus refert Christum Dominum inter latrones fuisse crucifixum, illicò

Marc. 15. Isaiæ 53. Prophetiam Isaiæ commemorauit, dicens; *Et impleta est scriptura quæ dicit: Et cum iniquis reputatus est:*] Hoc euidentius probatur ex illis Diui Io-

Ioan. 19. annis verbis: *Sciens Iesus quia iam omnia consummata sunt, vt consummaretur Scriptura, dixit, Sitio.*] Erant quidem iam consummata omnia, quæ & ardens Iudæorum odium, & militum crudelitas potuit inuenire, vt grauius Dominum Iesum cruciarent, at cùm ardentior charitatis flamma, qua ipse Dominus nos ab æterno dilexit, alios adinuenerit cruciatus, quos per Prophetas se passurum esse promiserat, & à ministris illis non inferebant, ipse, vt Diuus Augustinus adnotauit, milites excitauit, cùm de siti conquestus est Scriptum namque fuerat à regio Propheta in persona ipsius Domini crucifi-

Psalm. 68. xi, *Dederunt in escam meam fel & in siti mea potauerunt me aceto.*] Vt ergò hæc Scriptura compleretur, dixit Sitio.] Cùm verò peracta iã essent omnia

ea,

ea, quæ per Prophetas suos prædixerat fore sibi in vita perferenda, tunc dixit, *Consummatum est*, & Spiritum in manus Patris tradidit, diuinam & æternam veritatem vniuerso mundo testatam relinquens, sicut Pilato antea dixerat: *Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati.*] ob hanc ineffabilē veritatem Deū ipsum Saluatoremque nostrum Isaias summis extollit laudibus, ita dicens: *Dominus Deus meus es tu, exaltabo te, & confitebor nomini tuo, quoniam fecisti mirabilia, cogitationes antiquas fideles, Amen.*] Isaiæ 25. Fecisti Domine, in cruce exaltatus, mirabilia: magna siquidem, & satis miranda sunt opera, quæ ibi pro hominum salute perfecisti & omnia ibi magna extitere, magna opprobria, magna sanguinis effusio, magna patientia, magna charitas, magna etiam miracula cum velum templi fuit decisum Sol lumen abscondit, terra tremuit, petræ fuerunt scissæ, & monumenta aperta: magna de Principe mundi, deque peccato, & morte parta victoria, in cuius signum latronem hunc ab inferni faucibus, & leonis ore magna passionis tuæ vi eripuisti. Hæc & alia plurima fuerunt mirabilia, quæ in cruce moriens perfecisti, quibus antiquas illas, imò & æternas cogitationes tuas quibus ab æterno decreuisti pro hominibus talia pati, fidelissimas esse ostēdisti, atq; verissimè adimpletas: *Cogitationes tuas antiquas fideles, Amen*: quasi dicat eas esse eamdemmet veritatem, & ipsum Amen. Quando igitur Christus Dominus in cruce existens eandem veritatis affirmationem à Propheta vsurpauit, manifestum reddidit se diuinæ & æternæ veritati testimonium perhibere, atq; morte sua firmam, & stabilem declarare.

Dico tibi.] Diuinæ iustitiæ summa æquitas, & celsitudo dupliciter per hæc verba explicatur. Primò quidē si pronomē illud, *Tibi*, ad latronem referatur, respectu sui ipsius, ita vt sit sensus, Dico tibi latroni, homicidæ, imò & fratricidæ (si D. Gregorio credimus) viarum insidiatori, quæ omnia vsque adhuc

huc fuisti, & per meæ crucis atque passionis meritum in alium iam es mutatus, totq; scelerum veniã consecutus. Si igitur hoc mirandum diuinæ iustitiæ opus vultis intelligere, reducite in memoriam quàm grauis & seuera sit illa sententia à iusto Dei iudicio contra quemlibet mortiferè peccantem promulgata, vt scilicet statim in damni pœnam incurrat, & pœnæ sensuum maneat obnoxius, æterno igni adiudicatus. Peccatum enim ita se habet, (inquit Chrysostomus) vt mox atque perpetratum fuerit, statim sententiam ferat iudex.] Cuius sententiæ vi peccator primum à Deo, summo bono, separatur, eius gratiam amittit, & omnibus spiritualibus bonis priuatur: deinde sempiternis inferorum pœnis ignis & sulfuris adiudicatur. Vt salutem consequatur peccator, & à peccati macula debet abstergi per gratiæ diuinæ infusionem, qua mediante, iterum Deo ipse vniatur, & insuper pro æternis inferorum pœnis condignam satisfactionem rependere. Hanc perfectam animæ salutem nullus hominum per seipsum consequi potens erat. *Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei*: neque vllus ex se de vigore iustitiæ, vt Theologi dicunt, poterat pro peccato satisfacere. Vtrumque nobis præstitit Christus Iesus Dominus, & Saluator noster, qui innocens, impollutus, & à peccatoribus segregatus se pro nobis in mortem tradidit, atque sui sanguinis infinito pretio nobis & reconciliationem promeruit, & condignam satisfactionem exhibuit. *Cùm enim inimici essemus*, ait Diuus Paulus, *reconciliati sumus Deo per mortem filij eius*. Quod mille alijs locis tum ipse Diuus Paulus, tum cæteri, & Apostoli, & Prophetæ expresserunt. At non paruo ei constitit, huiusmodi redemptio & satisfactio: imò quia totum huius reconciliationis pondus super se sumpsit; diuinæ iustitiæ rigorem, seuerissimumque eius iudicium in passione, ac morte est expertus, vt iuxta omnem eiusdem diuinæ iustitiæ rigorem se sa-

Chrys. ho. 22. in 2. ad Cor.

Rom. 3.

Rom. 3.

satisfecisse probaret. Expendenda sunt illa Isaiæ verba ex parte in alio sermone discussa, sed nunc plenius enucleãda. Propheta igitur in spiritu vnigenitum Dei Christum Iesum crucifixum aspiciens, vulneribus vndique saucium, proprio conspersum sanguine, in summam ductus admirationem, sic interrogando loquitur: *Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra, iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ?* Edom dicitur à rubore, & Bosra à Vindemia: quibus nominibus per allusionem vtitur Propheta, quia de vindemia metaphorã sumit ad passionem Domini describendam, per quam peccata destruxit, & in magna fortitudine, etiam in illa deformitate formosus, redemptionis viam peregit: *Ego,* (respondet Dominus) *qui loquor iustitiam, & propugnator sum ad saluandum.* Et rursus Propheta: *Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* Respondet: *Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum: calcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea, & aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, & omnia indumenta mea coinquinaui. Dies enim vltionis in corde meo, annus retributionis meæ venit.*] Quid hæc omnia significant, nisi feruentissimum illum zelum, quo contra hominum peccata Christi Domini cor flagrabat, de quibus vindictam in se ipso sumebat in cruce, vt ea ab hominum animis deleret, atque de peccatoribus iustos faceret? Hoc enim diuinæ iustitiæ zelo accensus diem vltionis appellat vltimum suæ passionis diem, quem in corde habere se dicit, quia sponte, & magno amoris affectu hanc vltionem in seipso de nostris peccatis est executus, vt nobis redemptionis annum promereretur. Quem redemptionis annum felicissimè ab hoc latrone inchoauit, cuius peccata sanguine proprio deleuit, & pœnas illi debitas de toto iustitiæ rigore proprijs doloribus atque morte exoluit.

Isa. 63.

Aliter etiam diuina hæc iustitia elucet, & miro modo exaltatur, si illud, *Tibi,* intelligatur dictum sancto latroni, respectu alterius socij, qui ex altera parte pendebat: eritque sensus, Dico tibi, & non socio tuo, qui in eadem, & mecum, & tecum damnatione est. Namq; miser ille ex illamet cruce, in qua iuxta Iesum mundi Saluatorem, & mundum sufficientissimè in cruce redimentem ab eodemmet Domino vt iudice iustissimo ad inferos fuit demandatus. O satis pertimescendum diuinæ iustitiæ exemplum! Illo ipso copiosissimæ redemptionis die ex illo mõte remissionis sanguine largissimę irrigatæ, à latere Domini in semetipso de huius mundi principe, deque inferis atque morte triumphante, ad inferos in æternæ mortis chaos latro blasphemus descendit. Namque illa eadem diuina, & æquissima iustitia, quæ in Christi Domini humanitate à Deo seuerè hominum peccata punire non dubitauit, vt salutis viam eis muniret, eadem, inquam, iustissimè in æternas inferorum pœnas eos immittit, qui oblatam respuũt salutem. O admirabilis potẽtia crucis, (inquit Leo Papa) ô ineffabilis gloria passionis, in qua & tribunal Domini, & iudicium mundi, & potestas est crucifixi!] Ex quibus satis admonemur, ne nimiũ de hac sancti latronis subita conuersione confidentes, post concupiscentias nostras eamus, neq; in finem vitæ cõuersionem nostram remittamus, cùm illa hora vnus latro per diuinam misericordiam iustitiæ diuinæ debita omnia persoluit, & ideo coronam iustitiæ accepit; alter ex eodem loco, eodem tempore, ijsdem sufficientibus auxilijs ante oculos positis per eandem iustitiam iustè fuit condemnatus.

Leo Papa ser. 3. de passion.

Hodie mecum eris in Paradiso.] Ecce superexaltat misericordia iudicium, ecce diuinæ misericordiæ magnitudo per vniuersum orbem splendidissimos miserationum radios spargit, cùm latroni eo breuissimo temporis spatio pœnitenti, & tum Domini Iesu innocentiam confitenti, tum scelera sua agnoscen-

ſcenti, & ob id non amplius quàm vt ſui meminiſſet in regno depoſcenti, multo plus conceſsit quàm petere auſus fuerat: promiſit enim, & cum atteſtatione pollicitus eſt, eum habiturum eſſe ſocium paradiſi eodemmet die. *Hodie*, inquit, non poſt multos purgatorij annos, non poſt limbi exilium: vbi quotquot iuſti ante ipſum ex hac vita deceſſerunt in tenebris, & vmbra mortis iacebant; ſed illico vt ex vita migrauit, paradiſum, id eſt, animæ beatitudinem poſſedit, primusque extitit cui hoc beneficium fuit conceſſum, vt eodemmet temporis momento, quo anima à corpore eſt egreſſa, mox in paradiſi gaudium introiſſet. Namque in cruce plenariſsimi iubilæi abſolutionem à culpa, & à pœna fuit adeptus. *Mecum eris*, non in ſinu Abrahæ cum paupere Lazaro, non cum Enoch & Elia in terreſtri paradiſo, ſed Mecum, vt eiuſdem gloriæ ſocius, ſicut & crucis fuiſti, *In paradiſo*, & non in regno, vt palam faceret quomodo per crucem ac mortem ſuam paradiſi ianuam ob Adami peccatum ad illud vſque tempus interclusam iã eſſe patefactam, & omnibus ingredi volentibus peruiam. Hanc diuinam miſericordiam & ſanguinis Chriſti Domini mirabilem efficaciam figuraliter expreſſam in illa liberatione populi Iſrael ab Ægyptiaca ſeruitute, & per mare rubrum tranſuectione, decantauit Moyſes illo triumphali carmine in tantæ victoriæ laudem compoſito: *Dux fuiſti*, (inquit) *in miſericordia tua, populo quem redemiſti.*] Præuidebat namque Chriſtum Dominum humani generis à diaboli ſeruitute liberatorem veluti latronum ducem inter latrones crucifixum, & inde viam cœli aperientem, latronemque veluti ſigniferum præeuntem; ideoque dicit eum fuiſſe ducem in ſua miſericordia, quia ſolus ille erat, qui tantam miſericordiam populo, quem redemerat poterat exhibere: quare addidit, *Et portaſti eum in fortitudine tua ad habitaculum ſanctum tuum.*] Exod. 15.

Poſtquam Chriſtus Dominus ſpiritum emiſit, ad-

adhuc fœlix hic latro viuus in cruce remansit, imò & ijs viribus constans, vt per plures horas vitam pertrahere valeret. Cùm autem summè desideraret dissolui, vt cùm Christo esset in paradiso, existimo sanè, quod instantissimè illum deprecabatur, vt promissis staret, & mortem accelerarct etiam per grauiora tormenta. Cuius petitioni annuens Dominus, permisit crudelem illam Iudæorum petitionem Pilato factam prætextu religionis, Ne remanerent in cruce corpora Sabbatho, vt frangerentur eorum crura, & tollerentur. Quem acerbissimum cruciatum sanctus latro ingenti animi lætitia excepit, & pertulit, atque inter illos dolores anima illa carne soluta ad Christum Dominum statim aduolauit, & paradisi gaudia possedit.

Iis omnibus interfuit sanctissima Virgo, & cùm iuxta crucem staret, audiuit latronis huius pro filio responsionem aduersus alterius blasphemiam, eumque beneuolentiæ oculis intuita, filio in corde commendabat, & tunc efficacius, quando eius humilem & fide plenam orationem percepit. Et minimè dubitandum videtur, hanc Virginis pijssimæ intercessionem plurimum contulisse ad liberalem illam Christi Domini responsionem: pro qua ipsa etiam Deo Patri, eiusque vnigenito gratias egit, præsertim quia tantoperè diuinum nomen exaltabatur, & diuinæ veritatis, iustitiæ, atque misericordiæ perfectiones adeo in illa confessione elucebant. Vnde & peculiari charitatis affectu latronem dilexit tanquam primum redemptionis filium, primitiasque fructuum illius sanctissimæ arboris, in qua filius humanam salutem operabatur. Aspexit deinde morientem filium, & licet vehementi dolore saucia, non tamen latronem despexit, imò compassionis affectu circa illum commota à filio mortuo petebat, vt illum ad se quàm citissimè vocaret. Cùm deinde milites in Caluarium reuerterentur, vt eorum crura frangerent, ipsa maximo affe-

affectu pro latrone intercessit, vt Dominus illi & patientiam, & perseuerantiam concederet. Cernens igitur illum vltimum spiritum exhalantem, animam illam libens comitaretur, vt ad filium simul pergeret, & cum eo in æternum permaneret.

Verùm, clementissima Virgo, adhuc mundus tua indiget præsentia, vt reliqua, quæ à Prophetis de filij tui honorabili sepultura sunt prædicta, exequaris, vt lachrymis atque gemitibus tuis eius resurrectionem acceleres, vt demum te magistra & mediatrice quamplurimi veram fidem amplectantur, & per te omnes Ecclesiæ filij, Christi Iesu vnigeniti Dei, simulque filij tui diuinam veritatem cognoscant & confiteantur, Iustitiam pertimescant, atque misericordiam consequantur: quam nobis concedere dignetur idem Dominus Iesus, qui cum Patre, & viuifico spiritu regnat Deus per infinita seculorum sæcula, Amen.

DE EADEM Passione.

SERMO NONVS.

Dixit Matri suæ: Mulier ecce filius tuus. Deinde dixit discipulo: Ecce Mater tua. Ioan 19.

TErtium se nobis offert Vitis nostræ folium, in hisce verbis, quæ Dominus ad Matrem atque dilectum discipulum iuxta suam crucem stantes est prolocutus. Quæ expendens Diuus Bernardus in ea est sententia, vt existimet, quod in tribus illis primis fo-

folijs, seu verbis à Christo Domino in cruce prolatis, tres nobis expresserit charitatis species circa proximos. Prima circa inimicos exercetur, quãuis inimico & maleuolo animo in nos sint: cuius nobis exemplum præbuit in primis verbis, quando pro ipsis trãsgressoribus Patrem exorauit, veniamq; deprecatus est: de qua & Apostolus loquitur, dicens: *Commendat ante charitatem suam Deus in nobis. Si cùm adhuc peccatores essemus secundum tempus Christus pro nobis mortuus est; multò magis nunc iustificati in sanguine ipsius, salui erimus ab ira per ipsum. Si enim cùm inimici essemus reconciliati sumus Deo per mortem filij eius, &c.*] Secunda verò charitatis species eos amplectitur, qui ex inimicis facti amici pristinum amicitiæ statum detestantur, peccata agnoscunt, veniam, & reconciliationem ex animo quærunt, sicut latroni sancto contigit. Vnde & per hanc Domini charitatem magnam illam misericordiam fuit consecutus. De quo & idem Apostolus ait: *Vos qui eratis longè facti estis prope in sanguine eius.*] Tertia charitatis species eos respicit, qui nunquam inimici fuerunt, imò quos ipsa natura impellente diligere tenemur, vt parentes, consanguineos, & amicos. Huius charitatis perfectionem his verbis tertio loco ex cruce prolatis nos edocere cupiens Dominus & Magister noster Iesus, Matrem dilecto filio commendauit, & rursum discipulum Matri. Quod dilectionis exemplum plurimum nobis à Domino in his verbis commendari existimant sancti Patres, Chrysostomus, Ambrosius, & Augustinus, alijque plures, qui ex illis inferunt, quantum parentibus debeamus obsequium, cùm Christus Dominus in ea vltima vitæ hora Matris curam egerit, & dilecto discipulo custodiendam tradiderit. Diui Augustini verba pijssima referamus. Hæc nimirum est (inquit) illa hora de qua Iesus aquam conuersurus in vinum dixerat Matri: Quid mihi & tibi est, mulier? Nondum venit hora mea. Hanc itaque horam prædixerat, quæ tunc non-

Rom. 5.

Ephes. 2.

Augustin in Ioan.

nondum venerat, in qua deberet agnoſcere moriturus, de qua fuerat mortaliter natus. Tunc ergò diuina facturus, non diuinitatis, ſed infirmitatis matrem velut incognitam repellebat: nunc autem humana iam patiens, ex qua fuerat factus homo, affectu commendabat humano. Tunc enim qui Mariam creauerat, innoteſcebat virtute: nunc verò quem Maria peperat, pendebat in cruce. Moralis igitur inſinuatur locus. Facit quod faciẽdum admonet, & exemplo ſuo miniſtros inſtruxit præceptor bonus, vt à filijs pijs impendatur cura parentibus: tanquam lignum illud, vbi erant fixa membra morientis, etiam cathedra fuerit magiſtri docentis.]
Cùm igitur Chriſtus Dominus Matrem tanto charitatis affectu diligeret, & experientia pateat iuxta dilectionis affectum eſſe & doloris ſenſum, ex ijs etiam verbis inferre licet quo dolore pijſsimum ipſius Ieſu cor cruciaretur, Matrem ipſius crucem aſtantem aſpiciens, animæ interiorem afflictionem intuens, & omnes quos ipſa in corde patiebatur dolores exactè cognoſcens: Vnde quid potius ex ijs verbis colligam dubito, charitatemne illam, Matrem & diſcipulum dilectum tenerrime amplectentem, an eximium dolorem ab eadem charitate profectum: Inter quæ etiam maternum piæ Matris cor quando filium verba proferentem audiuit, anceps ſteтiſſe non dubito, quia ſi tanta filij dilectio in ea quam de ipſa gerebat cura magnam conſolationis materiam inde præbebat, inde tamen acerbiores dolendi cauſæ ſe offerebant, quia eum filium amittebat, qui talia ei amoris ſigna inter tot tormenta, & morti proximus oſtendebat. Quare & amoris, & doloris gladio vſque ad animæ interiora tranſuerberata dilectum filium inflammatũ, & immenſis doloribus circundatum iuxta eius crucem poſita comitabatur.

Hæc vt moroſius contemplemur, illa ſponſi verba expendamus, quibus dilectam ſponſam alloquitur veluti inuitando eam ad ſe in via comitandum

Cant. 4. dum, ita dicens: *Donec aspiret dies, & inclinentur vmbra, vadam ad montem myrrha, & ad collem thuris.*] Myrrha ob sui amaritudinem condiendis cadaueribus inseruiens, mortis dolores designat: Thus verò in igne ardens atque in odorem suauissimum Domino in sacrificijs oblatum, charitatem illam significat, qua Christus Dominus se pro nobis in cruce obtulit. Ad hæc autem contemplanda ipse Dominus fidelem animam inuitat, atque ad illa omnia quæ illo breui diei spatio, quo viuus in cruce pependit, expendenda exhortatur. Et primò quidem vt acerbitatum & multitudinem & magnitudinem exprimeret, ad montem myrrhæ se pergere dicit: quia omnes simul acerbitates super ipsum cruci affixum coaceruatę sunt, ita vt montem Caluariæ, montem myrrhæ merito appellarit. Ad præsepe venerunt Magi, & licet Reges essent, apertisque thesauris suis myrrham inter cætera Domino obtulissent (Deo disponente, vt iam inde ostenderet, se non dulcem & voluptuosam sæculi vitam, sed laboriosam, & amaram elegisse) tamen non in tanta fuit quantitate hæc oblatio, quæ vel vnius onus excederet: quia videlicet eas solum asperitates patiebatur, quas tenerrimum illud corpusculum perferre valebat. Cùm verò iam grandis factus, vitæ vmbra inclinaretur ad mortem, montem myrrhæ ascendit, omniaque asperitatum genera simul perpessus est. *Fasciculus myrrha dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur*, dixit Sponsa de Christo Iesu puerulo, eo tempore, quo à Virginis matris vberibus pendens lac inde sugebat, eius fouebatur sinu, vlnisque portabatur: namque iam eo tempore aspera quamplurima atque amara sustinebat, quæ mater ipsa simul etiam patiebatur: sed erant veluti myrrhæ fasciculus. At postquam in vitæ vltimo fine inter durissima crucis brachia commoratus est, non fasciculus quidem, sed myrrhæ mons meritò dicitur, quia illi cru-

Cant. 1.

ciatus

ciatus crucis omnes alios, quos in vita pertulit, magnitudine & multitudine superarunt. Natus fuit in præsepio, loco vndique aperto frigorique exposito, præsertim & hyeme & nocte, vbi mater pannis eum inuoluit, & quibus potuit modis tenerum infantem fouit. At in cruce nudus pependit, in eminentiori loco montis Caluariæ, vulneribus totum corpus apertum, & in aperto cœlo ventis expositum; neque matri licuit chlamyde propria filium tegere. Inter animalia in præsepe iacuit, at hic inter latrones stetit. Si in vna corporis parte dolorem in circumcisione sensit; in cruce per omnes corporis partes doloribus fuit acerrimis constrictus. Si fatigatus non habebat vbi caput reclinaret, in cruce si caput reclinabat, grauius cruciabatur ab spinea corona. Si pedes ab itineribus lassi fuerunt, & manus in laboribus seruierunt, in cruce clauis affixæ nullam habebant requiem. Si ad puteum Samariæ sitiens à muliere Samaritana aquam petijt, & non accepit, in cruce se sitire declarans, felle & aceto fuit potatus. Denique si per omnem vitæ cursum corpus sanctissimum plurimis attriuit laboribus, in cruce interius exteriusque immensis cruciatibus vsque ad artuum diuulsionem fuit circundatus. Atque vt hic myrrhæ mons magis magisq; augeretur, voluit vt Mater præsens, & iuxta crucem staret, cuius animi dolores intuens, dupliciter cruciabatur, doloresque doloribus addebat. Fontes è mari procedunt, ad mare iterum reuertuntur, ait Sapiens: sic abundantissimus, & omni myrrha amarior afflictionum fons à corde pijssimæ Matris iuxta crucem stantis profluens, ab illo immenso pelago dolorum crucifixi filij sui, quem ante oculos habebat, egrediebatur: qui iterum in ipsius Iesu cor magno impetu reuertebatur, & dolorum amaritudinē mirum in modum augebat. Ne verò magnus ille myrrhę mons aliqua ex parte, licet minima minueretur, & dolorum magnitudo tan-

tantisper leniretur, non dixit Mater ecce filius tuus sed Mulier. Namque cùm matris nomen adeò natura ipsa duce in ore dulcescat, vt quiuis filius inter dolores matrem intuens, matrisque nomen pronunciãs aliquod leuamen consolationis percipere videatur; hinc effectum est, vt Christus Dominus minimam etiam illam consolationem renueret, & non *Matrem*, sed *Mulierem* appellauerit, quo intelligeretur non ob id iuxta crucem astitisse, vt eius dolores mitigaret, sed potius vt augeret, vsque ad montis myrrhæ magnitudinem, qui Caluarium excederet.

Et collem thuris.] Ardens illa charitas declaratur, quæ Christi Domini cor in passione adeo inflammauit, vt singulos tum sanguinis, tum etiam lachrymarum guttas & singulos dolores atque contumelias veluti odorifera incensi grana super sacratissimum crucis altare ante diuinæ maiestatis thronum libentissimè offerret. Vnde effectum est, vt ea omnia quæ passus est (quæ ob sui multitudinem & magnitudinem montis myrrhæ comparantur) ob nimiam charitatem thuris colli assimilentur. Clemens Alexandrinus, vt mysterium spineæ coronæ Christi Domini capiti impositæ explicet, illam magnam visionem Moysi in deserto ostensam pro figura adducit: Vidit namque rubum igne ardentem, cùm tamen neq; folia aut spinę, siue aliquid ipsius rubi combureretur, & inde Dominum ad se loquentem audiuit, qui illum ad liberandum Israeliticum populum à seruitute Ægyptiorum ire iussit. Sic igitur Christus Dominus vt se mundi redemptorem à captiuitate Sathanæ & peccatorum assereret, in arbore crucis inter spinas hominibus se ostendit, & allocutus est. Quæ quidem spinæ, atque omnes illius arboris partes igne ardent, non quidem materiali & visibili, sed spirituali atque diuino charitatis: cuius ea fuit vis, vt & durissimas atque pungentes spinas in sua asperitate relinqueret, & eas simul ardenti charitatis affectu veluti incensi odo-

Clem. Alex. Patriar. lib. 2.

odoriferi grana Patri suo offerret. Ardebant, & non comburebantur, quia & innocuum Domini Iesu caput pungebant, & pro nobis in suauitatis odorem ante Dominum adolebantur. Ex ijs alia infertur causa, cur Dominus Matrem, eamdemque sponsam suam ad hunc montem myrrhæ, thurisque collem inuitauerit, sociamque habere voluerit. Cùm enim illa probè intelligeret per illos filij sui cruciatus diuinæ iustitiæ indignationem contra humanum genus iustissimè excitatam fore placandam, quod ipsa summoperè desiderabat, voluit ipse Dominus, vt illa simul eandemmet oblationem ante Patris conspectum præsentaret. Ipsa verò, vt Diuus Ambrosius adnotauit, non solum filium crucifixum, sed & semetipsam etiam offerebat pro hominum salute immolandam. At Christus, qui torcular calcauit solus, & alterius auxilio ad mundi redemptionem non indigebat, suscepit quidem matris affectum, ait Ambrosius; sed non quæsiuit alterius auxilium.] Hinc Arnoldus: Nimirum in tabernaculo illo, duo videres altaria, aliud in pectore Mariæ, aliud in corpore Christi. Christus carnem, Maria immolabat animam.] Alludit ad duo illa antiqui tabernaculi altaria præcipua: alterum ex ære confectum, quod Altare holocaustorum dicebatur, in quo sacrificia animalium, & auium igni cremabantur: alterum ex auro purissimo, quod Altare thymiamatis nuncupabatur, in quo sacerdos bis in die, scilicet in manè & vesperè, incensum Domino offerebat, & semel in anno summus sacerdos huius altaris cornua sanguine illius agni immaculati pro populi peccatis oblati aspergebat. Virginem igitur matrem holocaustorum Altari comparat, quæ constanti & virili animo, veluti æs, solido, iuxta crucem filij stans eum in corde suo offerebat: At præcipuum altare sancta crux fuit charitate diuina deauratum, & pretiosissimo sanguine quasi agni immaculati Christi aspersum & consecratum: quod altare noster idem summus Sacerdos Iesus semel

Amb. super Luc.

Arnoldus.

ascendit (quia semel pro peccatis nostris mortuus est,& vna oblatione omnia consummauit)ibi omnes suas passiones atque dolores veluti incensum offerebat. Et insuper ad maiorem huius thuriferi collis cumulum etiam matris dolores; piamq; moriendi voluntatem obtulit.Hinc alia infertur ratio, ob quam Dominus non Matrem,sed Mulierem nominauit. Cùm enim Virgo pijssima propter nimiã hãc charitatẽ,qua filium suum in pectoris sui altari pro hominum salute obtulit,dignissima non solum mediatrix,sed & omniũ filiorum Dei,qui per mortẽ eiusdem filij sui erant in vnum Ecclesiæ ouile congregãdi,mater efficeretur,noluit eam peculiari matris suę nomine appellare; sed eo vniuersali nomine, *Mulier* scilicet, quam nimirum ad plurimorum filiorum spiritualem generationem sociam adhibebat. Huius spiritualis procreationis innumerabilem multitudinem per redemptoris nostri mortem pro-
Isaiæ 53. ducendam præuidens Isaias & admirãs,ait: *Generationẽ eius quis enarrabit? quia abscissus est de petra viuentium.*] Et paulò post: *Si posuerit pro peccato animã suam, videbit semen longæuũ.*] Cùm igitur huius abũdantissimæ generationis filiorũ Dei adiutricẽ iuxta crucem Matrẽ suam cõstituisset,& si matrem nominasset,suijpsius tantum matrẽ esse videretur intelligi, vniuersaliori nomine Mulierẽ appellandã duxit.
Genes.17. Eo tempore,quo Dñs Abrahamo promisit futuram Isaac natiuitatem,& ex eo innumerabilem ferè posteritatem processurã,pręcepit statim vt vxoris nomen mutaret; dicebatur illa *Sarai,* hoc est, *Princeps mea,* iussit Dñs vt deinceps diceretur *Sara,* id est, *Princeps* absolutè. Namq; particula illa, *Mea,* restringere quodãmodo, & limitare videbatur nomẽ principis illius,quæ filium erat genitura,ex quo tot Principes & reges atq; tot populi & gentes erãt processurę. Ad hunc ergo modum quando Christus Dominus futuri seculi Pater matrẽ suam sanctorũ filiorum redemptionis suæ Matrem constituit illis verbis, *Ecce filius tuus,* non matrem quasi sibi soli propriam,sed mulierem quasi vniuersalẽ parentem omniũ viuẽ-
tium

tiū,ſicut vera &propria Eua,meritò nuncupauit.Si verò quātis doloribus hoc vniuerſale nomen Virgo ſanctiſſima acquiſierit conſideres,inuenies quidem longè plura fuiſſe perpeſſam,vt omnium filiorū Dei adoptiuorū mater efficeretur,quàm cùm vnigeniti filij Dei mater eſt effecta. Tūc enim in ſermone angeli aliquantulum turbata,&dubia atq; ſollicita de virginitatis ſuæ cuſtodia quæſiuit, quomodo fieri poſſet, vt ſeruato virginitatis voto mater efficeretur:à qua tn̄ anxietate ſtatim atq; angelus Dei omnipotentiam commemorauit,firma fide fuit libera, Spiritus S.obumbrationem perſenſit,Verbum diuinū in vterọ ſuſcepit & vt homo fieret ex puriſſimo ſanguine carnem miniſtrauit,atq; ſalua virginitatis integritate fit grauida ſine onere, in partu omnium dolorū atq; miſeriarū,quibus cæteræ mulieres ſubijciūtur, fuit expers, cū tn̄ vera & naturalis filij Dei mater effecta fuerit.Hoc verò mulieris nomen quādo multorū filiorū mater fuit cōſtituta, multos ſecū dolores atq; quāplurimas afflictiones detulit.Expēdite quæſo illā Dei ſententiam in primā mulierē ꝓmulgatā, quādo ſpōte ſua ſceleratorū filiorū elegit mater fieri, *Mulieri quoq; dixit* (Deus ſcil.) *Multiplicabo ærumnas tuas, & cōceptus tuos, in dolore paries filios.* Iuxta veriſſimā multorum Theologorū ſententiam, ſi Adam diuinum pręceptum non tranſgreſſus eſſet,& in originali iuſtitia ſimul cū vxore perſeueraſſet,non generaret filios gehennæ, ſed ſolos filios regni,quam D.Grego.ſequitur, dicens,ſi parentem primum nulla putredo peccati corrūperet, nequaquam ex ſe filios gehēnæ generaret, ſed hi qui nūc per redemptionem ſaluandi ſunt, ſoli ab illo electi naſcerentur.] Quare mulieri illi (quam vt eſſet filiorum Dei prima parens, Dominus Adamo ſociam dedit) ſi iuſtitiam originalem atq; gratiam in qua fuit condita,cōſeruaſſet,partus non erant multiplicādi,neq; in dolore filios paritura:poſtquā verò culpa ſua tot gehēnę atq; perditionis filios ꝓcreauit,iuſtiſſimè ærūnas atq; dolores in partu perpetitur.Cū igitur, ô clemētiſſima Virgo, vltra filiū naturalē Dei

Gen. 3.

Greg. moral. lib. 4.

ſimul & tuum Chriſtum Ieſum, alios adoptionis filios habere deſideres, qui ex filijs iræ & condemnationis, in adoptionem filiorum Dei ſunt regenerandi, quos tibi ipſe filius tuus ex cruce in dilecto diſcipulo oſtendit, dicens: *Mulier ecce filius tuus*,] in hac ſpirituali generatione, in dolore paries filios, patieris ærumnas, tot afflictionibus cruciaberis, vt in montem myrrhæ iuxta filium crucifixum iure poſita, & ſtans dicaris. Ex quibus afflictionibus ipſa pia Mater thuris collem conficiens, in ſuauiſsimum odorem Deo in ipſo crucis altari offerebat.

Hinc alia ſe offert ratio, cur Dominus Matrem ſuam Mulierem appellarit. Namque poſtquam prima illa Mulier totius perditionis humanæ cauſa fuit, exoſum aliquo modo extitit nomen Mulieris: quod aliquo modo innuit illa Adami excuſatio, *Mulier, quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Quamobrem noſter hic ſecūdus Adam, per quē omnia in melius erant reparanda, vt à mulieris nomine omnē ignominiæ notam ablatam eſſe demonſtraret, matrem ſuam, quam redemptionis veluti ſociam adhibuerat, mulierem nominauit: quia ſi per mulierem mors, etiam per mulierem vita: ſi mulier filios iræ, & indignationis in doloribus corporis peperit, mulier etiam gratiæ & beneuolentiæ filios iuxta crucem ſummis animæ doloribus cruciata meruit regenerare. Ex quibus piam ego infero conſiderationem ad huius ſanctiſſimæ mulieris, ſecundæque Euæ meritum amplificandum: exiſtimo namque quod ſi aliquod Chriſtus Dominus inter acerbiſſima crucis tormenta leuamen conſolationis habuit, illud percepit huius mulieris iuxta crucem ſuam ſtantis puriſſimam intuens animam. Omnes mundi animas tam eo tempore exiſtentes, quàm præteritas, & futuras, ex ea cruce intuebatur, omnium illarum pondera peccatorum ſuſtinebat; vt pro omnibus ſufficientem Deo Patri ſatisfactionem exhiberet: omnes igitur tormentorum & crucis pondus grauius reddebant: ſo-

Genes. 3.

ſolam autem Virginis animam ab omni peccati onere liberam inuenit, quia per ipſius paſsionis atque crucis meritum eam ab omni peccati labe præſeruauerat, vt in eius puriſsima innocentia inter tot dolores conquieſceret. Hoc mihi ſignificare videntur illa ſponſi verba in laudem ſponſæ ſuæ decantata: *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* Cant. 2. Namque cùm Dominus in cruce pependit, omnes animæ illius animam veluti præacutæ ſpinæ pungebant, quia (excepta huius Matris anima) nullam à peccato liberam inuenit (*Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei,*) à quibus quidem peccatis (originalia ſint aut actualia) plus Domini Ieſu anima cruciabatur, quàm ab ſpinis caput ipſius transfigentibus. Cuius figura in eo ariete Abrahæ Gen. 22. oſtenſo, vt eum loco filij immolaret, præceſſit, qui inter vepres cornibus hærebat. Cornua illa diuinam Chriſti Domini crucifixi virtutem, diuinamque ſapientiam deſignabant, quæ inter ſpinas hærebant, quia per illam ſapientiam omnia hominum peccata ante ſe habebat, & diuina virtute fultus, omnium aculeos perferebat. Quid dicam, bone Ieſu? quot peccatorum ſpinis ego miſer innocentiſsimum caput tuum acerbiſsimè pungere non ſum veritus! O Agne manſuetiſsime, & immaculate, quem oculis fidei conſpicio in hac cruce inter vepres hærentem, & vndique vitiorum meorum ſpinis circundatum, ita vt in nullam partem te valeas conuertere, quin dolores non ſentias, & aculeis non pungaris! Cunctæ hominum animæ tibi ſpinę ſunt, cunctę peccatis proprijs originalibus ſeu actualibus te quoquo modo cruciant, & affligunt. Eſtne anima aliqua ab hac tua afflictione immunis? Eſt certè, dicet ille, eſt, inquam, mater & ſponſa mea, atque amica fideliſſima, quæ iuxta meam crucem ſtat: hæc namque inter hos pungentes ſpinarum aculeos ſicut pulcherrimum & ſuauiſsimum lilium oculos meos oblectat atque ſummis doloribus aliquod leuamen præbet.

Mulier, Ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo &c.] Docet quidem nos Christus, quanta cura pro parẽtibus affici debemus, vt initio adnotauimus. Cùm verò non Matrem sed Mulierem nominauit, nos etiam docet nihil, nec maternum affectum, remorari nos debere, quin Dei voluntatem perficiamus. Sicut igitur pius filius de matris comitatu, & obsequio moriens curã gessit eam dilecto discipulo cõmendans, & veluti Matrem colens & diligens: sicut verò humillimus Dei sui seruus factus obediẽs vsq; ad mortẽ, mortẽ aũt crucis, maternum affectũ posthabuit, & à matris nomine abstinuit. Dixerat ipse

Matth. 10. Dñs discipulis, *Qui amat patrẽ aut matrẽ plus quàm me, non est me dignus.* Et alibi cõuersus ad turbas: *Si*

Luc. 14. *quis venit ad me & non odit patrẽ suũ & matrẽ & vxorẽ, & filios & fratres, & sorores, adhuc autẽ & animã suã, nõ potest meus esse discipulus.* Hoc igitur quomodo sit intelligẽdum exẽplo hoc suo moriens declarauit, quando à matris nomine abstinuit, cùm tñ de eius cura adeò sollicitum se ostẽderit: quia videlicet ita parẽtes colere atq; diligere debemus, vt hic naturalis affectus omnino relinquatur in ijs rebus, quæ ad Dei honorem augendum, eiusq; voluntatẽ exequendam, & animæ nostræ salutem acquirendã cõducunt. Quod ideò Dñs & Magister noster toties & verbis & exemplis edocuit, quia quo iustiori titulo hæc in parentes atq; propinquos dilectio cohonestatur (vtpote quæ diuina ac naturali lege fulcitur) eo magis in ea periclitamur. Vt autẽ ostenderet sanctiss. matrẽ suã hunc charitatis & pietatis ordinẽ perfectissimè ab eo didicisse & seruasse iuxta crucẽ, eã nõ Matrẽ, sed Mulierem nominauit; quia nimirũ vt diuinæ ęterni patris voluntati se obedientissimã exhiberet, naturalẽ matris affectum ob diuinã charitatẽ superans, ita spontaneè humanitatẽ illam filij quã ex se genuerat pro ipsius Dei honore hominũq; salute in corde offerebat atq; si non mater, sed quæuis alia mulier existeret. De Abrahamo promptissimè Dei mãdatum in immolatione filij exequente, dixit

Chrysostom. Chrys. Præoptauit non appellari Pater, vt seruus be-

neuolus appareret.] Cũ igitur hæc pijſsima Virgo & mater, vt ſe obedientiſsimã æterni Patris ancillã oſtenderet, maternum poſthabuit amoris affectum, ea propter ibidem à Chriſto eius filio Mulier & non Mater nominari dignum fuit.

Ecce filius tuus. Ecce mater tua.] Pie quidẽ D. Ambroſ. exiſtimat Chriſtum Dominum teſtamentum per hæc verba condidiſſe. Ait enim: Teſtabatur de cruce Chriſtus, & inter Matrem & diſcipulum pietatis officia diuidebat.] Quę autẽ hęc officia ſint, ex natura & proprietate pietatis, quę moralis eſt virtus, intelligere licet. Eſt autem pietas, iuxta Tullium à D. Thoma relatum, per quam ſanguine iunctis, patriæque beneuolis officium, & diligens tribuitur cultus. Vnde ſicut ex debito naturæ filij parentes tenẽtur colere, eiſq; omni diligentia inſeruire, ita etiã parentes filios diligere, illorumq; curã gerere. Cùm igitur Chriſtus Domin⁹ matri dixit: *Ecce filius tuus*, diſcipulum dilectum deſignans, eidem matri veluti teſtamento maternã dilectionem circa illum, & circa omnes adoptionis filios legauit. Cũ deinde dixit diſcipulo, *Ecce mater tua*, illi eodẽ teſtamento quaſi vltimum legatum commẽdauit, vt eam veluti matrem coleret, & omnibus pietatis officijs proſequeretur. Et (vt Diuus Thomas ait) iſte tantum ſeruiret, vt filius matri; illa illum diligeret, vt filium mater. De ſeipſo affirmat dilectus diſcipulus, quod ex illa hora, vt ſibi commiſſum legatum exequeretur, eam in ſua officia accepit, atq; deinceps veluti matrẽ & dilexit, & omni obſequio eſt proſecutus. De illa verò nihil dixit, quia nimirũ dubitari nullo modo licebat, quod vltimã filij voluntatẽ eſſet ſedulò impletura, quippe quæ ſemper fecerit ea, quæ illi placita eſſe intellexerat. Quare & dilectũ filij ſui diſcipulũ, & in eo cũctos redẽptionis filios eſt amplexata atq; in ſuos recepit, vt omniũ veluti mater curã gereret. 2.2.q.101.a.1

Ergò dulcis Domina, & pia mater, te enixè obſecramus, vt memineris illius doloroſæ ſtationis, qua filio in cruce pendenti aſtitiſti. Reduc quæſumus, in memoriam innocẽtis cordis tui anguſtias, quando

filium te alloquentem audisti, & recogita, quòd cùm ipse pro peccatoribus omnia toleraret, tibi etiàm filios peccatores commendauit. Ille nobis præstitit, vt fratres eius simus: Ergo ne dedigneris, pia mater, vt simus filij tui. Accipe tibi commendatos filios, qui te in matrem & patronam libentissimè recipimus. Noli nos, ô clementissima mater, spernere propter eum, qui nostrum omnium amore cuncto corpore laceratus coram te in cruce pependit. Qui etiam cum Patre & Spiritu sancto viuit, & regnat Deus in æternum, Amen.

DE EADEM Passione.

SERMO DECIMVS.

Et circa horam nonam clamauit Iesus voce magna, dicens: Eli, Eli, lama sabathani: hoc est, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? Matth. 27.


Vm tenebræ factæ fuissent super vniuersam terram ab hora sexta vsque ad horam nonam, ferè per spatium trium horarum, circa horam nonam antequam tenebræ omninò desinerent, magna voce clamauit Dominus Iesus. Quæ quidem vox, vt O-
Orig. rigenes adnotauit, non solum dicitur *Magna*, quia valdè sonora, & magno sonitu ex altitudine crucis in summitate montis Caluariæ collocatæ, ad aures multorum peruenit, sed insuper ex eo magna, quia magna in se continet mysteria. Magnum enim dolorem declarant hæc verba, magnum amorem, magnam compassionem, & plures alios interiores affe-

ctus

ctus, quibus Dominus Iesus humana corda voluit vsque ad interiora penetrare, cum magna voce illa protulit, quo eorum sonitus in omnem terram exiret, qui in Ecclesia sua perpetuo exaudiretur. Vt igitur huius magnæ vocis mysteria aliqua ex parte peruestigemus, prius de tenebris illis est agendum, quæ iuxta Euangelicam narrationem à sexta hora (id est, à meridie) incœperunt, & vsque ad horam nonam (id est, vsque ad tertiam post meridiem, vel circa) perdurarunt. Cunctæ igitur terrarum plagæ, quæ illis tribus horis à sole illustrabantur, illius defectum perspexerunt, & in tenebris steterunt. Hoc mirabile prodigium ipsos etiam mundi sapiêntes, & insignes Astrologos in magnam duxit admirationem, cùm, (vt Diuus ait Dionysius, scribens & ad Polycarpum, & ad Apollophanem Philosophum) iuxta naturalem cœli cursum, planetarumque concursum eo tempore sol eclipsim pati minimè debuisset. Quare Dionysius ipse Hierapoli cum eodem Apollophane simul existens, eum vt peritissimum Astrologiæ interrogauit, quid de secretis illis intelligeret? Cui Apollophanes, licet gentilis, diuino quodam afflatus spiritu, & non humani sensus sermonem intulit, inquiens: Hæ, ô bone Dionysi, diuinarum vicissitudines sunt rerum.] Quas quidem vicissitudines, tantique prodigij causam postea prædicante Athenis Diuo Paulo, Dionysius ipse planè agnouit, & Christianæ fidei manus dedit. Huius verò mirabilis signi cùm plurimæ à sanctis Patribus causæ assignentur, eam tantũmodo explicabimus, quæ magis ad rem nostram facit: ea autem est, quia vt iustus Dominus quàm seueram de hominum peccatis in dilecto filio vindictam sumeret, aperte declararet, lumen solis subtraxit, & tenebras immisit. Ex multis namque scripturæ locis constat, quod quando Dominus veluti indignabundus, & ira atque furore repletus ingentes comminatur pœnas, inter eas obscuritatem & tenebras cõmemorat. Vnde Amos: *Et erit in die illa,*

Dionys. Areop.

Amos 8. *dicit Dominus Deus, occidet sol in meridie, & tenebrascere faciam terram in die luminis.*] Et cùm Christus Dominus de horribilibus signis extremum iudicium præcedentibus discipulos admonet, posuit in Luc.21. primis, *Et erunt signa in sole, & luna, & stellis.*] Quæ signa iuxta communem doctrinam, in eo ostendentur, quia omnia cœli luminaria lucem suam abscondent, & densissimæ tenebræ mundum occupabunt. Quapropter vt ostenderetur seuerissimum fuisse iudicium, quod Deus Pater in filio crucifixo exercuit, tenebras in mundum immisit lucemque abscondit. Si pater aliquis filium adolescentem seuerè punire disponit, noctis tempus præstolatur, & clauso ostio nè à matre famulisve impediatur, in lecto iacentem, remota luce, ne ad miserendum commoueatur, crudeliter verberat. Sic Deus Pater omnium nostrum scelera in filij sui humanitate seuerissimè puniens, veluti si omnem exueret pietatem, cœli ianuas ad eum exaudiendum quodammodo clausisse videtur, tenebris mundum repleuit, quasi nollet, vel matris lachrymis, vel filij vulneribus ad pietatem commoueri.

Et circa horam nonam clamauit Iesus voce magna, &c.] Per illas tres horas, quibus tenebræ perdurarunt, cuncta in summo stetere silētio, cessarunt blasphemantium voces, suspensa, & stupore correpta erant omnium corda & ora. Antequam verò tenebræ inciperent, admirabilem Dominus in cruciatibus tolerantiam ostenderat, adeoq; se superiorem ipsis doloribus exhibuerat, quando in eleuatione crucis vehementiores fuisse videbant, vt tunc Patrem pro crucifixoribus exorarit, latroni ad optata responderit, Matrisque suæ atque dilecti discipuli curam egerit. Vnde poterat alicui in mentem venire, illum sensu dolorum caruisse, vel ob illam potionem vini myrrhati (quàm licet non bibisset, leuiter degustauit) redditum aliquo modo stupidum, & mortis acerbitatem parum sentientem. Vt igitur manifestum redderet se perfectissima sensuum integri-

tate

rate vigere, & vehementissimis atque inexplicabilibus tormentis interius exteriusque per illas tres horas fuisse cruciatum, magnam illam emisit vocem, & ingenti clamore se à Deo derelictum conquestus est. Ex quibus verbis inferre licet dolorum & multitudinem & magnitudinem. Quare Tertullianus martyres exhortans, ait, Omnia quæ in nos cadere possunt tormentorum genera, superat extremus ille Christi dolor.] Quia nimirum & dolor in se grauissimus extitit, & insuper sic Deus illam Christi Domini humanitatem in tormentis dereliquit, vt omnem illi & diuinam & humanam consolationem eo tempore denegauerit, vti dicemus. Tertull. ad martyr.

Christus Dominus, vt verus homo, omnibus ijs partibus constabat, quæ ad naturæ humanæ integritatem pertinent. Corpus habebat carneum perfectissime organizatum, sensibile, mortale, atque passibile: erat insuper corpus animatum, & anima humana informatum. in illa anima duæ illæ erant partes à Philosophis atque Theologis explicatæ, pars scilicet superior & rationalis, & pars inferior animalis & sensitiua, quæ nomine proprio dicitur appetitus sensitiuus. Anima igitur illa sanctissima Christi Domini in ea superiori & intellectuali parte ab ipsomet incarnationis instanti diuinam vidit essentiam, perfectamque beatitudinem atque gloriam est adepta. At mirabili diuinæ potentiæ ordine in inferiori atque sensitiua parte omnia humana patiebatur. Qua catholica doctrina supposita, & firma fide stabilita, docet summus Pontifex Innocentius tertius, quòd eo tempore, quo Christus Dominus viuus in cruce pependit, cum magno excessu tria tormentorum genera perpessus est, Passionem videlicet, Propassionem, & Compassionem. Passionem in corpore, Propassionem in mente, Compassionem in corde. In quibus omnibus tormentis, quomodo Christus Iesus fuerit à Deo derelictus, cum sanctis Patribus ostendemus. Innoc. 3. de myster miss. l. 5 c. 10.

Pas-

Passionem in corpore sustinuit acerbissimã, cum quia grauissimi fuerunt dolores, tum quia per vniuersum corpus extendebantur vsque ad neruorum distentionem, artuumque conuulsionem (vt superius late in alijs sermonibus declarauimus.) Quam vehementissimam corporis passionem ipse Dominus per Dauid prophetam antea declarauit in eodemmet Psalmo, ex cuius initio hæc verba quę magna voce clamans ex cruce protulit, desumpta esse constat(quem vsque ad finem Dominum pronunciasse aliqui non incongruè arbitrantur) Psalmus

Psalm. 21. vero sic incipit, *Deus, Deus meus respice in me, quare me dereliquisti.*] Et prosequitur propheta in Christi persona opprobria, irrisiones, & blasphemias fere iisdē verbis enarrare, quibus ab impijs Iudęis & militibus fuit Dominus in Cruce illusus. Deinde corporis acerbissimos dolores exposuit inquiens; *sicut aqua effusus sum, & dispersa sunt omnia ossa mea. Factum est cor meum tamquam cera liquescens in medio ventris mei. Aruit tamquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis, & in puluerem mortis deduxisti me.*] In hac autem vehementissima corporis passione atque inter hos inexplicabiles dolores, fuit corpus illud sanctissimum derelictum & omnibus illis rebus priuatum, quæ humanam fragilitatem ad mitigandos dolores quoquomodo iuuare solent. Et in primis multum confert ad perferendos dolores corporis solis atque diei lucem aspicere. *Dulce lumen*, ait sapiens, *& delectabile*

Ecclesi. 11. *est oculis videre solem*. Quocirca patet experientia omnes qui infirmitatem aliquam seu dolorem patiuntur plus in nocte, ac tenebris vexari, & ideo diei lucem desiderant, quia aliquod leuamen sentiunt. Hac pertenui consolatione caruit Christus Dominus in Cruce, quando diuina virtute imperante sol obscuratus est & tenebrę factę sunt super vniuersam terram, quia cum viuus in Cruce quatuor tantum horas perdurauerit Dominus, ex illis per tres fere in tenebris fuit derelictus atque lucis solatio destitutus.

tus. Deinde amicorum & affinium presentia non parum conducit ad deleniendam dolorum vim, quando operibus vel saltem verbis remedium adhibere queunt. At Christus Dominus à maiori amicorum parte fuit derelictus, discipuli namque relicto eo omnes fugerunt, simulatq; fuit in horto comprehensus: & qui ex notis eius aderant à longè steterunt, excepta Virgine matre, discipuloque dilecto, & paucis mulieribus; quæ iuxta eius crucem stabant. Ex quorum præsentia & aspectu non solum nullam percepit consolationem, quinimò inde etiam magis cruciabatur, vidēs doloris gladiū matris, quam vnicè diligebat, animam pertransire, & dilecti discipuli, sanctarumq; mulierum summam afflictionem. Sæpè enim contingit, vt egregia animi fortitudo corporis ingentes dolores leuiores efficiat, ita vt facilius perferantur, sicut patet in Romano Scæuola, qui Porsenam Regem, Romanos grauissimo bello prementem occidere non valens, quia pro eo alterum deceptus occidit, in ardentem aram (vt refert Diuus Augustinus) ante oculos eius dexteram extendit, eamque tenuit immotam atque si nihil pateretur. Nonnūquam etiam à vehementi tristitia vel mortis timore ita sensitiuæ potentiæ occupantur, vt tormenta non sentiant. At hæc omnia in Christo Domino locum minimè habuerunt. Licet enim summæ tristitiæ atque naturali timori (vt dicemus) locum daret, ob carnis infirmitatem; non tamen eatenus, vt doloris sensus quoquomodo impediretur. Neque item egregia illa animi fortitudo & audacia, qua sponte & promptissima voluntate se morti obtulit, corpori infirmo & passibili aliquod subsidium contulit, quo doloris vis aliqua ex parte minueretur; sed fuit caro illa sanctissima in sua infirmitate & passibilitate adeo derelicta, vt quantum possibile foret tormentorum acerbitatem pateretur.

Aug. de Ciu. Dei, li. 5. c. 18.

Fuit etiam derelicta humanitas illa Christi Domini in ea inferiori animæ parte, quæ sensitiua siue ap-

appetitus sensitiuus peculiariter nominatur, in quo naturales & animales passiones resident, videlicet, amor, odium, timor, tristitia, gaudium, & alia huiusmodi. Omnia enim habuit quæ ad integritatē atq; perfectionem humanæ naturę conducunt, sicuti diximus, omni culpę imperfectione sublata. Quapropter quāuis hæ passiones animę ob deprauatę naturæ corruptionē semper in nobis aliquid malitiæ & imperfectionis secum ferant, in Christo tamen Domino nostro naturæ officia & inclinationem exercuerunt absq; vllo defectu seu imperfectione. Hinc effectum est, vt D. Hieron. has humanæ animæ affectiones in Christo Domino non Passiones, sed Propassiones appellādas esse docuerit. Quem loquēdi modum communis Theologorum schola est amplexata: quo loquendi modo etiam vsus est Innoc. cùm dixit Christum Dñm in cruce habuisse Propassionem in mente. Cuius locutionis ea est ratio, quia in communi modo loquendi animæ passiones illæ intelliguntur, quæ aliquo modo rationem vel anticipant, vel interturbant: quod longissimè à Christi Dñi anima aberat. Ideo verò Propassiones proprio nomine dicuntur, quia erant motus ex appetitu sensitiuo naturaliter emergentes, ibi tamen consistentes, neque vltra progredientes, rationem ve attingētes. Ratio namq; & superior illius animæ pars, & à diuinitate verbi, cui erat vnita, & ab infusa gratia atq; diuina luce illustrata humanitatem illam in omnibus iuxta diuinam regebat voluntatem. Vnde D. Augu. postquam probauit hos humanos affectus verè fuisse in Christo Domino, addidit: Verùm ille hos motus certæ dispensationis gratia, ità, cùm voluit, suscepit animo humano, vt, cùm voluit, factus est homo.] Cùm igitur dum in cruce pependit, mortem tanta acerbitate atq; afflictione perpeti disposuerit, quantam ab humano corpore sustineri erat possibile, animam suam in ea inferiori & sensitiua parte ab omnibus illis propassionibus summè vexari permisit, atque in vehementi tristitia, ingenti timore, cæterisq; afflictionibus & angustijs, quæ ex

Hier. super Matth.

Aug. de Ciu. lib. 14.

ijs progrediuntur, dereliquit omni ſolatio deſtitutam. Quæ omnia cum intus in anima pateretur, omnes corporis dolores longè excedunt. Illi qui cordis palpitationes, deliquium, vel aliquod aliud malum patiuntur, fatentur tam graue & acerbum eſſe, vt ſi illis detur optio, quamcunq; aliam corporis ægritudinem grauiſsimumve dolorem libentiſsimè ſuſtinere ſint parati, dummodo ab illa cordis infirmitate liberentur. Eſt nimirum hæc afflictio & cruciatus in parte ſummè ſenſitiuâ, vtpotè, & ſenſus, & vitæ principio, vnde efficitur, vt & ſanguis & vitales ſpiritus per reliquas partes corporis diſperſi ad ſubueniendum cordi concurrant, quare & facies fit pallida, & manus pedesque frigeſcunt, gelidusq; per ima cucurrit oſſa tremor. Ex quibus conſiderare licet, qualiter illa ſanctiſsima anima fuerit cruciata. Sanguis cordi adiumento eſſe nequibat, quia per tot aperta vulnera vndique defluebat: vitales ſpiritus iam erant penè emortui & frigore conſtricti: vnde ipſe Dominus per Prophetam dixit: *Dereliquit me virtus mea*.] Superior illa animę pars beata quidem erat, diuina fruebatur viſione, gaudio ineffabili erat repleta, at omnem ſubtraxit in inferiorem illam partem ſolatij influentiam, & ita eam omni conſolatione deſtitutam reliquit, atque ſi alterius hominis ea animæ pars exiſteret. Si Patris æterni diuinam perſonam ſpectemus, poterat quidem humanitati illæ filij ſui dilectiſsimi, in quo ſibi bene complacuit, aliquod conſolationis ſubſidium impendere: attamen ſic eum in doloribus dereliquit, atque ſi filium eum non agnoſceret. Vnde iuxtà multorum ſententiam, his verbis Chriſtus Dominus peculiariter Patrem alloquitur, quem tamen Patrem appellare non audet, ſed Deum: atque addens, *Meus*, ſemel & iterum, *Deus meus*, *Deus meus*, inde ſe grauius torqueri declarat, quia derelictus fuit à Deo, quem ſuum eſſe Deum ſpeciali modo confitebatur. Quare nonnulli ad Chriſtum Dominum illud Pſalmi octogeſimioctaui referunt: *Tu verò repuliſti, & deſpexiſti, repuliſti*

Chri-

Christum tuum. Si deinde ad ipsam Verbi, filij Dei personam oculos mentis conuertamus, cùm anima illa eidem verbo quoad omnes sui partes esset vnita, æquum videbatur esse, vt inferiorem illam atque infirmam partem consolaretur: verùm ita etiam dereliquit atque si sibi non esset vnita. Quocirca Epiphanius arbitratur hanc Domini querelã peculiariter ab illa humanitate ad sibi vnitam diuinam illam personam referri, ita inquiens: Quum igitur motus sic fieret ab humana natura, vox ad suam propriam Deitatẽ dicebat: *Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquisti?* Ab illa namque diuini Verbi persona humanitas Christi Domini in omnibus dirigebatur, & quicquid patiebatur, diuinitus erat ordinatum. Denique si Spiritum sanctum consideremus, qui peculiari nomine Paracletus, hoc est, Consolator, nominatur, qui etiam illius humanitatis præcipuus dicitur auctor (sicut Angelus sancto Ioseph dixit: *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est*) qui insuper illam animã omni gratia omnibusque virtutibus atque diuinis perfectionibus adimpleuit, quod in baptismo ostendit, quando super Christum Dominum in columbæ specie descendit, & super eum mansit: hic, inquam, spiritus optimus, afflictorum consolator, dulcis animæ hospes, dulce refrigerium, hic, qui in labore est requies, in æstu temperies, in fletu solatium, poterat humanæ illi naturæ Domini Iesu crucifixi quantulumcunque requiem seu minimum solatium communicare. Verùm eam etiam in medijs afflictionum acerbitatibus dereliquit.

Epiph. hær. 63.

A tota igitur Trinitate anima illa in appetitiua partes inter pœnas & dolores sic fuit derelicta atq; si diuinitati non esset vnita: cuius derelictionis magnitudinẽ expressit, quando magna voce clamauit: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Huic derelictioni Diuus Prosper Iephtæ historiam de filiæ sacrificio accommodat. Nemque cùm Iephte Dux fuisset constitutus contra Ammonitas votum

Prosper.

Do-

Domino pro victoria consequenda obtulit, dicens: *Quicunq; primus fuerit egressus de foribus domus* Iudic.11.
meæ, mihiq; occurrerit reuertenti cum pace à filijs Ammon, eum holocaustum offeram Domino. Illi autem cum triumpho reuertenti occurrit vnica filia: qui voto se teneri ad eam immolandam ignoranter existimans, ipsæ filiæ votum cum lachrymis declarauit. Ipsa verò licet Patri se libentissimè ad sacrificium offerret, petijt tamen, vt sibi liceret per duos menses cum sodalibus suis in montibus virginitatem suam atque immaturam mortem deplorare; quibus trãsactis se Patri obtulit, à quo imprudenter fuit Domino immolata. At sacrificium hoc, quod de virginali & innocentissima Christi Domini humanitate immolatum est in cruce summa & sapiẽtia, & charitate in humanum genus à Deo peractum est. Cùm enim (vt more humano loquamur) in diuinæ Triadis consistorio de inferorum Principibus debellandis consilium haberetur, atque Vnigenito filio hoc bellum esset demandatum, ipse pro tanta victoria adipiscenda humanitatem suam veluti voto in holocaustum obtulit. Verum ob naturæ humanæ fragilitatem, appropinquante iam sacrificij tempore, quo mortis decretum paternum erat exequendum, cœpit pauere & tædere, atque in horto sodalium suorum (discipulorum scilicet) societatem quærens, eis dixit: *Sustinete hic, & vigilate mecum.*] Quo, & angelus è cœlis venit infirmam illam & virginalem carnem confortans, ne per poros guttæ sanguinis ita defluerent, vt vita deficeret. Hac verò carnis infirmitate ab spiritus promptitudine superata, ipse vltrò ab horto est egressus, & humanitatem suam immolandam (sicut filia Iephtæ) voluntariè obtulit, & super crucis aram spontè ascendit. Pater verò doloris gladio humanitatem illam ita transfixit, vt ab ea omnem consolationem atque solatium separaret, & vsque ad vltimam spiritus emissionem in tormentis dereliquerit.

His animæ propassionibus, quibus mirum in

modum cruciata fuit Christi Domini humanitas, accessit & cruciatus ille non minor, ex compassione proueniens, de quo Doctores aliqui hæc Domini verba intelligunt. Inter humanos atque naturales affectus, qui in Christi anima, vt verè humana extitere, dilectio naturalis circa ea, ad quæ naturaliter inclinamur, primum obtinuit locum; nimirum circa consanguineos, amicos, compatriotas, atque domesticos. Ex hac dilectione orta est cōpassio illa circa eorū afflictiones & mala, quæ & præsens aspiciebat, & futura cognouerat. Dixerat Iob de seipso:
Iob 31. *Ab infantia creuit mecum miseratio, & de vtero matris meæ egressa est mecum*, quo probaret quanto cōmiserationis affectu in pauperes, pupillos & viduas commoueretur: quem miserēdi affectum potius ad matrem refert, quia vtplurimum matres filios tenerius diligunt, & eorum dolores plus sentiunt quàm patres. Hoc verius potuit Christus Dominus de se dicere, cuius summa commiseratio ab ipsis incunabulis cum illo creuit, qua permotus, humanis condolens miserijs primam vocem emisit plorans: & insuper ab vtero pijssimæ matris cum illo egressa est, à qua sola humanitatem illam accepit, ex qua hi humani affectus, de quibus agimus, procedebant. Quæ quidem mater ideo Misericordiæ mater dicitur, quia sicut à Deo electa vt miserorum esset mediatrix, viscera misericordiæ induit, quæ viscera Christum Dominum portauerunt, & ab ipsis ille inexhaustus misericordiæ & compassionis fons processit. Cùm igitur Dominus Iesus proximos suos homines summè diligeret, summam etiam compassionem in pijssimo corde perpessus est in cruce, quam his verbis magna voce prolatis, declarauit. Et primò quidem Iudaicum illum populum intuens (cui promissus fuerat, & quem ex debito promissionis saluandum venerat, ex quo etiam secundum carnem natus erat) ex intimo corde, de
Arnold. de 7. verb. illius cæcitate atque duritia compatiebatur. Non verebantur, inquit Arnoldus, omnes homicidij titulo

culo in perpetuum esse notabiles, verùm & in se & in paruulos suos tanti sceleris reliquias congerebant, & vltro damnationis suæ chirographo subscribebant. Nondum expirauerat Christus, sed solis manibus pedibusque, & scisso vepribus capite, viuebat in cruce: & parricidalium mentium intuens vota, non tam clauorum acumine, quàm illorum crimine pungebatur.] Ideoque Patri quæstionem proponit, & edisserit (inquit rursus) esse inconueniens, vt amplioris sit virtutis delictum quàm donum, & præualeat malitia bonitati, & perditio saluti. Cùm enim ipse ad hoc nitatur vt saluentur, & Iudæi vt damnentur, plus debet apud Deum posse filij charitas, quàm populi cæcitas. Hæc omnia ex Arnoldo super hæc verba. Quare ex eius mente per hæc interrogationis verba, *Vt quid dereliquisti me*, Christus Dominus omnia crucis tormenta, quæ patiebatur pro illius populi salute, Deo præsentat, quasi dicens, Quid esset cur ab eo in tot tormentis fuerit derelictus, cùm maior illius populi pars salutem oblatam respueret, & pro eiusdem mortis scelere essent grauissimè puniendi. Cæterorum etiam omnium eorum vicem dolebat, qui tam acerbæ passionis fructum culpa sua non erant adepturi, (vtpotè qui omnes homines venerat saluos facere, & ad veritatis cognitionem perducere.) Vnde redemptionis suæ efficaciam, inter ipsos mortis dolores considerans, plus compatiebatur de tot hominum perditione, & hac compassione motus, has querimoniæ voces emisit.

Deinde Matris suæ, Discipuli dilecti, sanctarum mulierum, atque latronis iam iustificati, animi & corporis dolores atque angustias oculis intuens, & inde mentis oculos conuertens ad omnes electorum suorum labores, Apostolorum atque discipulorum persecutiones, martyrum exquisitissima tormenta, sanctorum Confessorum ieiunia, abstinentias, atque vitæ summam asperitatem,

omnium denique amicorum ſuorum tentationes, preſſuras,& interiores atque exteriores afflictiones expendens tenerrima compaſsione ex corde commouebatur. Cùm enim ipſe omnium electorum ſuorum ſit caput, & ſinguli eidem tanquam membra capiti eſſent vniti, has membrorum ſuorum afflictiones & derelictiones in ſeipſo repræſentans, infirmitatisque humanæ perſonam induens, Deo hanc querimoniam fragilitatis noſtræ exponit. Quia multa membrorum ſuorum (ait Diuus Bernardus) ad tantam tribulationem erant ventura, vt à Deo derelicta penitus videantur. Quando igitur tibi afflicto, & omni conſolatione atque ope deſtituto in mentem venerit à Deo te eſſe derelictum, neque ob demerita fore exaudiendum, tunc ad teipſum rediens,ad Ieſum in cruce à Deo derelictum, cogitationem conuerte, quem ob id Deus ita dereliquit, vt omnibus afflictis, & in ſumma anguſtia poſitis, opem atque liberationem promereretur. Vnde Diuus Cyprianus quodammodo hæc Chriſti Domini verba per orationem videtur exponere, quaſi dicat Dominus, *Deus meus, vt quid dereliquiſti me,* id eſt, Recordare Deus meus, quod ob id me dereliquiſti, vt nullus à te derelinqueretur, qui mecum fuerit vnitus, & meæ compaſſionis ſocius. Non enim dubium eſt, ideo hanc ſummam inter afflictiones & tormenta crucis derelictionem Dominum Ieſum fuiſſe perpeſſum, vt omnibus afflictis & tribulatis ſolatium & remediũ acquireret. Quare omnes qui tribulationes quaſcunque patiuntur, illum & paſſionum ſocium,& remedij interceſſorem habent. Chriſtus igitur Dominus harum affiictionum torcular ſolus calcauit, quia nullum habuit tantæ paſsionis ſocium,neque qui tantum in tribulationibus à Deo derelinqueretur, cuius exemplo poſſet conſolationem aliquam percipere: at cæteri omnes in tribulationibus licet grauiſſimis conſtituti, quando omni ſolatio fuerint orbati,omni humana ope & auxilio deſtituti, nullumque conſolatorem

Lib. de paſſ. c.12.

Cyprian.

torem habuerint, non illis deest Christi Iesu societas & exemplum, cuius afflictiones corporis & animæ omnes aliorum hominum tribulationes superarunt. Quare, vt ait Diuus Paulus, *In eo, in quo passus est ipse, & tentatus, potens est & ijs, qui tentant, auxiliari.* Hebr. 2.

Hinc deinceps ad sanctissimam Virginem iuxta crucem stantem oculos mentis conuertamus, atque eius summam cordis afflictionem, quando has filij voces audiuit, paucis explicemus. Quæ quidem toto eó tempore, quo tenebræ perdurarunt, à cruce filij oculos non auertens lucem expectabat, vt in quonam statu ipse filius esset, posset clarè intueri. In quo temporis spatio cordis eius dolores acerbiores extitere, quia se vndique derelictam videbat. Namque exterius ab impijssimis satellitibus filij occisoribus, & à Iudæis inimicissimis erat circundata, & non erat, quo confugeret. Interius verò licet superior rationis pars promptissima atque firma consisteret, inferior tamen, & sensitiua infirma atque debilissima existebat: quare licet summa tristitia, & immensus dolor Virginis prudentissimæ rationem minimè perturbarent, attamen non ipsa ratio, & prudentia dolorem aliqua ex parte minuebant. Et mihi certè persuadeo, quod eo etiam tempore omnes interiores consolationes ab eius anima Dominus subtraxit, eamque similiter in vehementissima illa afflictione dereliquit: vnde & in tenebris eo solatio caruit, quem à conspectu filij, licet in cruce pendentis percipiebat, in quarum fine ad magnam illam filij vocem veluti excitata, atque in seipsam reuersa, grauissimo atque nouo dolore fuit sauciata, quia ex verbis eius intellexit grauissima & incomprehensibilia fore ea tormenta, quę filius patiebatur, inter quæ à Deo omnino erat derelictus. Inde etiam dolor augebatur, quia filio sic à Deo in afflictionibus derelicto ipsa pia mater neque opere, neque saltem verbo aliquod solatium poterat impendere. Stabat igitur iuxta crucem filium sic à


Deo suo derelictum, veluti testis & afflictionum fidissima socia, fixis oculis, & animo contemplans, & eidem amore & dolore intimè coniuncta.

Ergò, clementissima Virgo, cùm sis illa pietatis & misericordiæ mater, ex cuius vtero summa Christi Iesu miseratio simul cum eo est egressa, ob quam tantā de malis nostris compassionem habuit, vt illam tanquam propriam Deo suo offerret, & pro eis summè doleret, & se derelictum quereretur: Te humiliter deprecamur, vt iuxta pijssimum cor tuum pro nobis etiam Deo tuo hanc summam filij tui in cruce derelictionem præsentes, & apud eum intercedas, primùm vt miseras peccatorum animas à diuina gratia ob culpas suas derelictas, potenti manu & efficaci auxilio ad se redire faciat: deinde pro omnibus quoquo modo afflictis, tribulatis, atque solatio, & consolatione destitutis intercedas, vt Christum Iesum filium Dei & tuum, à Deo suo derelictum spontè sequentes, diuinæ se voluntati subdant, & eius merito tuaque intercessione æternam consolationem consequantur, Amen.

DE EADEM Passione.

SERMO VNDECIMVS.

Postea sciens Iesus, quia iam omnia consummata sunt, vt consummaretur Scriptura, dixit: Sitio. Ioan. 19.


Ræposita breui præfatiuncula, quintum Domini Iesu crucifixi verbum nobis Ioannes Euangelista enarrauit: quod proprijssimè Verbum dicitur, quia

quia vnicum fuit. Et quamuis breuissimum, si discutiatur, ait Bernardus, si attentius consideretur, ad amoris indicium efficacissimum poterit inueniri.] Ardentissimam enim illam amoris flammam in Christi Domini pectore consistentem per hoc verbum hæc explicata sitis euidentissimè ostendit, Hoc audito verbo, currentes milites spongiam ex vase aceto pleno impleuerunt, quam hysopo circumponentes, arundini imposuerunt, atque ori ipsius Domini obtulerunt, quod & accepit. Fuisse autem acetum illud cum felle mixtum alij Euangelistæ declarant. Si quæras, quorsum hæc omnia parata ibi fuerint, vas scilicet plenum felle & aceto, spongia, hyssopus, & arundo, cùm hæc in monte extra vrbem posito, casu non fuerint inuenta, horum causam probabiliorem Illustrissimum Cardinalem Baronium assignasse existimo. Qui postquã multis probauit, acetum fasciculo hyssopi cõditum sistendi sanguinis vim quãdam & efficaciam habere, siue spongiæ superponatur; siue ad potandum detur, affirmat ea omnia medicamenta de industria à Iudæis parari solita, cùm quis crucifigeretur, ad sistendum sanguinem ex clauorum vulneribus manantem, quo diutius torquerentur ad crucem damnati. Quare medicamentum illud sic compositum ex aceto & hyssopo, non potus causa fuisse præcipuè institutum credit, sed magis vt eo infusa spongia recentibus admota vulneribus fluentem largiter sanguinem continuo sisteret. Milites autem illi impij, qui per irrisionem dicebant, Eliam vocat iste, quia paulò ante clamans dixerat: *Eli, Eli*, in vas illud aceto plenum, & ex quo fortè iam spongiam impleuerant, & Christi Domini vulneribus admouerant, vt sanguinis nimiam effusionem impedirent, ne ante crurifragium expiraret, iterum spongiam immiserunt, & aceto sanguinolẽto impletam ori Domini obtulerunt. Cujus rei indiciũ non contemnendum est, quod spongię pars illa, quæ Romę in-

Ber. l. de pass.

Baro. annal. tom. 1.

inter sacras reliquias Basilicæ Lateranensis asseruatur, ruborem quandam præ se fert, quasi aliquando sanguine fuisset tincta. Hoc igitur crudeli poculo milites sitientem Dominum potauerunt, quem ipse oblatum non respuit, sed accepit, & ebibit.

Cùm peccata nostra nos à Deo separent, inimicos eius efficient, & mentes ita ab eo alienent, vt nullus vnquam fuerit, neque futurus sit, qui proprijs viribus atque meritis innixus, ad illum redire, eius gratiam & amicitiam consequi valeat, nostra omnium summè intererat talem habere mediatorem, qui vi & efficacia meritorum suorum nos Deo reconciliaret, & pacis auctor existeret. Hunc esse Christum Iesum Saluatorem nostrum ostendit Diuus Paulus multis locis, & præsertim apertissimis his verbis ad Timotheum scribens: *Vnus Deus, vnus & mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus nobis.* Hic enim solus & vnus est Dei & hominum mediator, quia solus inter homines Deus & homo est. Vt homo pati & mori potuit, vt Deus per passionem & mortem peccatoribus reconciliationem & sufficientissimam satisfactionem valuit promereri. Vt homo per omnia fratribus assimilatus, misericors factus est & fidelis Pontifex ad Deum, vt repropitiaret delicta populi.] vt Deus diuinæ se iustitiæ opposuit, & indignationem à nobis auertit. Optimè igitur Diuus Bernardus ita ait: Vt ex æquo partibus congruens neutri suspectus fieret, Deus, filius Dei fiat; homo, fiat hominis filius,] quia sicut filius Dei ad Patris sui honorem tuendum, gloriamque amplian dam ardenti zelo ferebatur; & plenam de peccatis satisfactionem requirebat: sicut filius hominis humanam infirmitatem agnoscebat, & nostræ fragilitati compatiebatur. Verùm si ad peccatorum omnium debitum persoluendum quodlibet meritorium Christi Domini opus sufficiebat, quia vnumquodque infiniti erat meriti propter di-

[Margin: Tim. 2.]

[Margin: Bern. super Cant. ser. 2.]

diuinæ personæ dignitatem, cur tot ac tanta perpeti voluit? Si quælibet sanguinis gutta sufficientissimè pretium omne redemptionis continebat, cur omnem effudit sanguinem? Si vnius alapæ, seu vnius opprobrij tolerantia pœnas nostris delictis debitas exequabat. Imò & superabat, ad quid tot alapas, & opprobria, quæ vix numerari possent? Si quadragenarius flagellorum numerus à lege præscriptus ad cunctorum exhaurienda peccata satis erat, cur plus quàm quinq; millia sustinuit? Si denique per quodlibet mortis genus vitam æternam humano generi poterat promereri, quare omnium ignominiosissimum atque acerbissimum, crucem scilicet, elegit? Horum omnium cùm multæ extiterint causæ, illa fuit vrgentissima, quia cum Christus Dominus huius pacis inter homines peccatores, Deumq; suum summè offensum esset sequester & mediator, hæc reconciliatio ea lege, & condictione effectum debet sortiri, vt quilibet peccator, priusquam amicus Dei efficiatur, illa debet odisse, quæ antea malè dilexit, ea abominari, & fugere, quæ summo affectu consectatus est, ea vti grauissima mala, & in se persequi, quæ vt bona ardenter amabat: *Nescitis*, inquit Iacobus Apostolus, *quia amicitia huius mundi inimica est Dei? Quicunq; ergo voluerit amicus esse seculi huius, inimicus Dei constituitur.*] Quare vt Dei amicus efficiatur; huius mundi, quem diligebat, debet esse inimicus. Verumenimuerò cùm nos cæci & miseri adeò sæculi terrena bona (vel potius mala) diligamus, & ijs ita inhæreamus, atque si summa essent bona, pro illisque Deum infinitum bonum relinquamus, & ob id inimici eius efficiamur, vt vnusquisque peccator in mentem redeat, & quantum hoc sit malum intelligat, necesse fuit, vt hic mediator noster, tot ac tanta vsque ad vltimum vitæ spiritum pateretur, quo in seipso ostenderet peccatorum enormitatem atque malitiam. Si in sola Dei voluntate hæc reconciliatio omni ex parte consisteret, fortitan non tot à filio suo passiones Iac. 4.

tormēta requireret, at cùm ipsemet Deus volūtatis nostræ liberū expectet cōsensum, quo spōte sua quilibet peccator propria detestetur delicta, prauosq; animi abominetur affectus, hæc autem voluntas vt cæca, & malis assueta, nimis ijsdem inhæreat malis, hæc omnia oportuit Christum pati, vt nos in vitiorū odium excitaret, & ad pœnitendū induceret. Meritò igitur noster Euangelista hac loquendi forma vsus est antequam Christi Domini verbum, *Sitio*, explicaret, cùm ait: *Postea sciens Iesus, quia iam omnia consummata sunt, vt consummaretur Scriptura, dixit, Sitio.*] Si omnia iam erant consummata, quomodo addidit, *Vt consummaretur?* Consummata nimirum erant omnia, quibus satis superque diuina placaretur ira, & sufficientissimum pretium persolueretur: at verò vt nostri cordis duritiam fortius concuteret, & vehementius sua ardenti charitate vrgeret, opus fuit hanc sitim pati, & eam verbo exprimere, quo felle & aceto potaretur, vt per illius amarissimi potus haustum vnusquisque peccator agnoscat, quàm malum & amarum sit reliquisse Dominum Deum suum. Vnde ait Gregorius, quod Christus innocens pro impijs tot supplicia sustinens, & totum sanguinem fundens, & hominem redarguit ne delinqueret, & Deo obstitit ne feriret. Venit itaque nouus homo ad homines, contradictor ad culpam, amicus ad pœnam.] Graues quidem erāt mitissimi Moysis manus, & ad Deum eleuatę victoriam de inimicis populi Israelitici reportabant, & veniam de ipsius populi delictis impetrabāt: eædem verò contra peccatores cōuersæ de idololatris supplicium sumpserūt. Sic Domini Iesu innocentissimas ac purissimas manus peccata nostra adeo graues in cruce affecerunt, vt ad tantum pondus sustinendum eas clauis affixas habuerit: has autem manus vulneribus apertas, & sanguinis riuos effundentes Deo patri offerens veniam ipsiusmet crucifixoribus exorabat, & de principibus atque potestatibus huius seculi triumphabat. Cùm verò eas-

Greg. mor. li. [illegible], c. 33.

easdemmet nobis ob oculos proponit, nonne in vitia nostra acerrimè inuehitur, malitiam coarguit, prauas animi affectiones hac siti sua, & amarissima potione radicitus extirpare conatur? Ea tamen est nostri cordis cæcitas, & duritiés, vt cùm iã omnia satis fuerint cõsummata, tñ adhuc se sitire dicat.

Sitio] Et primò quidem, vt Cyrillus ait, (quod & firma fide tenendum est) vehementissimam corporis sitim patiebatur, eamque hoc verbo expressit in proprio ac naturali significato, quod per Psalmistam prædixit: *Aruit tanquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis.*] Cuius corporalis sitis quamplurimæ extiterant causæ; imprimis namque ab vltima cœna vsque ad illud tempus nihil omnino degustarat nisi myrrhatum vinum cum felle mixtum, antequam crucifigeretur, quod cùm gustasset noluit bibere: deinde noctem illam vigilando, & multis alapis atque calcibus percussus transegerat: summo mane hinc inde per vias Ierusalem summa velocitate funibus ligatus, & sæpe sæpius magna vi impulsus pertractus fuerat: deinceps ponderosæ crucis baiulatio, atque in ipsa cruce vniuersi sanguinis effusio sufficientissimæ erant causæ, vt magnam excitarent sitim. Vt enim ait Cyrillus, caro illa sanctissima Christi maximis doloribus exiccata, humido etiam naturali effusione sanguinis consumpto, siti torquebatur: multum enim dolores ad sitim commouendam possunt: innatum enim calorem exagitant, & humidum internum consumunt.] Fuit etiam huius corporallis sitis non minima causa ipsamet charitatis flama, qua in cruce Christi Iesu anima ardentissimè flagrabat: cuius vi & ardore etiã ipsum carneum cor & corporis interiora calore nõ minimo accẽsa fuisse verisimum existimo: experiẽtia namq; patet ab interioribus animæ afflictionibus corpus alterationes pati, inter quas affectiones amor vehemẽtior est. Atq; vt mũdanum & lasciuum amorem omittamus (qui non amor sed cupiditas, imò furor & dementia nominandus est) hunc diuini amoris effectum in D. Pa-

Cyrillus.

Psalm. 21.

tre Francisco cernere licet, qui vna tantum tunica indutus, in monte sub diu, atque hyemis tempore inter niues in oratione pernoctãs, adeo ab interiori, quo ardebat charitatis igne corpus tenue & pœnitentia exhaustum inflammatum erat, vt cùm socius nimio frigore algeret, ipse pius Pater manum super eum collocans, frigus depulerit, & suauissimo calore fouerit, qui ab inflammato corpore procedebat. Cùm igitur hoc interiori dilectionis igne Christi Iesu cor & pectus arderent, non mirum si corporalem etiam sitim pateretur. At cùm probè sciret, quod ad illam sitim explendam non erat, qui calicem aquæ frigidæ præberet, & erant illi, qui fel & acetum exhiberent, quo potu plus foret cruciandus, vt per illam corporalem sitim ostenderet se aliam habere intus in anima, qua plura pro hominibus pati sitiebat, dixit, *Sitio*, ad milites excitandos, qui de huiusmodi potatione non cogitabant: quasi diceret (vt S. ait Augustin.) Hoc minus fecistis, date quod estis.] Illud namque tormentum sitiebat, quo non labia tantum, lingua & guttur amaritudinem degustarent, sed omnia interiora in illo vltimo vitę habitu acerrimè torquerentur. Diuus Bernardus, vt probet per hanc sitim immensitatem diuinæ charitatis voluisse Dominum nobis commendare, ait: Quia ab homine sitiente multo ardentius desideratur potus, quàm cibus ab esuriente. In se ergo ostendens Dominus Iesus desiderium illius rei, quæ ardentissimè concupiscitur, per illam figurari ardorem suæ charitatis ostendit.] Ad hoc comprobandum expendit, quod cùm passionis hora instaret, in horto in oratione prostratus semel, & bis, & ter à Patre petijt, vt si possibile esset, passionis calicem ab eo transferret. Nunc verò eodem passionis calice iam exhausto dicit, *Sitio*. Quid est hoc? ait Bernardus. Antequam gustes ô bone Iesu, petis calicem omnino auferri, & postquam ebibisti, sitis? Cuius rationem reddit, dicens, quòd ideo ante passionem eam habuit orationem ne aliquis putaret, illum, licet

August. in Ioan.

Lib. de pass.

cet verus esset homo, amaritudinem passionis propter gloriæ vnionem non sensisset, cùm summa futura esset passionis acerbitas: & deinde nobis exemplum voluit præbere, vt imminentibus periculis, etiam ad nostram vtilitatem pertinentibus debere à nobis Dominum frequentius exorari, vt flagella iracundiæ suæ à nobis auertat, licet eius nos voluntati subdamus. Quando autem iam Dominus Iesus calicem illum exhauserat, dixit, *Sitio*, dilectionis suæ magnitudinem commendans, ac si diceret: Quamuis passio mea tam acerba fuerit (verba sunt Diui Bernardi) vt quantum ad humanitatis sensum illam declinare potuerim: tamen tua, ô homo, me charitate vincente, & ipsa tormenta crucis superante, adhuc plura, & maiora, si necesse sit, sitio subire tormenta. Nihil enim est, quod detrectem pro te pati, pro cuius pretio animam meam pono. D. Petrus, postquam dixerat, ideo Christum Dñm pro nobis passum fuisse, vt suo exemplo nos ad eius sequenda vestigia excitaret, addidit inter cætera: *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum, vt peccatis mortui iustitiæ viuamus: cuius liuore sanati sumus.*] Cùm igitur plurima sint peccatorum nostrorum genera, plurima etiam fuère Christi Iesu crucifixi tormenta, vt pro omnibus satisfaceret, & omnibus animæ morbis in sua passione remedium adhiberet. Caput ergò spinis coronatum capitis nostri vanitates, elationes, atque superbiam condemnat. Vestium spoliatio, & corporis nuditas auaritiam coarguit. Crudelis, & inhumana totius corporis flagellatio nimiam corporis curam omniaque carnis vitia nobis improperat. Admirabilis mansuetudo, atque silentium in iracundos, & immites inuehitur. Myrrhati vini cum felle admixti degustatio gulam reprehendit. Effossæ manus, atque totius corporis aperta vulnera, perque totum effudit sanguinem in remissionem peccatorum, inuidiam detestantur. Ea denique cuncta, tot, ac tanta tam breui temporis spatio peracta pro nostrum omnium

1. Pet. 2.

omnium ſalute ſummam noſtram deſidiam ſtimulis agitant, & ad propriam ſalutem ſollicitè curandam impellũt. Eſt aliud malum cætera omnia concomitans, quo & peiores efficimur atque in magno ſalutis periculo verſamur. Illud eſt deſiderium peccandi, ſeu concupiſcentiæ ſitis peſsima, quæ nunquam dicit ſufficit. Quod malum Sapiens per comparationem expreſsit, dicens: *Sanguiſugæ duæ ſunt filiæ, dicentes, Affer, Affer.* Per ſanguiſugam, vt Diuo Bernardo placet, propria & deprauata carnis voluntas intelligitur, per illas verò inſatiabiles filias, Voluptas & Vanitas declarantur, in quibus omnia vitiorum genera continentur. Deinde veriſsima eſt illa Diui Gregorij ſententia, Peccatum quod ſtatim pœnitentia non deletur, ſuo pondere ad aliud trahit.] Ex quo procedit illa obſtinata peccandi voluntas, quæ in damnatis in inferno reperitur: cùm enim peccatis adhærentes deceſſerint, ijſdemmet inordinatis concupiſcentijs torquentur, neque ab eis vnquam deſiſtent. Vt oſtenſum fuit à Domino in illo diuite epulone, atque delitioſo, qui cùm eſſet in tormentis inferni ignibus traditus, delitijs aſſuetus & gulæ, guttam aquæ ab Abrahamo petijt Lazari digito infundendam, vt linguam refrigeraret. Pro hac igitur peſsima concupiſcentiæ ſiti, quæ nos in hac vita in multa peccata impellit, pijſsimus Saluator & Redemptor noſter Dominus Ieſus hanc ſitim non aquæ quidem tantum, ſed tormentorum ſe perpeti declarauit, vt ſuo & exemplo & merito omnes ad eum confugientes ab illa deprauata peccandi ſiti liberaret.

Prou. 30.

Bernard.

Greg. Papa.

Sitio.] Hæc ſupradicta ſitis qua Dominus Ieſus plura perpeti deſiderabat, ex alia vehementiore animæ ſiti oriebatur, qua accenſus ab ipſo incarnationis initio omnium hominum ſalutem ardentiſſimè ſitiebat: quam vt iam ab vtero matris ſuæ indicaret, illicò & cum feſtinatione in montana Iudææ Matrem ipſam abire iuſsit, vt præcurſoris ſui Ioannis etiam in Eliſabeth matris vtero incluſi ani-

animam à peccato originali saluam faceret: in ipsis etiam incunabulis pastorum & Magorum animas ad se attraxit, vt illis salutem impertiretur: deinde innocentium necem permisit, vt primos illos saluationis fructus Deo Patri offerret, interim dum ad abundantiores properabat. Postquam autem seipsum mundo manifestauit, mirum est quantis & verbis & operibus hanc salutis humanæ sitim expresserit. Hæc erat illa sitis, qua accensus mulieri Samaritanæ dixit: *Da mihi bibere.*] postea namque quàm eam ad salutis viam perduxit, neque potum, neque cibum alium accepit, quo palam faceret se illius animæ, atque cæterarum illius similium salutem sitire. Vt hanc expleret sitim, quot miracula est operatus, quot labores sustinuit, quot itinera confecit, ad peccatorum animas acquirendas? Hac eadem siti inflammatus acerbissimas sustinuit passiones pro nostra omnium salute, & sitiens crucem ascendit. Cùm verò in cruce existens vnius latronis animam saluam faceret, ardentius cæterarum omnium salutem sitire cœpit, & hac siti nimium accensus, dixit: Sitio. Si parua aquæ gutta super accensas prunas spargatur, ignem non extinguit, sed potius plus accendit, vt in fornace fabri ferrarij videre licet; ob eandem etiam causam si febricitantibus nimiumque sitientibus aqua in parua detur quantitate, & sitim acuit, & febris ardorem auget. Sic cùm Christus Iesus Saluator & Redemptor noster animarum nostrarum salutem summè sitiens crucem ascenderet, degustata illa guttula vnius animæ, cui salutem donauerat, magis magisque fuit accensus, & non potuit se continere, quin hanc sitim verbo exprimeret. Mirum dictu, tremendum relatu (inquit Arnoldus) profluentibus de sacro latere aquis viuentibus, & emanantibus de fonte vberi largis liquoribus Christus Iesus sitire se perhibet, & ipse mundum irrigans & fœcundans, de ariditate causatur. Omnino sanè sitis illa exprimit raros Arnold.
ex-

extitisse, qui crederent, cùm & ipsi laterent, & dubitarent illa hora Apostoli.] Sitiebat igitur Iudaici populi salutem, ad quem primum saluandum missus fuerat, ex quo reliquiæ tantum saluæ fient, cùm ferè omnes incredulitatis aceto, & impietatis atq; summi odij felle Dominum crucifixum potassent. Sitiebat populum gentilium, cui quamuis ex misericiordia ianuam salutis aperuisset, tamen infinita eorum multitudo in sua erant infidelitate culpa propria relinquendi. Si aduersarius noster Diabolus pro eo quo flagrat odio, in humanum genus, adeo nostrum omnium perditionem desiderat & sitit, vt dicat Sapiens, Infernum nunquam impleri, esseque insatiabilem, licet multa animarum millia quotidie (proh dolor) ad illam descendant: quidni vehemens ille amoris ardor, quo hominum animas Saluator noster veluti deperiebat, eum non ardentius ad earum salutem summè desiderandam atque sitiendam inflammaret, cùm & suam in eis similitudinem cerneret, & pro ipsis saluandis mortem obiret? Sitiebat quidem, atque vt testatum omnibus redderet, se vsque ad vltimum vitæ halitum sitire, imò cum eadem siti è vita excedere, illam eo tempore explicauit, quo animam exhalabat. Quare non dubium, quin vsque hodie in cœlis ita animarum salutem sitiat, atq; eo tempore quo in cruce dixit, *Sitio.* Sitienti Domino Iesu, ô Charissimi, desideratum animarum nostrarũ poculum prębeamus, ne in iudicio ab eius ore audiamus, *Sitiui, & nõ dedistis mihi potum.*] Quòd si vnusquisque nostrum animam suam offerre formidat, & erubescit, quia aceto, & felle videt repletam, vtpote quæ in amaritudinem peccati conuersa, diuinum gratiæ saporem atque dulcedinem perdidit: tamen cùm eam sic ille sitiat (quia, vt Diuus Augustinus alijs verbis edisserit, vt pulchram faceret, fœdam amauit) offerre non dubitemus; sed circumponatur hyssopo, herbæ humili, quæ tamen acrimonia sua sensuum stuporem excitat & acuit; per quam humilis peccatorum

Prouerb 27. & 30.

torum

torum cognitio, pœnitentia, atque dolor exprimitur, hoc namque pacto cor contritum & humiliatum Christus Dominus non despicit, imò & amplectitur, & veluti suauissimum potum ebibit, atque intra viscera sua abscondit. Vbi nostrum illud amarissimum fel, & acetum in dulcissimum aquæ fontem conuertitur: ad cuius euidentiam voluit, vt post mortem lancea latus eius aperiretur, vnde continuo sanguis & aqua exiuit, cùm paulò ante fel & acetum accepisset.

Audiuit Mater pijssima hoc filij verbum, & cùm ex eo primùm intelligeret grauissimam corporis sitim ipsum pati, materno amore compassa, nimis in corde fuit cruciata, quia sitienti filio aquam porrigere nequibat. Agar ancilla Abraham cùm aquam non haberet quam sitienti filio Ismaeli præberet, ne morientem videret, puerum iuxta arborem reliquit, & longè posita flere cœpit. At hæc sanctissima mater, Deique ancilla humillima iuxta crucis arborem, in qua filius moriebatur, constans stabat, eum siti aridum conspiciens: neque adfuit angelus, qui aquam, sicuti Agar, ad filij sitim extinguendam, ostenderet: sed adfuere impijssimi satellites, qui spongiam aceto plenam hyssopo circumponentes ori eius apponerent. Dauid prælians contra Philistæos, & in exercitu sitiens desiderauit aquam de cisterna Bethlehem vbi fuerat nutritus, cuius vt desiderio satisfacerent, tres fortissimi & fidelissimi milites ob ducis amorem per medios hostes irrumpentes, aquam hauserunt, & Dauid obtulerunt: quam ille Domino libans, noluit bibere, dicens: *Num sanguinem hominum istorum bibam?* Prægliantem etiam nostrum Dauid Christum Iesum contra principes & potestates tenebrarum harum, de siti conquerentem audiuit Virgo Mater, & si vim amoris animique fortitudinem attendamus, omnibus illa se periculis exponeret, vt sitienti filio aquæ potum præberet: at diuinæ se voluntati subdens, lachrymarum fontem filio obtulit, & ob id

Genes. 21.

2. Reg. 23.

præcipuè amarius fleuit, quia nefarios conspexit alios milites, qui odio incitati, fel & acetum sanguine immixtum in spongia sitienti Iesu obtulerunt: quod potum ipse accepit, quia peccatorum nostrorum sanguinem in cruce pertulit, atque animarum periculum sustinuit.

Intellexit etiam prudentissima Virgo, eam fuisse mentem filij sui Iesu, cùm dixit, *Sitio*, vt quia ex nimia in homines charitate plura pro illis pati desiderabat, illa corporalis sitis crudeli & amarissimo poculo extingueretur. Cuius ardentissimę dilectioni ipsa vt nostræ salutis cupidissima se in omnibus accõmodans, seipsam (sicut existimo) tunc peculiariter Deo Patri obtulit, vt siquidem iam filij corpus erat exhaustum, ipsa deinceps tormenta pateretur, iuxta illud Diui Pauli: *Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia.*] Coloss.1.

Cognouit deinde interiorem illam Redemptoris & filij sui ardentissimam sitim animarum nostrarum, quarum salus & redemptio eius est poculum suauissimum. Quare mihi etiam persuadeo, iterum humillimam Virginem hîc filio animam suam obtulisse, innumeras eidem referentẽ gratias, quod eius passionis beneficio illam omnimodam à peccatis saluationem eidem concesserit: obtulit etiam filio omnes eas animas, quas illi veluti filias diligendas tradiderat, quando eidem dixit; *Ecce filius tuus.*

Cùm igitur, ô clementissima Dei genitrix, diuino filij tui beneficio inter Catholicę Ecclesię filios, atq; proinde tuos annumeremur; in nos quãuis degeneres, & in acetum atq; fel conuersos benignè respice, nostras has animas humilitatis, & contritionis hyssopo circumpositas filio illas sitienti offer, vt te patrona atque mediatrice eas inter viscera sua colligat, vbi suauissimi sanguinis sui virtute, & dulcissimæ charitatis efficacia, nostra hæc amaritudo in suaues gratiæ fructus conuertatur, quo tandem

dem cum eo æterna dulcedine perfruamur: præstãte eodem Domino nostro Iesu Christo, qui cum Deo Patre & Spiritu S. regnat in æternum, Amen.

DE EADEM Passione.

SERMO DVODECIMVS.

Cùm ergo accepisset Iesus acetum, dixit: Consummatum est. Ioan. 19.

SExtum Domni Iesu crucifixi verbum à dilecto etiam discipulo explicatum, statim post supradictum prolatum est. Accepto namque aceto (de quo superiori sermone egimus) mox alta & intelligibili voce dixit, *Consummatum est:*

Ex multis diuinæ scripturæ, præsertim Diui Pauli locis, euidentissimè constat, Christum Iesum crucifixum proprium atque verum esse sacrificium Deo pro hominibus oblatum, quo mediante pacem & reconciliationem accepimus, peccatorumque remissionem consecuti sumus. Quæ fidei nostræ veritas inde comprobatur, quia in hoc sacrificio omnia ea sunt reperta, quæ ad perfecti sacrificij rationem pertinent. Vt autem Diuus ait Augustinus, quatuor considerantur in omni sacrificio, cui offeratur, à quo offeratur, pro quibus offeratur, quid offeratur: quæ omnia in crucis sacrificio perfectissimè reperiuntur: quibus peractis, merito Dominus potuit dicere, *Consummatum est*, vt ex singulis patebit. Aug. de Trin. lib. 14.

Cùm sacrificium omne ex natura sui actus sit latria, soli vero Deo debitum esse nulli rectè sentienti est dubium. Hoc ex eo idem D. Aug. probat, quia su- 1. conditio.

ſuperbiſsimi dæmones ideo ſacrificiorũ honoribus gaudent, quia vni vero Deo, pro quo coli volunt, verum ſacrificium debetur. Hęc aũt prima cõditio huic ſacrificio crucis præcipuè cõuenit: illud namq; ſoli omnipotẽti Deo debebatur, tum quia ſolus ille eſt verus Deus, tum etiam quia ille ſolus ab hominũ peccatis fuerat offenſus, & ille erat placandus & ab eo ſolo peccatorum remiſſio impetrãda. Dauid cõmiſſum adulterium atq; iniuſtum Vriæ homicidiũ deplorans & à Deo veniam deprecans, ait: *Tibi ſoli peccaui.* Licet enim proximos etiam læſiſſet, tamen peccati macula & offenſa Deum præcipuè reſpiciebat, cuius præcepta contempſerat, legem ſpreuerat, timorem abiecerat. Quare *cùm*, vt ait Diuus Paulus, *inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius:*] quando ſcilicet ipſe ſe obtulit ſacrificium Deo in ara crucis, & vitam pro nobis poſuit. Quæres fortaſſe, quod ſi Deus omnipotens per ea ſacrificia, quæ cùm in lege naturæ, tum etiam in ſcripta ſibi offerenda decreuit, poterat (ſi ſibi placuiſſet) mundum ſibi reconciliare, & liberaliſſimè peccatorum remiſſionem conferre; cur illis omnibus ad hunc effectum poſthabitis huic vnico ſacrificio filij ſui hanc reconciliationem reſeruarit? Dicam, (quod & alias inculcaui) ideo hoc ſic à Deo fuiſſe diſpoſitum, vt & diuinæ ſuæ iuſtitiæ, & infinitæ bonitati ſatisfaceret. Iuſtitia namq; æqualem offenſæ ſatisfactionem requirebat: cùm verò offenſa tũ ratione obiecti offenſi, quod ipſemet Deus eſt, cuius diuinam & incomprehenſibilem maieſtatem peccator cõtemnit, & poſt ſe relinquit, tum etiã ratione debiti, quo ad pœnas æternas ſuſtinendas obligatus remanet, fiat quodammodo infinita demeritoriè, illa autem omnia antiqua ſacrificia his æqualem ſatisfactionem requirerẽt impendere (quia ſcilicet eorum meritum, & pretium ab offerentium fide, & deuotione pendebat) neceſſe fuit vnum dari ſacrificium, quod ex ſe ipſo infinitè eſſet acceptabile, vtpotè quod in ſe pretium haberet infi-

Psalm. 50. Rom. 5.

infinitum. Hoc autem nullum esse poterat, nisi Christi Iesu Domini nostri, qui simul Deus & homo existens omnibus suis infiniti valoris pretium conferebat. *Impossibile enim est* (inquit Diuus Paulus) *sanguine taurorum, & hircorum auferri peccata. Ideo ingrediens in mundum dixit: Hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi: holocaustomata pro peccato non tibi placuerunt: Tunc dixi: Ecce venio, vt faciam voluntatem tuam. In qua voluntate,* (ait Paulus) *sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel.*] Vt enim Diuus Petrus dicit, *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, vt nos offerret Deo.*] Hoc igitur vnicum extitit sacrificium, quod peccatorum nostrorum debitum non solum adæquauit, sed & excessit, quo etiam plenissimè diuinæ iustitiæ fuit satisfactum. Quare cùm Dominus Iesus amarissimum accepisset acetum, tunc dixit, *Consummatum est*: quasi diceret, peractum esse illud sacrificium, quod æternus Deus, vt æquissimus iudex ad humani generis reconciliationem exigebat, perfectaque esse omnia illa quæ in solemni hololocausti sacrificio Dominus fieri mandauerat, de quibus latè sermone tertio egimus, vbi de tertia cæremonia agentes (nimirum intestinorum lotione) ostendimus hoc aliquo modo in hoc holocausto Christi crucifixi fuisse adimpletum, cùm accepit acetum sibi in spongia à militibus oblatum, quæ amarissima potio vsque ad interiora penetrauit: quo potu veluti iam intestina essent lota, & igne charitatis cum reliquo corpore super lignum crucis accensa, dixit: *Consummatum est,*] significans holocaustum illud, quod Deo offerebat, perfectè iam absolutum, nihilque illi deesse, quo minus Deo summè foret acceptabile, & ad omnia mundi debita persoluenda sufficiens in toto diuinæ iustitiæ rigore.

Heb. 10.

1. Pet. 3.

Suæ etiam diuinæ charitati voluit Deus satisfacere, quæ cùm sit infinita & immensa, sacrificium infinitę perfectionis exigebat: nullumq; erat aliud,

nisi Christi sacratissima humanitas: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret*, & ita daret, vt pro nobis vitam poneret, & holocaustum fieret. Vnde effectum est, quod quamuis diuinitas ipsa neque pati possit, neque mori (cùm omnino sit impassibilis & immortalis) tamen per idiomatum communicationem, vt sancti Patres loquuntur, verissimè dicatur, Deus pro hominibus est passus, Deus pro peccatis hominum mortuus est: Christus enim qui passus & mortuus est, Deus est. Quare optimè à Diuo Leone dictum fuit, quod omnia priora sacrificia huic vnico sacrificio deseruiebant: quia videlicet in illis ideo Dominus se oblectabat, suauitatisque odore reficiebatur, quia omnia ea hoc perfectissimum sacrificium repræsentabant, quod ad amoris sui infinitam vim manifestandam sibi esse offerendum decreuerat. Cùm Patriarcha Abraham montem sibi ostensum ascenderet portans gladium & ignem, lignis super Isaac filium impositis, quæsiuit filius vbinam esset victima holocausti. Cui Pater: *Dominus prouidebit sibi victimam holocausti, fili mi.* In quo nesciens prophetauit, quia Dominus victimam aliam sibi prouiderat, non præcipuè quidem arietem illum inter vepres hærentem cornibus, sed innocentissimum agnum Iesum, in cruce clauis confixum & spinis coronatum, qui in eodem monte erat pro mundi salute Domino immolandus. Appellauit autem Abraham montem illum, Dominus videbit: quasi Prophetico spiritu dicens: Videbit Dominus etiam quàm carè ei constiterit diligere, siquidem solo amore ductus, filium vnigenitum immolandum dabit, vt hoc vnico sacrificio dignum, & sibi æquale sacrificium offerat, & amori suo satisfaciat.

Leo Pap. ser. 4. de pass.

Gen. 22.

II. conditio.

Secunda sacrificij conditio ea est, vt sit aliquis à quo offeratur, quod munus propriè sacerdotum erat. *Omnis namq. Pontifex*, ait Apostolus, *ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in ijs, quæ sunt*

Heb. 5.

ſunt ad Deum, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis.] Cùm igitur Chriſtus Dominus (vt idem Apoſtolus multis probat) Pontifex & Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech ſit conſtitutus, ille ipſe ſemetipſum obtulit immaculatũ Deo, & huius ſacrificij in cruce oblati fuit miniſter. Duo præcipua erant in lege veteri ſacrificiorum genera. Quædam ante Dominum omnino conſumebantur, vt erat holocauſtum, & ſacrificium pro peccato: quędam verò ita ante Dominum offerebantur, vt ex illis Sacerdotes & miniſtri partem aliquam acciperent. Cùm autem illud eſſet præcipuum ſacrificium, quod ſummus Sacerdos ſemel in anno ſancta ſanctorum ingrediens, pro peccatis totius populi offerre tenebatur: ad tantum ſacrificium ritè & ſanctè peragendum, prius ſanguine ſacrificij aſperſus ſeipſum purificabat, & veſtibus ſanctis induebatur: geſtabatque in pectore Rationale indicij, vbi in duodecim gemmis ſculpta erant nomina duodecim tribuum filiorum Iſrael: deinde ſuper tiaram imminens fronti Pontificis impoſita erat aurea lamina, in qua ſcriptum erat, *Sanctum Domino*. Quorum omnium aſsignans Dominus cauſam, dixit: *Portabitq́; Aaron iniquitates eorum quæ obtulerunt filij Iſrael in cunctis muneribus & donarijs ſuis.* Ipſum Sacerdotem ſummum per hæc admonens muneris eſſe ſui omnia populi peccata in ſe transferre, & eiſdem oneratum ſe Domino præſentare, & veniam atque miſericordiam tam enixè exorare, atque ſi eſſent propria & peculiaria. Omnia hæc Sacerdos, & Summus Pontifex noſter Dominus Ieſus perfectiſsimè eſt executus, quando hoc de ſeipſo obtulit ſacrificium. Licet enim ſanctificatione non egeret, quia ex ſe erat innocens & impollutus, neque neceſſe habebat pro ſe ipſo hoſtias offerre aut ſanguine purificationis aſpergi, tamen voluit corpus ſuum ſanctiſsimum proprio ſanguine aſpergere, & veluti conſecrare antequam ſacrificium inchoaret. Cùm enim in ea

Exod. 28.

oratione, quam in fine vltimæ cœnæ ad Patrem habuit, dixerit, *Et pro eis sanctifico meipsum*, id est, ad mortem offero immolandum; in alia oratione, qua ad eundem Patrem in horto humillimas fudit preces, ob nimiam tristitiam atque mortis horrorem, sanguine per totum corpus fuit aspersus, quia per proprium sanguinem introiuit semel in sancta. Eodem sanguine omnia illius sacrificij vasa consecrauit, funes nimirum, quibus crudelissimè fuit ligatus, flagella, quibus corpus fuit laniatum, coronam spineam, quæ caput vndique cinxit, crucem, in qua velut in altari sacrificium offerebat, deinde clauos, malleum, spongiam, atque lanceam, quæ huius sacrificij vasa fuêre. Quòd si pectus ipsum contemplemur, ibidem omnia filiorum Dei nomina sculpta reperiemus, & super caput pondus sanctificationis impositum, ita scilicet, vt omnia peccata nostra hic summus noster Pontifex super se portauerit, & pro illis atque si propria existerent, Patrem deprecaretur, & seipsum in sacrificium propitiationis offerret. Quare cùm accepisset acetum, in quo delictorum nostrorum amaritudo significabatur, intelligens peracta esse omnia, quæ necessaria erant, ad hanc amaritudinem in melius commutandam dixit: *Consummatum est*.] Quod verbum (vt deuotus quidam contemplatur) ex nimia interioris lætitiæ abundantia protulit: sicut enim ij, quibus nimio æstu, atque siti inflammatis abundans aquæ frigidæ vas porrigitur, postquam sitim atque calorem extinguunt, intusque refocillantur, aperto ore præ gaudio illa interiectione ha, ha, se satiatos esse declarant: ita summus hic sacerdos noster Christus Iesus, qui nimio amoris æstu flagrans altare crucis ascendit, nostramque salutem ardentissimè sitiens seipsum Deo Patri obtulit: simul atque oblatum fel & acetum accepit, in quo potu omnia ad illud sacrificium perficiendum necessaria complebātur (vnica morte excepta) aceti & fellis amaritudinem ferè pro nihilo ducēs, nimio repletus gaudio hanc

cor-

cordis sui lætitiam aperto ore expressit, dicens: *Consummatum est*. Consummatum, inquam, est, ait sanctus Leo, quasi diceret: Non est amplius quod insaniam populi furentis expectem, nihil minus pertuli, quam me passurum esse prædixi: peracta sunt mysteria infirmitatis, promantur documenta virtutis.] Quæ documenta statim atque spiritum emisit, palam toti mundo innotuerunt, vt inferius alio sermone declarabitur.

Erat aliud, vti diximus, sacrificiorum genus, quod hostia pacificorum dicebatur, ex qua oblatione sacerdos offerens partem accipiebat, neque sacrificium illud perfectè absolutum censebatur, quousque sacerdos ex illo participasset. Hoc sacrificium etiam illud crucis sacrificium præfigurauit, vbi per sanguinem ipsius crucis pacificauit Dominus Iesus siue quæ in cœlis, siue quæ in terris sunt. Quænam igitur pars huius sacrificij, ô sanctissime sacerdos, tibi contigit, & quid ex illo degustabis? Hanc partem ipse petijt, cùm sitire se dixit, & hanc in spongia aceto plena libentissimè accepit, quando labia comprimens ab spongia potum illud licet amarissimum hausit. Namque (vt supra ex Baronio retulimus) cùm vas illud aceto plenum, & spongia cum hyssopo ad sistendum sanguinem è vulneribus clauorum effluentem præcipuè essent parata, non dubium, fuisse iam illud acetum ipsiusmet Christi sanguine commixtum. Quare cum aceto simul etiam sanguinem bibit, & sacrificij à se oblati fuit particeps: quam vt accepit partem, dixit, *Consummatum est*. ostendens per illud, quod de se obtulit, sacrificium pacificorum, pacem inter Deum & homines fuisse firmatam. Omnes, qui Catholicam fidem profitemur, indubitanter credimus, sacrosanctum Missæ sacrificium idem illud esse, quod à Christo Domino in cruce fuit oblatum, eamque ob causam ab ipso fuisse institutum, vt passionis atque mortis suæ esset repræsentatiuum. Sicut igitur quando in cœna hoc sacrificium in-

incruentum instituit, corpusque suum & sanguinem sub panis & vini speciebus discipulis tradidit, ipse prius communicauit carni & sanguini, quia sacerdotis officio fungebatur, & iisdem debebat communicare: ita quando in cruce idemmet sacrificium cruentum obtulit, & summus Pontifex, & sacerdos noster, acetum sanguine suo permixtum accepit, & sacrificium omni ex parte consummauit.

III. conditio. Tertia conditio est, vt sit aliquid quod offeratur. Quare non ineptè Isaac Patrem interrogauit, vbinam esset victima holocausti, non enim sacrificium potest perfici absque oblatione. Cùm igitur Sacerdotem immolantem habeamus, si victimam quæris, audi Paulum dicentem de Christo Domino: *Dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suauitatis.*] (Ephes. 5.) Ipse fuit Sacerdos, ipse hostia: ipse offerens, ipse oblatio, & oblatio quidem tanto Sacerdote digna. Et quia in illa aceti & fellis potatione oblationem ita integrauit, vt nulla humanitatis suæ pars remanserit, de qua non fieret peculiaris victima, ideo ea accepta dixit: *Consummatum est.*] Cùm Deus spiritus sit, & incorporeus, in sua diuina natura humanis membris carere, & à corporea mole & carnea esse liberum fides Catholica confitetur, quæ tamen omnia habuit Verbum postquam caro factum est, & habitauit in nobis. At verò antequam homo fieret, sæpe in sacris literis de Deo ita Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines, vt eidem humana membra tribuere videantur. Postulant ab eo vt oculos conuertat, aures aperiat, brachia & manus extendat, cor aperiat, intra viscera complectatur, & cætera huiusmodi. Quæ omnia, licet per similitudinem more humano iuxta intellectus nostri capacitatem dicta sint, tamen (vt pius quidam Doctor contemplatur) etiam vnigeniti filij Dei desiderium explicabant, quo tempus illud præuidebat, & aduenisse desidera-

derabat, quando verè & propriè humanis membris deberet constare, atque per omnia ea membra hominum salutem operari. Quare homo factus, & simul victima nostra, de singulis in passione sua oblationem Deo Patri obtulit, quando in vnoquoque peculiariter fuit cruciatus. Oculi illi tanta virtute præditi, vt ad Petrum negantem conuersi, illico in seipsum sit reuersus Petrus, & foras egressus, amarè peccatum defleuerit, tunc fuerunt oblati, quando in domo Pontificis per noctem in vinculis constituto Domino à vilissimis seruis fuerunt velati, percutientesque faciem eius, dicebant: Prophetiza nobis, quis est qui te percussit?] Aures illæ miserorum vocibus semper apertæ, blasphemijs, irrisionibus, & cachinnis, innumerisque contumelijs fuere repletæ. Veneranda facies, in qua virtus inerat cordium attractiua, in quam & Angeli desiderant prospicere, alapis, pugnis, vellicationibus, atque immundissimis sputis extitit fœdata. Diuinum os, ex quo vitæ æternæ procedebant verba, quæ & animabus & corporibus vitam dabant, vinum myrrhatum & cum felle mixtum in monte Caluariæ degustauit, eiusque amaritudinem sensit. Manus tot mirabilium operum effectrices, pedes ex itineribus defessos & attritos, dedit clauibus transfigendos. Caput de rebus ad nostram salutem pertinentibus adeo cogitabundum, spinis coronandum exhibuit. Corpus tot perfunctum laboribus, per totum vitæ spatium flagellandum atque crucifigendum præbuit. Si pars aliqua à peculiari tormento libera videbatur, guttur erat & stomachus, quæ ipse tamen toties ieiunijs, inedia, atque siti sæpius debilitarat. Quare cùm in hoc sacrificio vniuersalem sui corporis oblationem vellet Patri offerre, acetum cum felle mixtum accepit, vt ima viscera illo peculiari amarissimo potu torquerentur; ad consummatum perfectissimè sacrificium offerendum. Et meritissimè

mè quidem hic vltimus atque acerbus cruciatus consummatam atque ex omni parte perfectam reddidit sanctissimam hanc oblationem, quia in eo maximè elucet ardens illud desiderium, & spontanea voluntas, qua Christus Dominus corpus suum torquendum obtulit. Si enim noluisset, acetum minimè accepisset, sicut ante crucifixionem (vti diximus) vinum myrrhatum cum gustasset non accepit, quando non in spongia, ex qua difficilius hauritur, sed in vase propinabatur: cum igitur ipsemet os aperuerit, & labijs spongiam compresserit, & vinum felli admixtum biberit, profecto satis superq; manifestum fecit se per se ipsum huic oblationi vltimam voluisse manum imponere, & perfecte consummare, sicuti antea Patri dixerat hoc præuidens: *Opus consummaui quod dedisti mihi vt facerem.*

IV. Conditio. Quarta & vltima sacrificij conditio ea est, vt sint pro quibus offeratur. Hoc ergo sacrificium (vt inquam plurimis vtriusque sacræ paginæ libris clarè docetur) pro hominibus fuit oblatum: hoc vobis sæpe sæpius inculcamus, quo vos ad amandum eundem Dominum Iesum, & laudandum atque imitandum excitemus. Quia igitur in ea aceti acceptione complebantur omnia, quæ à Patre sibi fuerant imperata, antequam spiritum ei traderet, vt nos perfectè reconciliationis, atque sufficientissimæ redemptionis securos redderet, dixit: *Consummatum est. Vna enim oblatione*, ait Paulus, *consummauit in sempiternum sanctificatos.*] Vt vero huius sanctissimi sacrificij perfectissimam consummationem consideremus, deuotissimi Arnoldi verba expendamus. Sese itaque totum, inquit, obtulit Patri, & consummata est illius holocausti plenitudo expensis in illud ministerium carne simul, & spiritu, quia & pro carne, & pro spiritu hominis agebatur, & totus homo totum Christum habuit sanatorem, dum & caro in medelam carnis oblata est in ligno, & ad sanctificationem animæ obtinendam,

Heb.10.

spi-

ſpiritus ille deſcendit ad inferos, & aſcendit ad ſuperos.] Conſummatum igitur fuit in cruce, ô chariſsimi, opus redemptionis noſtræ ex parte Redemptoris & Sacerdotis noſtri Chriſti Ieſu, qui ſufficientiſsimam Deo Patri, eiuſque & iuſtitiæ, & amori oblationē ipſe obtulit, & pro peccatis noſtris plenam exhibuit ſatisfactionem. Reliquum eſt ex parte noſtra perficiendum, vt in vnoquoque ſacrificij huius efficacia conſummetur. Vnde D. Paulus ait: *Adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea, pro corpore eius quod eſt Eccleſia.*] Quæ ſunt illa, quærit Chryſoſtomus, quæ huic perfectiſsimæ & conſummatæ oblationi deeſſe poterant, quæ adimplere ſe Apoſtolus dicit? Sunt, inquit, ſaluandorum animæ, in quibus virtutem ſaluationis exerceat Saluator & Redemptor. Ideo igitur Paulus ſe dicit adimplere ea quæ deerant, quia quoad poterat & ſeipſum paſsionis Chriſti ſui participem fieri ſatagebat, & multorum animas ad eiuſdem redemptionis beneficium conſequendum inuitabat, totiſque viribus prædicando contendebat. Namque licet ad ſufficientiam hoc diuinum ſacrificium pro omnibus hominibus fuiſſet oblatum, tamen quoad efficaciam in illis ſolum conſummatum effectum conſequi decretum erat, qui ſponte & libere oblatam redemptionem amplecterentur. Coloſſ. 1. Chryſoſtom.


Adhuc ſanctiſsimæ Virginis, & matris anima illo dolore, quo ab impio, & amariſsimo aceti poculo ſitienti filio Ieſu oblato, fuerat perculſa, intimè cruciabatur, quando iterum illum audiuit dicentem, *Conſummatum eſt.*] Exiſtimat etiam deuotus quidam contemplator hoc verbum protuliſſe Dominum Ieſum capite aliquantulum ad Matrem ipſam inclinato, & oculis in illam defixis, quaſi certiorem reddens iamiam adeſſe horam illam vltimam, in qua conſummabantur omnia ea, quæ de ipſo ſcripta erant, vt & eius dolorem aliquo modo leniret, & eidem corpus ſuum commendaret, cùm ſpiritum Patri eſſet commendaturus. Intellexit ergo

prudentissima Mater, consummatum esse sacrificium illud expiationis, quod Iesus Sacerdos magnus, idemque eius filius Deo Patri suo de seipso pro peccatis hominum offerre decreuerat, consummatumque proinde esse redemptionis opus, consummata legalia sacrificia, quæ vnicum hoc diuinum sacrificium præfigurabant. Offer igitur, ô clementissima mediatrix nostra, in corde tuo eandem placationis hostiam, quam visceribus portasti, & lacte tuo enutristi, vt victima nostra posset fieri, offer inquam, super altare crucis adhuc impositam quoadusque tu ipsa corporis eiusdem efficiaris ara, Deumque Patrem omnipotentem deprecare, vt huius consummati sacrificij oblatione placatus sanctificationem in nobis compleat, & reconciliationē concedat, vt sicut hoc Domini Iesu sacrificium nostræ sanctificationis sufficientem causam esse nouimus, ita & efficacem sentiamus. Præstante eodem Christo Domino, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit in æternum, Amen.

DE EADEM Passione.

SERMO DECIMVSTERTIVS.

Et clamans voce magna Iesus ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Lucæ 23.


D vltimum deueniemus salutiferæ vitis nostræ folium, extrema scilicet verba ab ipso Dei verbo Christo Iesu in hac mortali vita prolata, quæ vt magni momenti esse declararet, magna, mirabili, & sono-

ra voce clamans effatus est, ita vt in omnium, qui in illo monte stabant, atque ad spectaculum illud conuenerant, auribus personarent. Clamauit voce magna, ait Diuus Athanasius, vt suam declararet potentiam, deterreret Iudæos, & ad fidem adduceret. Hæc enim vox velum templi disrupit, petras discidit, monumenta aperuit, terram tremore concussit. Hæc vox ita Centurionis animum penetrauit, vt cùm vidisset, quia sic clamans expirasset, dixerit, Verè filius Dei erat hic.] Hæc vox eorum corda ad pœnitendum commouit, qui reuertebantur percutientes pectora sua. Qui igitur fidei aures apertas habuerit, & mente huic spectaculo interfuerit, huius vocis sonum percipiet, & magna salutis documenta amorisque incitamenta colliget. Athanasius.

Ex quibus vt aliqua colligamus, illud primum statuendum est, huius vocis magnitudinem eo temporis momento fuisse supra humanæ naturæ vires, quæ in Christo omnino erant exhaustæ: neque enim pectori siue faucibus inerat vis ad hæc verba tam ingenti voce proferenda. Origenes igitur existimat ideò Christum Dominum in hoc vltimo vitæ spiritu hanc magnam emisisse vocem, vt ostenderet se mortem non timere, imò de illa atque de eius terroribus perfectam iam adeptum esse victoriam. Antequam passionis certamen iniret, humanitatem suam dereliquit, quando in horto Gethsemani orauit, & illum horrorem, quo caro infirma ob imminentem mortem percutitur, peruoluit, tantæque tristitiæ atque timori locum dedit, vt in agonia positus sanguinem vsque ad terram desudauerit; Patremque in terram procidens, non tantum semel, sed & bis, & ter, tenui ac debili voce pro sua liberatione exorauerit. At nunc in vltimis constitutus, hac magna voce clamans, spiritumque Patri commendans, apertè ostendit se ab omnibus illis timoribus iam esse liberum & summa fiducia ad Patrem pergere, mortemque minimè Origenes.

superbissimi dæmones ideo sacrificiorũ honoribus gaudent, quia vni vero Deo, pro quo coli volunt, verum sacrificium debetur. Hęc aũt prima cõditio huic sacrificio crucis præcipuè cõuenit: illud namq; soli omnipotẽti Deo debebatur, tum quia solus ille est verus Deus, tum etiam quia ille solus ab hominũ peccatis fuerat offensus, & ille erat placandus & ab eo solo peccatorum remissio impetrãda. Dauid cõ-
Psalm.150. missum adulterium atq; iniustum Vriæ homicidiũ deplorans & à Deo veniam deprecans, ait: *Tibi soli peccaui.* Licet enim proximos etiam læsisset, tamen peccati macula & offensa Deum præcipuè respiciebat, cuius præcepta contempserat, legem spreuerat,
Rom.5. timorem abiecerat. Quare *cùm*, vt ait Diuus Paulus, *inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius:*] quando scilicet ipse se obtulit sacrificium Deo in ara crucis, & vitam pro nobis posuit. Quæres fortasse, quod si Deus omnipotens per ea sacrificia, quæ cùm in lege naturæ, tum etiam in scripta sibi offerenda decreuit, poterat (si sibi placuisset) mundum sibi reconciliare, & liberalissimè peccatorum remissionem conferre; cur illis omnibus ad hunc effectum posthabitis huic vnico sacrificio filij sui hanc reconciliationem reseruarit? Dicam, (quod & alias inculcaui) ideo hoc sic à Deo fuisse dispositum, vt & diuinæ suæ iustitiæ, & infinitæ bonitati satisfaceret. Iustitia namq; æqualem offensæ satisfactionem requirebat: cùm verò offensa tũ ratione obiecti offensi, quod ipsemet Deus est, cuius diuinam & incomprehensibilem maiestatem peccator cõtemnit, & post se relinquit, tum etiã ratione debiti, quo ad pœnas æternas sustinendas obligatus remanet, fiat quodammodo infinita demeritoriè, illa autem omnia antiqua sacrificia his æqualem satisfactionem requirerẽt impendere (quia scilicet eorum meritum, & pretium ab offerentium fide, & deuotione pendebat) necesse fuit vnum dari sacrificium, quod ex se ipso infinitè esset acceptabile, vtpotè quod in se pretium haberet infi-

infinitum. Hoc autem nullum esse poterat, nisi Christi Iesu Domini nostri, qui simul Deus & homo existens omnibus suis infiniti valoris pretium conferebat. *Impossibile enim est* (inquit Diuus Paulus) *sanguine taurorum, & hircorum auferri peccata. Ideo ingrediens in mundum dixit: Hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi: holocaustomata pro peccato non tibi placuerunt: Tunc dixi: Ecce venio, vt faciam voluntatem tuam. In qua voluntate,* (ait Paulus) *sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel.*] Vt enim Diuus Petrus dicit, *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, vt nos offerret Deo.*] Hoc igitur vnicum extitit sacrificium, quod peccatorum nostrorum debitum non solum adæquauit, sed & excessit, quo etiam plenissimè diuinæ iustitiæ fuit satisfactum. Quare cùm Dominus Iesus amarissimum accepisset acetum, tunc dixit, *Consummatum est*: quasi diceret, peractum esse illud sacrificium, quod æternus Deus, vt æquissimus iudex ad humani generis reconciliationem exigebat, perfectaque esse omnia illa quæ in solemni hololocausti sacrificio Dominus fieri mandauerat, de quibus latè sermone tertio egimus, vbi de tertia cæremonia agentes (nimirum intestinorum lotione) ostendimus hoc aliquo modo in hoc holocausto Christi crucifixi fuisse adimpletum, cùm accepit acetum sibi in spongia à militibus oblatum, quæ amarissima potio vsque ad interiora penetrauit: quo potu veluti iam intestina essent lota, & igne charitatis cum reliquo corpore super lignum crucis accensa, dixit: *Consummatum est,*] significans holocaustum illud, quod Deo offerebat, perfectè iam absolutum, nihilque illi deesse, quo minus Deo summè foret acceptabile, & ad omnia mundi debita persoluenda sufficiens in toto diuinæ iustitiæ rigore.

Hebr. 10.

1. Pet. 3.

Suæ etiam diuinæ charitati voluit Deus satisfacere, quæ cùm sit infinita & immensa, sacrificium infinitę perfectionis exigebat: nullumq; erat aliud, nisi

nisi Christi sacratissima humanitas: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret*, & ita daret, vt pro nobis vitam poneret, & holocaustum fieret. Vnde effectum est, quod quamuis diuinitas ipsa neque pati possit, neque mori (cùm omnino sit impassibilis & immortalis) tamen per idiomatum communicationem, vt sancti Patres loquuntur, verissimè dicatur, Deus pro hominibus est passus, Deus pro peccatis hominum mortuus est: Christus enim qui passus & mortuus est, Deus est. Quare optimè à Diuo Leone dictum fuit, quod omnia priora sacrificia huic vnico sacrificio deseruiebant: quia videlicet in illis ideo Dominus se oblectabat, suauitatisque odore reficiebatur, quia omnia ea hoc perfectissimum sacrificium repræsentabant, quod ad amoris sui infinitam vim manifestandam sibi esse offerendum decreuerat. Cùm Patriarcha Abraham montem sibi ostensum ascenderet portans gladium & ignem, lignis super Isaac filium impositis, quæsiuit filius vbinam esset victima holocausti. Cui Pater: *Dominus prouidebit sibi victimam holocausti, fili mi.* In quo nesciens prophetauit, quia Dominus victimam aliam sibi prouiderat, non præcipuè quidem arietem illum inter vepres hærentem cornibus, sed innocentissimum agnum Iesum, in cruce clauis confixum & spinis coronatum, qui in eodem monte erat pro mundi salute Domino immolandus. Appellauit autem Abraham montem illum, Dominus videbit: quasi Prophetico spiritu dicens: Videbit Dominus etiam quàm carè ei constiterit diligere, siquidem solo amore ductus, filium vnigenitum immolandum dabit, vt hoc vnico sacrificio dignum, & sibi æquale sacrificium offerat, & amori suo satisfaciat.

Leo Pap. ser. 4. de pass.

Gen. 22.

II. conditio.

Heb. 5.

Secunda sacrificij conditio ea est, vt sit aliquis à quo offeratur, quod munus propriè sacerdotum erat. *Omnis namq. Pontifex*, ait Apostolus, *ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in ijs, quæ*

sunt

sunt ad Deum, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis.] Cùm igitur Chriſtus Dominus (vt idem Apoſtolus multis probat) Pontifex & Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech ſit conſtitutus, ille ipſe ſemetipſum obtulit immaculatũ Deo,& huius ſacrificij in cruce oblati fuit miniſter. Duo præcipua erant in lege veteri ſacrificiorum genera. Quædam ante Dominum omnino conſumebantur, vt erat holocauſtum, & ſacrificium pro peccato: quędam verò ita ante Dominum offerebantur, vt ex illis Sacerdotes & miniſtri partem aliquam acciperent. Cùm autem illud eſſet præcipuum ſacrificium, quod ſummus Sacerdos ſemel in anno ſancta ſanctorum ingrediens, pro peccatis totius populi offerre tenebatur: ad tantum ſacrificium ritè & ſanctè peragendum, prius ſanguine ſacrificij aſperſus ſeipſum purificabat, & veſtibus ſanctis induebatur: geſtabatque in pectore Rationale iudicij, vbi in duodecim gemmis ſculpta erant nomina duodecim tribuum filiorum Iſrael: deinde ſuper tiaram imminens fronti Pontificis impoſita erat aurea lamina, in qua ſcriptum erat, *Sanctum Domino*. Quorum omnium aſsignans Dominus cauſam, dixit: *Portabitq; Aaron iniquitates eorum quæ obtulerant filij Iſrael in cunctis muneribus & denarijs ſuis.* Ipſum Sacerdotem ſummum per hæc adinonens muneris eſſe ſui omnia populi peccata in ſe transferre, & eiſdem oneratum ſe Domino præſentare, & veniam atque miſericordiam tam enixè exorare, atque ſi eſſent propria & peculiaria. Omnia hæc Sacerdos, & Summus Pontifex noſter Dominus Ieſus perfectiſsimè eſt executus, quando hoc de ſeipſo obtulit ſacrificium. Licet enim ſanctificatione non egeret, quia ex ſe erat innocens & impollutus, neque neceſſe habebat pro ſe ipſo hoſtias offerre aut ſanguine purificationis aſpergi, tamen voluit corpus ſuum ſanctiſsimum proprio ſanguine aſpergere, & veluti conſecrare antequam ſacrificium inchoaret. Cùm enim in ea ora- Exod. 28.

oratione, quam in fine vltimæ cœnæ ad Patrem habuit, dixerit, *Et pro eis ſanctifico meipſum*, id eſt, ad mortem offero immolandum; in alia oratione, qua ad eundem Patrem in horto humillimas fudit preces, ob nimiam triſtitiam atque mortis horrorem, ſanguine per totum corpus fuit aſperſus, quia per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta. Eodem ſanguine omnia illius ſacrificij vaſa conſecrauit, funes nimirum, quibus crudeliſsimè fuit ligatus, flagella, quibus corpus fuit laniatum, coronam ſpineam, quæ caput vndique cinxit, crucem, in qua velut in altari ſacrificium offerebat, deinde clauos, malleum, ſpongiam, atque lanceam, quæ huius ſacrificij vaſa fuêre. Quòd ſi pectus ipſum contemplemur, ibidem omnia filiorum Dei nomina ſculpta reperiemus, & ſuper caput pondus ſanctificationis impoſitum, ita ſcilicet, vt omnia peccata noſtra hic ſummus noſter Pontifex ſuper ſe portauerit, & pro illis atque ſi propria exiſterent, Patrem deprecaretur, & ſeipſum in ſacrificium propitiationis offerret. Quare cùm accepiſſet acetum, in quo delictorum noſtrorum amaritudo ſignificabatur, intelligens peracta eſſe omnia, quæ neceſſaria erant, ad hanc amaritudinem in melius commutandam dixit: *Conſummatum eſt.*] Quod verbum (vt deuotus quidam contemplatur) ex nimia interioris lætitiæ abundantia protulit: ſicut enim ij, quibus nimio æſtu, atque ſiti inflammatis abundans aquæ frigidæ vas porrigitur, poſtquam ſitim atque calorem extinguunt, intuſque refocillantur, aperto ore præ gaudio illa interiectione ha, ha, ſe ſatiatos eſſe declarant: ita ſummus hic ſacerdos noſter Chriſtus Ieſus, qui nimio amoris æſtu flagrans altare crucis aſcendit, noſtramque ſalutem ardentiſsimè ſitiens ſeipſum Deo Patri obtulit: ſimul atque oblatum ſel & acetum accepit, in quo potu omnia ad illud ſacrificium perficiendum neceſſaria complebãtur (vnica morte excepta) aceti & fellis amaritudinem ferè pro nihilo ducẽs, nimio repletus gaudio hanc cor-

cordis sui lætitiam aperto ore expresſit, dicens: *Conſummatum eſt.* Conſummatum, inquam, eſt, ait ſanctus Leo, quaſi diceret: Non eſt amplius quod inſaniam populi furentis expectem, nihil minus pertuli, quam me paſſurum eſſe prædixi: peracta ſunt myſteria infirmitatis, promantur documenta virtutis.] Quæ documenta ſtatim atque ſpiritum emiſit, palam toti mundo innotuerunt, vt inferius alio ſermone declarabitur.

Erat aliud, vti diximus, ſacrificiorum genus, quod hoſtia pacificorum dicebatur, ex qua oblatione ſacerdos offerens partem accipiebat, neque ſacrificium illud perfectè abſolutum cenſebatur, quouſque ſacerdos ex illo participaſſet. Hoc ſacrificium etiam illud crucis ſacrificium præfigurauit, vbi per ſanguinem ipſius crucis pacificauit Dominus Ieſus ſiue quæ in cœlis, ſiue quæ in terris ſunt. Quænam igitur pars huius ſacrificij, ô ſanctiſsime ſacerdos, tibi contigit, & quid ex illo deguſtabis? Hanc partem ipſe petijt, cùm ſitire ſe dixit, & hanc in ſpongia aceto plena libentiſsimè accepit, quando labia comprimens ab ſpongia potum illud licet amariſsimum hauſit. Namque (vt ſupra ex Baronio retulimus) cùm vas illud aceto plenum, & ſpongia cum hyſſopo ad ſiſtendum ſanguinem è vulneribus clauorum effluentem præcipuè eſſent parata, non dubium fuiſſe iam illud acetum ipſiuſmet Chriſti ſanguine commixtum. Quare cum aceto ſimul etiam ſanguinem bibit, & ſacrificij à ſe oblati fuit particeps: quam vt accepit partem, dixit, *Conſummatum eſt*, oſtendens per illud, quod de ſe obtulit, ſacrificium pacificorum, pacem inter Deum & homines fuiſſe firmatam. Omnes, qui Catholicam fidem profitemur, indubitanter credimus, ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium idem illud eſſe, quod à Chriſto Domino in cruce fuit oblatum, eamque ob cauſam ab ipſo fuiſſe inſtitutum, vt paſsionis atque mortis ſuæ eſſet repræſentatiuum. Sicut igitur quando in cœna hoc ſacrificium in-

incruentum instituit, corpusque suum & sanguinem sub panis & vini speciebus discipulis tradidit; ipse prius communicauit carni & sanguini, quia sacerdotis officio fungebatur, & ijsdem debebat communicare: ita quando in cruce idemmet sacrificium cruentum obtulit, & summus Pontifex, & sacerdos noster, acetum sanguine suo permixtum accepit, & sacrificium omni ex parte consummauit.

III. conditio.

Tertia conditio est, vt sit aliquid quod offeratur. Quare non ineptè Isaac Patrem interrogauit, vbinam esset victima holocausti, non enim sacrificium potest perfici absque oblatione. Cùm igitur Sacerdotem immolantem habeamus, si victimam quæris, audi Paulum dicentem de Christo Domino: *Dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suauitatis.*] Ipse fuit Sacerdos, ipse hostia: ipse offerens, ipse oblatio, & oblatio quidem tanto Sacerdote digna. Et quia in illa aceti & fellis potatione oblationem ita integrauit, vt nulla humanitatis suæ pars remanserit, de qua non fieret peculiaris victima, ideo ea accepta dixit: *Consummatum est.*] Cùm Deus spiritus sit, & incorporeus, in sua diuina natura humanis membris carere, & à corporea mole & carnea esse liberum fides Catholica confitetur, quæ tamen omnia habuit Verbum postquam caro factum est, & habitauit in nobis. At verò antequam homo fieret, sæpe in sacris literis de Deo ita Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines, vt eidem humana membra tribuere videantur. Postulant ab eo vt oculos conuertat, aures aperiat, brachia & manus extendat, cor aperiat, intra viscera complectatur, & cætera huiusmodi. Quæ omnia, licet per similitudinem more humano iuxta intellectus nostri capacitatem dicta sint, tamen (vt pius quidam Doctor contemplatur) etiam vnigeniti filij Dei desiderium explicabant, quo tempus illud præuidebat, & aduenisse desidera-

Ephes. 5.

derabat, quando verè & propriè humanis membris deberet constare, atque per omnia ea membra hominum salutem operari. Quare homo factus, & simul victima nostra, de singulis in passione sua oblationem Deo Patri obtulit, quando in vnoquoque peculiariter fuit cruciatus. Oculi illi tanta virtute præditi, vt ad Petrum negantem conuersi, illico in seipsum sit reuersus Petrus, & foras egressus, amarè peccatum defleuerit, tunc fuerunt oblati, quando in domo Pontificis per noctem in vinculis constituto Domino à vilissimis seruis fuerunt velati, percutientesque faciem eius, dicebant: Prophetiza nobis, quis est qui te percussit?] Aures illæ miserorum vocibus semper apertæ, blasphemijs, irrisionibus, & cachinnis, innumerisque contumelijs fuere repletæ. Veneranda facies, in qua virtus inerat cordium attractiua, in quam & Angeli desiderant prospicere, alapis, pugnis, vellicationibus, atque immundissimis sputis extitit fœdata. Diuinum os, ex quo vitæ æternæ procedebant verba, quæ & animabus & corporibus vitam dabant, vinum myrrhatum & cum felle mixtum in monte Caluariæ degustauit, eiusque amaritudinem sensit. Manus tot mirabilium operum effectrices, pedes ex itineribus defessos & attritos, dedit clauibus transfigendos. Caput de rebus ad nostram salutem pertinentibus adeo cogitabundum, spinis coronandum exhibuit. Corpus tot perfunctum laboribus, per totum vitæ spatium flagellandum atque crucifigendum præbuit. Si pars aliqua à peculiari tormento libera videbatur, guttur erat & stomachus, quæ ipse tamen toties ieiunijs, inedia, atque siti sæpius debilitarat. Quare cùm in hoc sacrificio vniuersalem sui corporis oblationem vellet Patri offerre, acetum cum felle mixtum accepit, vt ima viscera illo peculiari amarissimo potu torquerentur; ad consummatum perfectissimè sacrificium offerendum. Et meritissimè

mè quidem hic vltimus atque acerbus cruciatus consummatam atque ex omni parte perfectam reddidit sanctißimam hanc oblationem, quia in eo maximè elucet ardens illud desiderium, & spontanea voluntas, qua Christus Dominus corpus suum torquendum obtulit. Si enim noluisset, acetum minimè accepisset, sicut ante crucifixionem (vti diximus) vinum myrrhatum cum gustasset non accepit, quando non in spongia, ex qua difficilius hauritur, sed in vase propinabatur: cum igitur ipsemet os aperuerit, & labijs spongiam compresserit, & vinum felli admixtum biberit, profectò satis superq; manifestum fecit se per se ipsum huic oblationi vltimam voluisse manum imponere, & perfecte consummare, sicuti antea Patri dixerat hoc præuidens: *Opus consummaui quod dedisti mihi vt facerem.*

IV. Conditio. Quarta & vltima sacrificij conditio ea est, vt sint pro quibus offeratur. Hoc ergo sacrificium (vt inquam plurimis vtriusque sacræ paginæ libris clarè docetur) pro hominibus fuit oblatum: hoc vobis sæpe sæpius inculcamus, quo vos ad amandum eundem Dominum Iesum, & laudandum atque imitandum excitemus. Quia igitur in ea aceti acceptione complebantur omnia, quæ à Patre sibi fuerant imperata, antequam spiritum ei traderet, vt nos perfectè reconciliationis, atque sufficientißimæ redemptionis securos redderet, dixit: *Consummatum est. Vna enim oblatione*, ait Paulus, *consummauit in sempiternum sanctificatos.*] Vt vero huius sanctißimi sacrificij perfectißimam consummationem consideremus, deuotißimi Arnoldi verba expendamus. Sese itaque totum, inquit, obtulit Patri, & consummata est illius holocausti plenitudo expensis in illud ministerium carne simul, & spiritu, quia & pro carne, & pro spiritu hominis agebatur, & totus homo totum Christum habuit sanatorem, dum & caro in medelam carnis oblata est in ligno, & ad sanctificationem animæ obtinendam, spi-

Heb. 10.

spiritus ille descendit ad inferos, & ascendit ad superos.] Consummatum igitur fuit in cruce,ô charissimi, opus redemptionis nostræ ex parte Redemptoris & Sacerdotis nostri Christi Iesu, qui sufficientissimam Deo Patri, eiusque & iustitiæ, & amori oblationē ipse obtulit, & pro peccatis nostris plenam exhibuit satisfactionem. Reliquum est ex parte nostra perficiendum, vt in vnoquoque sacrificij huius efficacia consummetur. Vnde D. Paulus ait: *Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore eius quod est Ecclesia.*] Quæ sunt illa, quærit Chrysostomus, quæ huic perfectissimæ & consummatæ oblationi deesse poterant, quæ adimplere se Apostolus dicit? Sunt, inquit, saluandorum animæ, in quibus virtutem saluationis exerceat Saluator & Redemptor. Ideo igitur Paulus se dicit adimplere ea quæ deerant, quia quoad poterat & seipsum passionis Christi sui participem fieri satagebat, & multorum animas ad eiusdem redemptionis beneficium consequendum inuitabat, totisque viribus prædicando contendebat. Namque licet ad sufficientiam hoc diuinum sacrificium pro omnibus hominibus fuisset oblatum, tamen quoad efficaciam in illis solum consummatum effectum consequi decretum erat, qui spontè & liberè oblatam redemptionem amplecterentur. Coloss. 1. Chrysostom.

Adhuc sanctissimæ Virginis, & matris anima illo dolore, quo ab impio, & amarissimo aceti poculo sitienti filio Iesu oblato, fuerat perculsa, intimè cruciabatur, quando iterum illum audiuit dicentem, *Consummatum est.*] Existimat etiam deuotus quidam contemplator hoc verbum protulisse Dominum Iesum capite aliquantulum ad Matrem ipsam inclinato, & oculis in illam defixis, quasi certiorem reddens iamiam adesse horam illam vltimam, in qua consummabantur omnia ea, quæ de ipso scripta erant, vt & eius dolorem aliquo modo leniret, & eidem corpus suum commendaret, cùm spiritum Patri esset commendaturus. Intellexit ergo

piu-

ra voce clamans effatus est, ita vt in omnium, qui in illo monte stabant, atque ad spectaculum illud conuenerant, auribus personarent. Clamauit voce magna, ait Diuus Athanasius, vt suam declararet potentiam, deterreret Iudæos, & ad fidem adduceret. Hæc enim vox velum templi disrupit, petras discidit, monumenta aperuit, terram tremore concussit. Hæc vox ita Centurionis animum penetrauit, vt cùm vidisset, quia sic clamans expirasset, dixerit, Verè filius Dei erat hic.] Hæc vox eorum corda ad pœnitendum commouit, qui reuertebantur percutientes pectora sua. Qui igitur fidei aures apertas habuerit, & mente huic spectaculo interfuerit, huius vocis sonum percipiet, & magna salutis documenta amorisque incitamenta colliget. Athanasius.

Ex quibus vt aliqua colligamus, illud primum statuendum est, huius vocis magnitudinem eo temporis momento fuisse supra humanæ naturæ vires, quæ in Christo omnino erant exhaustæ: neque enim pectori siue faucibus inerat vis ad hæc verba tam ingenti voce proferenda. Origenes igitur existimat ideò Christum Dominum in hoc vltimo vitæ spiritu hanc magnam emisisse vocem, vt ostenderet se mortem non timere, imò de illa atque de eius terroribus perfectam iam adeptum esse victoriam. Antequam passionis certamen iniret, humanitatem suam dereliquit, quando in horto Gethsemani orauit, & illum horrorem, quo caro infirma ob imminentem mortem percutitur, peruoluit, tantæque tristitiæ atque timori locum dedit, vt in agonia positus sanguinem vsque ad terram desudauerit; Patremque in terram procidens, non tantum semel, sed & bis, & ter, tenui ac debili voce pro sua liberatione exorauerit. At nunc in vltimis constitutus, hac magna voce clamans, spiritumque Patri commendans, apertè ostendit se ab omnibus illis timoribus iam esse liberum & summa fiducia ad Patrem pergere, mortemque minimè Origenes.

minimè formidare. Diuus Hieronymus explicans illa Psalmi verba, *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput,*] Torrens, inquit, non habet aquas, quæ semper perfluunt, sed habet aquas de tempestatibus, de pluuijs, de turbine, & procellis: torrens nunquam habet mundam aquam, sed semper turbidam: hoc dicitur quoniam seculi istius aquæ semper turbidæ sunt, semper plenæ tempestate. Bibit ergo Dominus Iesus de torrente turbido quando in horto cœpit pauere, & tædere, ita vt diceret: Tristis est anima mea vsque ad mortem: Bibit de torrente huius sæculi aquas turbidas, aquas tristes, quę non habent lætitiam: tulit calicem, & impleuit de torrente mundi; & quoniam turbidæ erant aquæ, dicit: Pater si possibile est, transeat calix iste à me. Bibit ergo de torrente mundi istius, sed non bibit quasi in domo sua, sed in via ad alia ire festinans.] Neque mysterio vacat, torrentem iuxta quem Dominus has timoris & angustiæ aquas ebibit, Cedron fuisse appellatum. Cedron namque (addit Hieronymus) lingua Hebraica interpretatur Tenebræ, Vides igitur, inquit, quoniam currentes huius sæculi in tenebris sunt. Dominus ergò cùm traditur, non traditur in monte Oliueti, non in templo, sed in torrente, & torrente tenebrarum; hoc est, Cedron. Et quia bibit Dominus de hoc torrente, & mortis metum atque amaritudinem prius degustauit; propterea in morte caput exaltauit, & à Patre fuit exaltatus, & ipsa morte, mortem superauit, caputque draconis in terra conquassauit.] Hæc ex Hieronymo. Nobis insuper saluberrimam atque pernecessariam admonitionem exemplo suo reliquit, vt scilicet ne mors in mortis hora terribilis, & horrenda appareat, timoreque sui animam egredientem conturbet, in via vitæ timeatur, & timore illo sancto atque sapienti compungat, qui nos ad vigilandum atque orandum excitet, sicut Dominus Iesus in horto nos edocuit: cuius timoris effectum voluit explicare, quando in vltimo vitæ bali-

Hieron. in Psalm. 109.

iii

tu magna voce cum tanta fiducia spiritum suum Patri commendauit. Quare Diuus Augustinus probans quòd mediante timore vera acquiritur animi fortitudo, concludit: Quapropter discat timere, qui non vult timere.] Et Abbas Guerricus, de hoc mortis timore in vita agens. Vna, inquit, securitas est, nunquam esse securum: quatenus timor se obseruans reddat semper paratum, donec securitas succedat timori, non timor securitati.]

Aug. ser. 214.

Guerr. ser. 3. de Aduen.

Sancti Patres, Hieronymus, Chrysostomus, & Cyrillus, quos alij sequuntur, huius magnæ vocis causam eam fuisse existimant, vt in hoc vltimo etiam vitæ momento manifestum cunctis faceret, se non violenter, aut aliena vi coactum, aut etiam naturali necessitate compulsum vitam finire, sed quia voluntariè & spontaneè mori voluit, quando, & quomodo ei placuit: quod fidei documentum & ante passionem, & in ipsius passionis decursu sæpissimè testatum reddidit. Naturalis mortis vis in illum minimè poterat præualere: quia licet verus esset homo, atque verus Adami filius secundùm corpulentam substantiam (vt Theologi loquuntur) & omnes Adami filij mortis imperio subijciantur, vt ait Apostolus, statutum est hominibus semel mori:] attamen sicut ab Adami culpa naturaliter, vt Deus, & ex vi suæ conceptionis supernaturaliter ab Spiritu sancto in vtero Virginis operatæ omnino erat immunis, & liber; ita pœnæ mortis in peccatores latæ minimè subiacebat: quare si ille spontè sua se morti non subiecisset, mori minimè potuisset: vt latius sequenti sermone ostendemus. Deinde neque violenta, & ab alijs illata morte occumberet, si ipse non traderet seipsum in manus eorum, qui eum crucifixerunt. Quod, & verbis, & operibus sæpe ostendit. *Nemo*, (dixit ille Pharisæis) *tollit animam meam à me, sed ego pono eam à meipso. Potestatem habeo ponendi eam & potestatem habeo iterum sumendi eam.*] Opere autem euidentissimè comprobauit, quando vnico verbo, Ego sum,]

Heb. 9.

Ioan. 10.

 omnes,

omnes, qui armati ad eum comprehendendum venerant, retrorsum ceciderunt, vnde non surrexerunt, nisi quando ipse permisit. Deinde Petrum arguens, qui serui auriculam absciderat, percussumque sanans, dixit Petro: *An pu tas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plus quã duodecim legiones Angelorum?*] quod & alias sæpius, & multis ostendit. Hæc namque veritas ad firmandam redemptionis fidem summè erat necessaria, quia videlicet ideo nos perfectè potuit redimere, quia volens & libens non ob propria delicta, quæ neque habuit, neque habere potuit, sed propter nos homines peccatores, & propter salutem se morti obtulit, & ab impijs voluit occidi: conducit etiam plurimum ad corda nostra in eius amorem accendenda, firma fide cognoscere, quod ipse cùm mortis legibus non teneretur, vt nos ab æterna morte liberaret, mortis dolores, & acerbissimos quidem, voluit perferre. Quare vt hanc virtutem in vltimis confirmatam relinqueret, hanc magnam emisit vocem, qua euidenter demonstrauit se & vitam & corporis vires in sua habere potestate. Consideremus, quæso, in quonam statu tunc extiterit Dominus Iesus. Ingressus iam fuerat vltimum mortis articulũ, corp' sanguine vacuum omnem perdiderat calorẽ, & deinde vulneribus vndique apertum, ventis expositum, & in mõtis cacumine supra crucem eleuatũ, frigore rigebat: & cùm animales spiritus iam omnino deficerent, corpus ipsum pondere suo deorsum tendẽs manus atque latus clauis cõfixos grauius torquebat. Cùm etiam sicut cæteri hominum, animam ageret, respiratio vel contrahebatur, vel laxabatur, os & labia iam in nigredinem versa vel comprimebantur, vel aperiebantur, ita vt iamiam vltimum videretur spiritũ exhalaturus, quod & naturali ordine erat euenturum. At tunc caput sursum summa vi erexit, oculos lumine pene orbatos aperiens in cœlum subleuauit, & ingenti voce atque va-

Matth. 26.

v.

valentiori quàm cuiuslibet alterius hominis, sani & viribus magnis pollentis, diuinis illis verbis deprecatus est. Nonne euidentissimè in hoc vnico facto declarauit se & vitæ suæ ac mortis, viriumque suarum corporis & animæ Dominum esse? Ipse igitur, quando voluit, spiritum in Patris manus commendauit, ipse vitam pro nobis posuit, quæ aliter nulla humana vi aut naturali ab eo tolli poterat. Huius causam Diuus Bernardus considerans, ait, quod peccator duplicem per peccatum mortem incurrit, vnam spiritualem & voluntariam, alteram corporalem & necessariam. Spiritualis mors est illa ob quam animæ vitam, quæ Deus est, amittimus, eaque voluntaria, quia sponte sua vnusquisque peccans à Deo separatur, gratiàque vitam perdit. Corporalis autem mors ea est per quam anima à corpore separatur, ne illud viuificet: quæ necessaria est, quia in pœnam peccati omnes homines ad eam sustinendam, velint nolint, sunt coacti. Et merito quidem hac necessaria, & inuoluntaria corporis morte puniuntur illi, qui voluntariè in spiritualem animæ mortem se præcipitant. Vtrique morti, inquit Bernardus, Deus homo, vna sua corporali & voluntaria morte benignè, & potenter occurrit, illaque vna sua nostram vtramque damnauit. Meritò quidem. Nam ex duabus mortibus nostris, cùm altera nobis in culpæ meritum, altera in pœnæ debitum reputaretur, suscipiens pœnam, & nesciens culpam, dum sponte, & tantum in corpore moritur, & vitam nobis & iustitiam promeretur. Alioquin si corporaliter non pateretur, debitum non soluisset: si non voluntariè moreretur, meritum mors illa non habuisset] hæc ex Bernardo. Ex quibus infertur, quantum nostra intererat, perspicuè & euidenter cognoscere spontaneam & prorsus voluntariam fuisse Christi Domini mortem.

Bern. ad milit. cap. 11.

Euthymius aliam assignat causam, quæ vtilissimum

mum & summoperè necessarium vitæ documentum continet: ait namque, Dominum Iesum voluisse ostendere illam summam voluntatis submissionem, atque conformitatem, per quam in omni vitæ suæ discursu diuinæ Patris suæ voluntati se subdiderat, & in omnibus conformauerat. Dixerat ipse Dominus de se loquens: *Descendi de cælo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me.* Et iterum: *Ego quæ placita sunt ei, facio semper.* Cùm verò paulò antequam hæc vltima verba protulisset, magna voce clamans se à Deo suo derelictum conquereretur, vnde alicui poterat in mentem venire, vel aliquam inter Patrem & filium ipsum discordiam esse obortam, vel eundem impatienter ferre humanitatem suam in tormentis fuisse derelictam, cùm hæc omnia multò aliter se haberent: ideo alia maiori voce hæc vltima verba clamans dixit; quibus & ostendit intimam illam voluntatis suæ cum Patris voluntate concordiam atque vniformitatem, cui tanta fiducia spiritum commendabat: & nos deinde instruit, eam esse rectè viuendi normam, optimamque ad mortem præparationem, si vnusquisque diuinæ se voluntati in omnibus subijci curet, totum se in diuinum beneplacitum resignet; & promptissima voluntatis obedientia Dei sui dispositioni se subdat. Prima Christi Domini verba in Euangelio scripta sunt illa, quæ ipse cùm duodecim esset annorum, & in templo à sanctissima Matre post triduum fuisset repertus, illi respondit, cùm ipsa veluti conquesta dixisset: *Fili quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.*] Cui ille: *Quid est quod me quærebatis? nesciebatis quia in his quæ patris mei sunt oportet me esse?* Ecce prima Iesu verba, quæ nobis nota esse voluit: in quibus expresse ostendit, se nihil potissimum in animo habere, quàm ea exequi quæ sibi à Deo Patre suo fuerant imperata. His ergò primis verbis respondent vltima, quibus euidentissimè ostendit se eandem obedientiam per totum

Ioan. 6.
Cap. 8.
Luc. 2.

tum

tum vitæ ſpatium ad vnguem ſeruaſſe perfectamque conformitatem cum Patris voluntate ſemper habuiſſe. Hinc igitur edocemur, quod & ad vitam probè dirigendam, & ad mortis horam ſecurè expectandam conuenientiſsimum exiſtit medium noſipſos noſtraſque omnes voluntates in diuinam Dei noſtri voluntatem reſignare, eidem adhærere, ſemperque, & in mente, & in ore illam petitionem habere, quam ipſe Dominus nos docuit Patrem orare: *Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo & in terra.*] Contigit, vt, cùm aliqui ſanctiſsimi eremi Patres ad colloquium ſpirituale conueniſſent (ſicut ſæpè fieri ſolitum erat) & inter ſe quærerent, quænam præſtantior & conuenientior eſſet ad mortem præparatio, diuerſi diuerſa aſsignarint. Quidam namque ex illis aſſerebant pœnitentiam atque vehementem cordis contritionem imprimis eſſe neceſſariam: alius deuotam atque continuam orationem laudabat: alius frequentem ſanctorum ſacramentorum perceptionem ſummè extollebat: alius ſuffragia atque merita ſanctorum plurimum conducere cenſebat. Vltimo loco ſanctus quidam ſenex ita dixit: Ego, fratres, vt me hora mortis paratum inueniat, perfectam deſidero cum diuina voluntate conformitatem, ſummam obedientiam, & omnimodam in eius beneplacitum reſignationem. Cui ſententiæ omnes ſubſcripſerunt, expendentes, quod inde proueniret cæterorum omnium fructus & vtilitas. Namque ea vtilis eſt pœnitentia, atque peccatorum contritio, quæ ideo præſertim de peccatis dolet, eaque odit & execratur, quia Deo diſplicent, eiuſque voluntati aduerſantur: quo igitur voluntas noſtra magis diuinæ voluntati fuerit vnita, atque conformis, eo plus commiſſa deflebit peccata, eaque fugiet & abominabitur. Hac voluntatis propriæ ſubiectione anima diſponitur, vt debitè ſacramentis diuinis vtatur, eorumque fructum percipiat. Hæc orationi virtutem & efficaciam præbet, vt à Domino exaudiri mereatur. Hæc denique facit,

cit, vt nobis prosint suffragia atque merita sanctorum, qui nihil ab eo postulant, nisi quod ipsi placitum esse cognoscunt. Cùm enim hęc animi submissio nos intimè Deo vniat, & hæc resignatio totalis propriam amputet radicitus confidentiam, atque spiritus præsumptionem, vt soli Deo anima innitatur, inde cætera bona proueniunt, eamque in hora mortis animi quietem, atque de diuina bonitate fiduciam, quam Dominus Iesus his vltimis verbis expressit, abundè præbent.

Pater.] Hoc Patris nomen ex se fiduciam excitat, & in spem erigit, vt, qui filius est, se paternæ dispositioni committere non vereatur. Quare in ea oratione ab ipso Christo Domino composita, & discipulis tradita, vt eos doceret orare, à Patris nomine initium sumitur dicendo, Pater noster] quo nomine innixi, paternumque amorem ob oculos proponentes, cætera, quæ deinde postulare docemur, summa fiducia expectemus. Si igitur adoptiuis filijs, in quibus plura reperiuntur quæ paternos oculos lædunt, & sæpè inobedientiæ possunt argui, tantam præstat confidentiam Patris nomen; quid non speraret naturalis & vnigenitus filius pro ipsius Patris gloria factus obediens vsque ad mortem?

In manus tuas.] Per Dei manus possimus intelligere eius omnipotentiam, eiusque misericordiam: per hæc enim duo diuina attributa veluti per manus omnia diuina opera nobis innotescunt, & Deus ipse quodammodo operatur. Quid ni igitur fidelis anima se illius Patris manibus audacter non

Fulgentius. committat, in quo, vt Diuus ait Fulgentius, & misericordia est omnipotens & omnipotentia misericors? Hæ sunt manus, quibus nos ipsos securissimè posse committere Christus Dominus exemplo suo ostendit; ijs nos tradere desiderat. O quanto satius, atque vtilius est, Charissimi, hisce nos manibus voluntariè & sponte tradi, quàm in eas vel inui-

nitos incidere. Ait enim Diuus Paulus, *Horrendum est incidere in manus Dei viuentis*: quarum iudicium nullus velit nolit, minimè potest effugere, nisi ille, qui dum viuit, & sui est compos, illis se omnino gubernandum committit. Heb. 10.

Commendo spiritum meum.] Verbum, *Commendo*, Tertullianus & Diuus Ambrosius per verbum Depono explicant, quasi Christus Dominus spiritum suum in manibus Patris seruandum deposuerit, vt in die Resurrectionis sibi iterum restitueret, simulque ostenderet non esse deinceps iustorum animas in sinu Abrahæ depositandas, sed in ipsis Patris sui manibus, vbi diuina ipsius visione perfruentes vsque ad generalem corporum resurrectionem securæ fruebuntur. Spiritum autem suum dicit, quia de anima loquitur, qua vt verus homo constabat. In cruce, ait Diuus Ambrosius, corpus relinquebat, vt in sepulchrum duceretur, indeque resurgeret; animam cœlestis Patris commendat manibus, vt inter cœlum & terram pax omni ex parte firmaretur; neque omnipotentes illæ Patris manus debitam pro meritis de hominibus vindictam sumerent, in quibus sanctissima filij sui anima veluti obsidem in terra reliquerat. Quare, ait Diuus Cyrillus, huius orationis merito effectum esse vt iustorum animæ deinceps summa fiducia possent illico post mortem eam expectare gloriam, quæ in Patris manibus ab æterno asseruabatur, quia Dominus Iesus caput nostrum viam illis aperuit, quando dixit: *Commendo spiritum meum.* Sumpsit autem Dominus hæc verba ex Psalmo trigesimo. Quæ omnia Psalmi verba exponens Diuus Augustinus ait, quod prima illa pars, quam Dominus protulit, videlicet: *In manus tuas Domine commendo spiritum meum*, in persona ipsius Christi Domini tanquam capitis nostri prædicta fuere. Secunda verò pars nimirum, *Redemisti me Domine Deus veritatis*, in persona populi redempti, qui ad membra ipsius Christi pertinet:

Tertullian. S. Ambros.

Ambrosius.

Cyrill. super Ioan.

Augustin in Psalm. 30.

qui etiam ob illa verba capitis sui, immensas eidem Patri gratias refert, qui vt Deus verax in promissionibus suis nos per eandem filij sui mortem redemit, aditumque patefecit omnibus ad ipsum ingredi volentibus. *Qui adhæret Domino*, inquit

1. Cor. 6.

Paulus, *vnus spiritus est*. Ipse etiam Christus Dominus in ea oratione qua Patrem post cœnam pro discipulis atque fidelibus suis deprecatus est, ab eo petit, vt sint vnum cum eo. Quando igitur dixit: *Commendo spiritum meum*, simul omnes eos Patri commendauit, qui illi fide, & charitate adhærentes vnus spiritus fierent, vnumque cum eo futuri essent. Quod Diuus Athanasius confirmat dicens,

Athanasius.

Hac oratione nos Christus Patri commendauit: sumus enim membra eius.] Aduertit tamen, atque admonet Diuus Bernardus, quod vt quisque nostrum ad eam vnionem cum Christi Iesu spiritu sic admittatur, vt cùm eo confidenter hanc vltimam suam orationem Patri posſit offerre, prius quanta potuerit sollicitudine eas virtutes sequatur, quarum exempla siue documenta in præcedentibus sex verbis nobis imitanda proposuit. In primis igitur illam charitatis latitudinem intueamur, quæ ad inimicos in ipso etiam inimicitiæ & odij actu permanentibus se extendit, quando pro illis exorauit, *Pater ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt*, vt nos etiam pro illis qui nos persequuntur, & perdere cupiunt, Dominum deprecemur. Secundo cùm eum latroni dicentem audimus, *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso*, alium dilectionis affectum imitemur circa eos qui ex inimicis amici facti sunt, & nobiscum in gratiam redierunt. Tertio ab illa, quam de matre curam gesſit, cùm ei dixit: *Mulier, ecce filius tuus*, perdiscamus illis charitatis affectum exhibere, quos natura ipsa duce diligere tenemur. Quarto illam magnam clamoris vocem, qua dixit, *Deus meus, Deus meus, quare dereliquisti me?* mentis auribus percipientes, benignam Domini Iesu compasſionem nobis imitandam proponamus,

Bern. de paſſ.

ob quam miserrimum illorum statum , qui culpa sua à Deo derelinquuntur deflebat, & insuper omnes cunctorum afflictiones atque orbitates vt proprias Deo offerebat. Quinto, in verbo, *Sitio*, nos edocet, & exhortatur, vt summo atque ardenti desiderio tum nostram , tum etiam proximorum salutem perquiramus. Sexto dicens, *Consummatum est*, ad perseuerandum vsque in finem adhortatur: Qui ergo cùm eousque ad finem in ijs virtutibus se exercuerit, cum eo etiam fiducialiter dicet : *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.*

Attentis auribus, & defixis in filium oculis cùm iuxta crucem Virgo eius Mater astaret, auditis hisce verbis statim postea spiritum in Patris manus esse tradendum cognouit: quem ipsa libentissimè comitaretur: at diuinæ se voluntati omnino submittens eidem Patri eundem spiritum filij sui commendauit. Quem spiritum suum etiam merito poterat appellare, quia licet anima à solo Deo fuerit creata, Christus tamen propriè & verè naturalis eius erat filius, Christus autem, vt verus homo ex corpore, & anima constabat; illius ergo animam, siue spiritum, sicut & corpus suum dicere poterat Virgo Mater, Patremque deprecari dicens, siquidem Pater sanctissime, tibi placuit vnum & eundemmet filium mecum habere communem, qui naturalis tuus filius est, quia vt Deus de Deo naturaliter ab æterno à te procedit, meus autem etiam naturalis filius, quia vt homo ex meis visceribus fuit efformatus, ex me genitus, & natus. Ob illam igitur, quam mihi vendico partem, in manus tuas commendo , atque veluti depositum seruandum trado hunc meum spiritum, qui corpus ex me genitum viuificabat, & per me humanam vitam accepit, sub cuius ego vmbra viuo: vt mihi illum restituas, & ad viuificãdum corpus, quod mortuum relinquit, quamprimum mittas, vt ego cum illo reuiuiscam. Hæc potuit esse Matris pijssimæ oratio, cum filij vltima verba audiuit : in qua oratione

minimè formidare. Diuus Hieronymus explicans illa Psalmi verba, *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput,*] Torrens, inquit, non habet aquas, quæ semper perfluunt, sed habet aquas de tempestatibus, de pluuijs, de turbine, & procellis: torrens nunquam habet mundam aquam, sed semper turbidam: hoc dicitur quoniam seculi istius aquæ semper turbidæ sunt, semper plenæ tempestate. Bibit ergo Dominus Iesus de torrente turbido quando in horto cœpit pauere, & tædere, ita vt diceret: Tristis est anima mea vsque ad mortem: Bibit de torrente huius sæculi aquas turbidas, aquas tristes, quę non habent lætitiam: tulit calicem, & impleuit de torrente mundi; & quoniam turbidæ erant aquæ, dicit: Pater si possibile est, transeat calix iste à me. Bibit ergo de torrente mundi istius, sed non bibit quasi in domo sua, sed in via ad alia ire festinans.] Neque mysterio vacat, torrentem iuxta quem Dominus has timoris & angustiæ aquas ebibit, Cedron fuisse appellatum. Cedron namque (addit Hieronymus) lingua Hebraica interpretatur Tenebræ, Vides igitur, inquit, quoniam currentes huius sæculi in tenebris sunt. Dominus ergò cùm traditur, non traditur in monte Oliueti, non in templo, sed in torrente, & torrente tenebrarum, hoc est, Cedron. Et quia bibit Dominus de hoc torrente, & mortis metum atque amaritudinem prius degustauit; propterea in morte caput exaltauit, & à Patre fuit exaltatus, & ipsa morte, mortem superauit, caputque draconis in terra conquassauit.] Hæc ex Hieronymo. Nobis insuper saluberrimam atque pernecessariam admonitionem exemplo suo reliquit, vt scilicet ne mors in mortis hora terribilis, & horrenda appareat, timoreque sui animam egredientem conturbet, in via vitæ timeatur, & timore illo sancto atque sapienti compungat, qui nos ad vigilandum atque orandum excitet, sicut Dominus Iesus in horto nos edocuit: cuius timoris effectum voluit explicare, quando in vltimo vitæ hali-

Hieron. in Psalm. 109.

tu magna voce cum tanta fiducia ſpiritum ſuum Patri commendauit. Quare Diuus Auguſtinus probans quòd mediante timore vera acquiritur animi fortitudo, concludit: Quapropter diſcat timere, qui non vult timere.] Et Abbas Guerricus, de hoc mortis timore in vita agens. Vna, inquit, ſecuritas eſt, nunquam eſſe ſecurum: quatenus timor ſe obſeruans reddat ſemper paratum, donec ſecuritas ſuccedat timori, non timor ſecuritati.] Aug. ſer. 214. Guerr. ſer. 3. de Aduen.

Sancti Patres, Hieronymus, Chryſoſtomus, & Cyrillus, quos alij ſequuntur, huius magnæ vocis cauſam eam fuiſſe exiſtimant, vt in hoc vltimo etiam vitæ momento manifeſtum cunctis faceret, ſe non violenter, aut aliena vi coactum, aut etiam naturali neceſsitate compulſum vitam finire, ſed quia voluntariè & ſpontaneè mori voluit, quando, & quomodo ei placuit: quod fidei documentum & ante paſsionem, & in ipſius paſsionis decurſu ſæpiſsimè teſtatum reddidit. Naturalis mortis vis in illum minimè poterat præualere: quia licet verus eſſet homo, atque verus Adami filius ſecundùm corpulentam ſubſtantiam (vt Theologi loquuntur) & omnes Adami filij mortis imperio ſubijciantur, vt ait Apoſtolus, ſtatutum eſt hominibus ſemel mori:] attamen ſicut ab Adami culpa naturaliter, vt Deus, & ex vi ſuæ conceptionis ſupernaturaliter ab Spiritu ſancto in vtero Virginis operatæ omnino erat immunis, & liber; ita pœnæ mortis in peccatores latæ minimè ſubiacebat: quare ſi ille ſpontè ſua ſe morti non ſubiecisſet, mori minimè potuiſſet: vt latius ſequenti ſermone oſtendemus. Deinde neque violenta, & ab alijs illata morte occumberet, ſi ipſe non traderet ſeipſum in manus eorum, qui eum crucifixerunt. Quod, & verbis, & operibus ſæpe oſtendit. *Nemo,* (dixit ille Phariſæis) *tollit animam meam à me, ſed ego pono eam à meipſo. Poteſtatem habeo ponendi eam & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam.*] Opere autem euidentiſsimè comprobauit, quando vnico verbo, Ego ſum,] Heb. 9. Ioan. 10.

omnes, qui armati ad eum comprehendendum venerant, retrorsum ceciderunt, vnde non surrexerunt, nisi quando ipse permisit. Deinde Petrum arguens, qui serui auriculam absciderat, percussumque sanans, dixit Petro: *An putas quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plus quã duodecim legiones Angelorum?*] quod & alias sæpius, & multis ostendit. Hæc namque veritas ad firmandam redemptionis fidem summè erat necessaria, quia videlicet ideo nos perfectè potuit redimere, quia volens & libens non ob propria delicta, quæ neque habuit, neque habere potuit, sed propter nos homines peccatores, & propter salutem se morti obtulit, & ab impijs voluit occidi: conducit etiam plurimum ad corda nostra in eius amorem accendenda, firma fide cognoscere, quod ipse cùm mortis legibus non teneretur, vt nos ab ęterna morte liberaret, mortis dolores, & acerbissimos quidem, voluit perferre. Quare vt hanc virtutem in vltimis confirmatam relinqueret, hanc magnam emisit vocem, qua euidenter demonstrauit se & vitam & corporis vires in sua habere potestate. Consideremus, quæso, in quonam statu tunc extiterit Dominus Iesus. Ingressus iam fuerat vltimum mortis articulũ, corp⁹ sanguine vacuum omnem perdiderat calorẽ, & deinde vulneribus vndiq; apertum, ventis expositum, & in mõtis cacumine supra crucem eleuatũ, frigore rigebat: & cùm animales spiritus iam omnino deficerent, corpus ipsum pondere suo deorsum tendẽs manus atq; latus clauis cõfixos grauius torquebat. Cùm etiam sicut cæteri hominum, animam ageret, respiratio vel contrahebatur, vel laxabatur, os & labia iam in nigredinem versa vel comprimebantur, vel aperiebantur, ita vt iamiam vltimum videretur spiritũ exhalaturus, quod & naturali ordine erat euenturum. At tunc caput sursum summa vi erexit, oculos lumine pene orbatos aperiens in cœlum subleuauit, & ingenti voce atque va-

Matth. 26.

valentiori quàm cuiuslibet alterius hominis, sani & viribus magnis pollentis, diuinis illis verbis deprecatus est. Nonne euidentissimè in hoc vnico facto declarauit se & vitæ suæ ac mortis, viriumque suarum corporis & animæ Dominum esse? Ipse igitur, quando voluit, spiritum in Patris manus commendauit, ipse vitam pro nobis posuit, quæ aliter nulla humana vi aut naturali ab eo tolli poterat. Huius causam Diuus Bernardus considerans, ait, quod peccator duplicem per peccatum mortem incurrit, vnam spiritualem & voluntariam, alteram corporalem & necessariam. Spiritualis mors est illa ob quam animæ vitam, quæ Deus est, amittimus, eaque voluntaria, quia sponte sua vnusquisque peccans à Deo separatur, gratiisque vitam perdit. Corporalis autem mors ea est per quam anima à corpore separatur, ne illud viuificet: quæ necessaria est, quia in pœnam peccati omnes homines ad eam sustinendam, velint nolint, sunt coacti. Et merito quidem hac necessaria, & inuoluntaria corporis morte puniuntur illi, qui voluntariè in spiritualem animæ mortem se præcipitant. Vtrique morti, inquit Bernardus, Deus homo, vna sua corporali & voluntaria morte benignè, & potenter occurrit, illaque vna sua nostram vtramque damnauit. Meritò quidem. Nam ex duabus mortibus nostris, cùm altera nobis in culpæ meritum, altera in pœnæ debitum reputaretur, suscipiens pœnam, & nesciens culpam, dum sponte, & tantùm in corpore moritur, & vitam nobis & iustitiam promeretur. Alioquin si corporaliter non pateretur, debitum non soluisset: si non voluntariè moreretur, meritum mors illa non habuisset] hæc ex Bernardo. Ex quibus infertur, quantum nostra intererat, perspicuè & euidenter cognoscere spontaneam & prorsus voluntariam fuisse Christi Domini mortem. Bern. ad mil. cap. 11.

Euthymius aliam assignat causam, quæ vtilissimum

mum & summoperè necessarium vitæ documentum continet: ait namque, Dominum Iesum voluisse ostendere illam summam voluntatis submissionem, atque conformitatem, per quam in omni vitæ suæ discursu diuinæ Patris suæ voluntati se subdiderat, & in omnibus conformauerat. Dixerat ipse Dominus de se loquens: *Descendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me.* Et iterum: *Ego quæ placita sunt ei, facio semper.* Cùm verò paulò antequam hæc vltima verba protulisset, magna voce clamans se à Deo suo derelictum conquereretur, vnde alicui poterat in mentem venire, vel aliquam inter Patrem & filium ipsum discordiam esse obortam, vel eundem impatienter ferre humanitatem suam in tormentis fuisse derelictam, cùm hæc omnia multò aliter se haberent: ideo alia maiori voce hæc vltima verba clamans dixit; quibus & ostendit intimam illam voluntatis suæ cum Patris voluntate concordiam atque vniformitatem, cui tanta fiducia spiritum commendabat: & nos deinde instruit, eam esse rectè viuendi normam, optimamque ad mortem præparationem, si vnusquisque diuinæ se voluntati in omnibus subijci curet, totum se in diuinum beneplacitum resignet; & promptissima voluntatis obedientia Dei sui dispositioni se subdat. Prima Christi Domini verba in Euangelio scripta sunt illa, quæ ipse cùm duodecim esset annorum, & in templo à sanctissima Matre post triduum fuisset repertus, illi respondit, cùm ipsa veluti conquesta dixisset: *Fili quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.*] Cui ille: *Quid est quod me quærebatis? nesciebatis quia in his quæ patris mei sunt oportet me esse?* Ecce prima Iesu verba, quæ nobis nota esse voluit: in quibus expresse ostendit, se nihil potissimum in animo habere, quàm ea exequi quæ sibi à Deo Patre suo fuerant imperata. His ergò primis verbis respondent vltima, quibus euidentissimè ostendit se eandem obedientiam per totum

Ioan. 6.

Cap. 8.

Luc. 2.

tum vitæ ſpatium ad vnguem ſeruaſſe perfectamque conformitatem cum Patris voluntate ſemper habuiſſe. Hinc igitur edocemur, quod & ad vitam probè dirigendam, & ad mortis horam ſecurè expectandam conuenientiſsimum exiſtit medium noſipſos noſtrasque omnes voluntates in diuinam Dei noſtri voluntatem reſignare, eidem adhærere, ſemperque, & in mente, & in ore illam petitionem habere, quam ipſe Dominus nos docuit Patrem orare: *Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo & in terra.*] Contigit, vt, cùm aliqui ſanctiſsimi eremi Patres ad colloquium ſpirituale conueniſſent (ſicut ſæpè fieri ſolitum erat) & inter ſe quærerent, quænam præſtantior & conuenientior eſſet ad mortem præparatio, diuerſi diuerſa aſsignarint. Quidam namque ex illis aſſerebant pœnitentiam atque vehementem cordis contritionem imprimis eſſe neceſſariam: alius deuotam atque continuam orationem laudabat: alius frequentem ſanctorum ſacramentorum perceptionem ſummè extollebat: alius ſuffragia atque merita ſanctorum plurimum conducere cenſebat. Vltimo loco ſanctus quidam ſenex ita dixit: Ego, fratres, vt me hora mortis paratum inueniat, perfectam deſidero cum diuina voluntate conformitatem, ſummam obedientiam, & omnimodam in eius beneplacitum reſignationem. Cui ſententiæ omnes ſubſcripſerunt, expendentes, quod inde prouenirec cæterorum omnium fructus & vtilitas. Namque ea vtilis eſt pœnitentia, atque peccatorum contritio, quæ ideo præſertim de peccatis dolet, eaque odit & execratur, quia Deo diſplicent, eiuſque voluntati aduerſantur: quo igitur voluntas noſtra magis diuinæ voluntati fuerit vnita, atque conformis, eo plus commiſſa deflebit peccata, eaque fugiet & abominabitur. Hac voluntatis propriæ ſubiectione anima diſponitur, vt debitè ſacramentis diuinis vtatur, eorumque fructum percipiat. Hæc orationi virtutem & efficaciam præbet, vt à Domino exaudiri mereatur. Hæc denique facit,

cit, vt nobis prosint suffragia atque merita sanctorum, qui nihil ab eo postulant, nisi quod ipsi placitum esse cognoscunt. Cùm enim hęc animi submissio nos intimè Deo vniat, & hæc resignatio totalis propriam amputet radicitus confidentiam, atque spiritus præsumptionem, vt soli Deo anima innitatur, inde cætera bona proueniunt, eamque in hora mortis animi quietem, atque de diuina bonitate fiduciam, quam Dominus Iesus his vltimis verbis expressit, abundè præbent.

Pater.] Hoc Patris nomen ex se fiduciam excitat, & in spem erigit, vt, qui filius est, se paternæ dispositioni committere non vereatur. Quare in ea oratione ab ipso Christo Domino composita, & discipulis tradita, vt eos doceret orare, à Patris nomine initium sumitur dicendo, Pater noster] quo nomine innixi, paternumque amorem ob oculos proponentes, cætera, quæ deinde postulare docemur, summa fiducia expectemus. Si igitur adoptiuis filijs, in quibus plura reperiuntur quæ paternos oculos lædunt, & sæpè inobedientiæ possunt argui, tantam præstat confidentiam Patris nomen; quid non speraret naturalis & vnigenitus filius pro ipsius Patris gloria factus obediens vsque ad mortem?

In manus tuas.] Per Dei manus possumus intelligere eius omnipotentiam, eiusque misericordiam: per hæc enim duo diuina attributa veluti per manus omnia diuina opera nobis innotescunt, & Deus ipse quodammodo operatur. Quid ni igitur fidelis anima se illius Patris manibus audacter non committat, in quo, vt Diuus ait Fulgentius, & misericordia est omnipotens & omnipotentia misericors? Hæ sunt manus, quibus nos ipsos securissimè posse committere Christus Dominus exemplo suo ostendit, ijs nos tradere desiderat. O quanto satius, atque vtilius est, Charissimi, hisce nos manibus voluntariè & spontè tradi, quàm in eas vel inui-

Fulgentius.

nitos incidere. Ait enim Diuus Paulus, *Horrendum est incidere in manus Dei viuentis*: quarum iudicium nullus velit nolit, minimè potest effugere, nisi ille, qui dum viuit, & sui est compos, illis se omnino gubernandum committit. Heb. 10.

Commendo spiritum meum.] Verbum, *Commendo*, Tertullianus & Diuus Ambrosius per verbum Depono explicant, quasi Christus Dominus spiritum suum in manibus Patris seruandum deposuerit, vt in die Resurrectionis sibi iterum restitueret, simulque ostenderet non esse deinceps iustorum animas in sinu Abrahæ depositandas, sed in ipsis Patris sui manibus, vbi diuina ipsius visione perfruentes vsque ad generalem corporum resurrectionem securæ fecumbuntur. Spiritum autem suum dicit, quia de anima loquitur, qua vt verus homo constabat. In cruce, ait Diuus Ambrosius, corpus relinquebat, vt in sepulchrum duceretur, indeque resurgeret; animam cœlestis Patris commendat manibus, vt inter cœlum & terram pax omni ex parte firmaretur; neque omnipotentes illæ Patris manus debitam pro meritis de hominibus vindictam sumerent, in quibus sanctissima filij sui anima veluti obsidem in terra reliquerat. Quare, ait Diuus Cyrillus, huius orationis merito effectum esse vt iustorum animæ deinceps summa fiducia possent illico post mortem eam expectare gloriam, quæ in Patris manibus ab æterno asseruabatur, quia Dominus Iesus caput nostrum viam illis aperuit, quando dixit: *Commendo spiritum meum.* Sumpsit autem Dominus hæc verba ex Psalmo trigesimo. Quæ omnia Psalmi verba exponens Diuus Augustinus ait, quod prima illa pars, quam Dominus protulit, videlicet: *In manus tuas Domine commendo spiritum meum*, in persona ipsius Christi Domini tanquam capitis nostri prædicta fuere. Secunda verò pars nimirum, *Redemisti me Domine Deus veritatis*, in persona populi redempti, qui ad membra ipsius Christi pertinet:

Tertullian. S. Ambros. Ambrosius. Cyrill. super Ioan. Augustin in Psalm. 30.

qui etiam ob illa verba capitis sui, immensas eidem Patri gratias refert, qui vt Deus verax in promissionibus suis nos per eandem filij sui mortem redemit, aditumque patefecit omnibus ad ipsum ingredi volentibus. *Qui adhæret Domino*, inquit Paulus, *vnus spiritus est*. Ipse etiam Christus Dominus in ea oratione qua Patrem post cœnam pro discipulis atque fidelibus suis deprecatus est, ab eo petit, vt sint vnum cum eo. Quando igitur dixit: *Commendo spiritum meum*, simul omnes eos Patri commendauit, qui illi fide, & charitate adhærentes vnus spiritus fierent, vnumque cum eo futuri essent. Quod Diuus Athanasius confirmat dicens, Hac oratione nos Christus Patri commendauit: sumus enim membra eius.] Aduertit tamen, atque admonet Diuus Bernardus, quod vt quisque nostrum ad eam vnionem cum Christi Iesu spiritu sic admittatur, vt cùm eo confidenter hanc vltimam suam orationem Patri posit offerre, prius quanta potuerit sollicitudine eas virtutes sequatur, quarum exempla siue documenta in præcedentibus sex verbis nobis imitanda proposuit. In primis igitur illam charitatis latitudinem intueamur, quæ ad inimicos in ipso etiam inimicitiæ & odij actu permanentibus se extendit, quando pro illis exorauit, *Pater ignosce illis, non enim sciunt quid faciunt*, vt nos etiam pro illis qui nos persequuntur, & perdere cupiunt, Dominum deprecemur. Secundo cùm eum latroni dicentem audimus, *Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso*, alium dilectionis affectum imitemur circa eos qui ex inimicis amici facti sunt, & nobiscum in gratiam redierunt. Tertio ab illa, quam de matre curam gessit, cùm ei dixit: *Mulier, ecce filius tuus*, perdiscamus illis charitatis affectum exhibere, quos natura ipsa duce diligere tenemur. Quarto illam magnam clamoris vocem, qua dixit, *Deus meus, Deus meus, quare dereliquisti me?* mentis auribus percipientes, benignam Domini Iesu compassionem nobis imitandam proponamus,

2. Cor. 6.

Athanasius.

Bern. de pass.

ob quam miserrimum illorum statum, qui culpa sua à Deo derelinquuntur deflebat, & insuper omnes cunctorum afflictiones atque orbitates vt proprias Deo offerebat. Quinto, in verbo, *Sitio*, nos edocet, & exhortatur, vt summo atque ardenti desiderio tum nostram, tum etiam proximorum salutem perquiramus. Sexto dicens, *Consummatum est*, ad perseuerandum vsque in finem adhortatur: Qui ergo cùm eousque ad finem in ijs virtutibus se exercuerit, cum eo etiam fiducialiter dicet: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.*

Attentis auribus, & defixis in filium oculis cùm iuxta crucem Virgo eius Mater astaret, auditis hisce verbis statim postea spiritum in Patris manus esse tradendum cognouit: quem ipsa libentissimè comitaretur: at diuinæ se voluntati omnino submittens eidem Patri eundem spiritum filij sui commendauit. Quem spiritum suum etiam merito poterat appellare, quia licet anima à solo Deo fuerit creata, Christus tamen propriè & verè naturalis eius erat filius, Christus autem, vt verus homo ex corpore, & anima constabat; illius ergo animam, siue spiritum, sicut & corpus suum dicere poterat Virgo Mater, Patremque deprecari dicens, siquidem Pater sanctissime, tibi placuit vnum & eundemmet filium mecum habere communem, qui naturalis tuus filius est, quia vt Deus de Deo naturaliter ab æterno à te procedit, meus autem etiam naturalis filius, quia vt homo ex meis visceribus fuit efformatus, ex me genitus, & natus. Ob illam igitur, quam mihi vendico partem, in manus tuas commendo, atque veluti depositum seruandum trado hunc meum spiritum, qui corpus ex me genitum viuificabat, & per me humanam vitam accepit, sub cuius ego vmbra viuo: vt mihi illum restituas, & ad viuificãdum corpus, quod mortuum relinquit, quamprimum mittas, vt ego cum illo reuiuiscam. Hæc potuit esse Matris pijssimæ oratio, cum filij vltima verba audiuit: in qua oratione

omnes etiam illos Patri commendauit, qui Christo Iesu adhærentes vnum cum eo spiritum fieri vellent.

Petimus ergo, ô clementissima hominum mediatrix, propter hunc dolorem, quo anima tua fuit cruciata, quando filium vltima hæc verba proferentem audisti, quando & magna illa vox vsque ad interiora cordis tui penetrauit, vt nobis rectam fidem, puramque charitatem à filio tuo impetres, quibus illi adhæreamus, vnusque cum eo spiritus efficiamur: quo vnum cum illo effecti, nos in manus Patris sui commendet, à mortis timore in morte securos reddat, perfectamque propriæ voluntatis atque sollicitudinis in diuinum beneplacitum resignationem concedat, vt confidenter eidem dicamus: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Præstante eodem Patre, qui cum filio & Spiritu sancto regnat in æternum. Amen.

DE EADEM Passione.

SERMO DECIMVSQVARTVS.

Et inclinato capite tradidit spiritum. Ioan. cap. 23.

PRolatis vltimis verbis, quæ (vt superiori sermone diximus) Christus Dominus magna voce, & oculis in cœlo defixis effatus est, illico *Inclinato capite*, (ait Euangelista Ioannes) *tradidit spiritum. Emisit spiritum*, dicit sanctus Matthæus. Marcus & Lucas vtuntur verbo, *Expirauit*, quod eundem efficit sensum. Vtuntur autem Euangelistæ spiritus nomine, nō verò animæ, quia tunc proprius anima nomina-

tur.

tur, quando corpori vnitur, illud viuificat & animatum reddit, ſpiritus verò, quando à corpore ſeparatur, quia tunc angelicis ſpiritibus, qui omnino ſunt corporis expertes, aliquo modo magis aſſimilatur. Cùm igitur eo temporis momento Domini Ieſu anima corpus reliquerit, & ab eo fuerit per mortem ſeparata, ſpiritus præſertim dicitur.

Ad vltimum deuenimus Seruatoris noſtri Ieſu Chri-ſti vitæ terminum: de morte enim eius nobis agendum eſt, in qua noſtra redemptio fuit completa, & ad perfectum finem perducta. Quamuis enim quodlibet Chriſti Domini opus pro noſtra ſalute oblatum, ſeu quodlibet tormentum paſsionis eius, ex ſe pretium contineret infinitum & ſufficientiſſimum ad humana debita perſoluenda (vt ſæpè iam diximus) nihilominus tamen diuino iam beatiſſimæ Trinitatis conſilio decretum fuit, vt in morte hęc redemptio conſummaretur, & non ante: ipſe etiam Chriſtus Ieſus Saluator noſter ſuæ dilectioni non plenè ſe ſatisfeciſſe arbitraretur, niſi pro hominibus moreretur. Dixerat enim ille diſcipulos ſuos ad fraternam dilectionem exhortans: *Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem ſicut dilexi vos. Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.*] Cùm igitur ipſe ſuo exemplo diſcipulos ad ſe inuicem diligendum excitaſſet, & illum eſſe præcipuum dilectionis effectum docuiſſet, quando pro amicis vita ponitur & morti traditur, eiuſq; dilectio, vti omnium maxima, non ad amicos tãtum ſed etiam ad inimicos ſe extenderet, ipſamet dilectio eum quodammodo impulit, vt ad mortem vſq; pro hominum ſalute pateretur, & animam pro ipſis poneret, neque aliter huic ſummæ charitati fuiſſet ſatisfactum. *Dilexit me*, inquit Paulus, *& tradidit ſemetipſũ pro me.*] Hoc mihi ſignificare videntur illa Canticorum verba: *Fortis eſt vt mors dilectio.*] Mortis fortitudo ſuper hominum vitas in eo maximè oſtenditur, quod illius vi ſola fit animæ à corpore ſeparatio, &

Ioan. 15.
Gal. 2.
Cant. 6.

na

naturalis illa summaque vnio mortis efficacia dissoluitur. Eamdemmet vim exercet vera dilectio: si amicorum saluti siue honori expediat, naturalem vitæ terminum anticipat, morti subijcitur, antequam tempus à natura præfinitum adueniat, & volens atque lubens animam, vt à corpore separetur, exponit. Hac potius dilectionis fortitudine, quàm mortis vi & necessitate se animam pro hominibus posuisse Dominus Iesus ostendit, quando prius caput inclinauit, & tunc tradidit spiritum. Sicut enim annotarunt sancti Patres, Athanasius, Chrysostomus, & plures alij, prius naturaliter spiritus emittitur, quàm caput inclinetur, præsertim in ijs, qui cum sensuum integritate vsque ad vltimum perseuerant. Christus verò Dominus statim post illa vltima verba, quę (vti diximus) magna voce clamans dixit, caput habens sursum eleuatum, illud inclinauit, & tunc tradidit spiritum. Cuius causam ij sancti Patres eam fuisse dicunt (quæ & prima erit) vt se mortis Dominum assereret, probaretque se voluntariè, & non necessitate, aut vi aliqua coactum mori, quia & quando voluit, & quomodo voluit mortuus est. Sola mors, inquit Athanasius, omnibus peractis restabat adhuc. Atque hæc quidem sibi metuens accedere non audebat, ideo Christus inclinato capite eam vocauit:] Quid aptius, & magis pium potuit cogitari, ad ostendendum quomodo Christus Dominus potius amoris fortitudine, & impetu impulsus quàm tormentorum vi coactus mortem sit perpessus? Hinc se mihi alia offert consideratio in hac capitis inclinatione ante expirationem: namque existimo ideo inclinato prius capite ad terram spiritum Patri Domino tradidisse, vt nos securos atque certos redderet illius amoris, qui eum morti tradebat: quamuis enim spiritum Patri commendabat, & in manus eius tradebat; ipse tamen spiritus etiam in manibus Patris collocatus, eandem hominum conseruabat amorem quem in vita atque morte ostenderet; sibique

[Margin: Athanasius. Chrysostom. — Athanasius.]

que constitutus adeo nostri fore memorem se spondebat, vt potius eidem Patri omnia, quæ pertulerat in vita, & in morte, omnia merita sua pro nobis esset oblaturus. Vidistis morientem patremfamilias relictis paruulis filijs, quibus plurima bona multis laboribus acquisierat: hic in vltima hora constitutus amicum fidelem eligit, cui in filiorum præsentia claues omnium bonorum tradit, scrinia, atque repositoria, in quibus asseruantur, ostendit, & interim in filios oculos conijcit, quasi dicens quod omnia ea tutori traduntur custodienda, vt postea illis tradantur, quia ipsis fuerunt acquisita. Sic Dominus Iesus Saluator & Pater hominum amantissimus, qui tot perfunctus laboribus, Ecclesiæ filijs diuitias redemptionis acquisiuit, & passione atque morte sua incomparabiles meritorum thesauros congregauit, hos filiolos relinquens in morte veluti orphanos omnes eas diuitias salutis cum spiritu suo deferens omnipotenti Patri veluti tutori fidelissimo commendauit, & seruanda tradidit, quando ei dixit: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.*] Deinde illo paternali amoris affectu, quo suos, qui erant in mundo, semper dilexerat, ad terram caput inclinans, eis quodammodo vltimum vale dixit, antequam spiritum emisisset, veluti dicens, quod licet spiritus ad Patrem pergeret, amore tamen adhuc hic remaneret, atque insuper omnia eius bona nostra existerent, siue corpus illud quod in cruce relinquebat, siue spiritum, quem Patri tradebat.

Hanc mortis Christi Domini conuenientiam, & veluti necessitatem pluribus rationibus probat Diuus Thomas, ex quibus duas tantummodo expendemus. Et primò quidem oportuit Christum pati & per mortem intrare in gloriam suam, vt pro humano genere satisfaceret plenissimè, quod erat morti adiudicatum. Quod si sententiam illam damnationis in humanum genus latam in paradiso expendamus, duo ibi pœnarum genera repe- D. Th. 3. p. q. 50. ar. 1. Gen. 2.

rie-

riemus, temporales nimirum pœnas, & æternas (vt latè docet Diuus Augustinus in Enchiridio.) Sudores namque, labores, ærumnæ, tribuli, spinæ, cæteræq; corporis miseriæ, ex se temporales sunt, & cũ corpore finiuntur. At mors ex se æterna erat, quia neque naturæ viribus, neq; proprijs meritis homo resurgere valebat. Incurrerat etiam in mortem animæ, quæ itidem ex se erat æterna; quia per propria merita nullus hominum vitam ęternam gloriæ poterat adipisci. Huius autem pœnæ executio ab ipsa corporis morte incipiebat. Christus igitur Dominus, qui vt humanum genus redimeret in mundum venerat, vtrasque pœnas voluit experiri, (quoad sine culpæ labe fieri poterat) & illius sententiæ rigorem in se transtulit. Quocirca dum viueret, in sudore vultus sui panem suum comedebat, continuis laboribus exercebatur, esuriem, sitim, pauperiem, cæterasq; ærumnas patiebatur, vt opus nostræ salutis exequeretur. Ad puteum Samariæ sitiens, & ex itinere fatigatus deuenit, vbi postquam mulierem Samaritanam ad salutis viam rapuit, oblatos à discipulis, quos in ciuitate emerant cibos non accepit, dicens: *Meus cibus est vt faciam voluntatem Patris, vt perficiam opus eius.*] Cùm iterum cęcum à natiuitate & mente & corpore illuminasset, dixit: *Me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est*, id est, dum mihi vita superest. Quibus verbis se mercenarijs diurno labore cibum quærentibus cõparat. Ipse per Zachariam Prophetam antea dixerat: *Homo agricola ego sum: quoniam exemplum meum Adam ab adolescentia mea.* Emisit Dominus Adam de paradiso voluptatis, vt operaretur terram, de qua sumptus est: agricolam ergo illum esse iussit, & illam terram operari, quæ tribulos & spinas sæpe pro fructibus germinare solet. Quare si vitam agricolæ consideres, eam continuatum per omnia anni tempora laborem esse reperies: cui laboriosæ vitæ Adam propter peccatum fuit adiudicatus. Cùm igi-

Ioan. 4.
Cap. 9.
Zach. 13.
Gen. 3.

igitur noster secundus Adam ideo in hunc mundum venisset, vt cunctis primi Adami malis remedium adhiberet atque pro illis satisfaceret, hominem se fore agricolam prædixit, quia Adam peccator quem redimendum susceperat, ad agricolarum labores perferendos fuerat adiudicatus, quo exemplo ante oculos posito, omnem vitam suam in laboribus consumpsit, dolores sustinuit, in sudore vultus sui sanguineo nobis pœnam cœlestem acquisiuit; spinas etiam in capite tulit, vt maledictionem illam atque pœnam in benedictionem atque dulcedinem conuerteret.

Erat alia sententiæ pœna, eaque grauior, *Morte moriemini,*] vbi corporis, & animæ mors continebatur. Vna igitur mors nostri Saluatoris (inquit Diuus Augustinus) duabus mortibus nostris saluti fuit; corporis scilicet, & animæ. Morte enim namque corporis mortem superauit; quia immortalitatis aditum nobis reserauit; & spem resurgendi dedit; animæ morti remedium præbuit, quia per mortem iustificationis gratiam promeruit, qua anima in peccatis mortua reuiuiscit, & vita æterna digna efficitur. Hæc omnia Diuus Paulus dilucidis & expressis verbis docet, ita inquiens: *Et vos cùm mortui essetis in delictis, & præputio carnis vestræ, conuiuificauit cum illo, donans vobis omnia delicta: delens quod aduersum nos erat chirographum decreti* (sententia nimirum illa: In quacunque hora comederitis ex eo, morte moriemini) *quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci* (quando scilicet ille cruci fuit affixus; & ibi spiritum emisit) *& expolians principatus, & potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.*] In semetipso namque triumphauit in cruce moriens: quia vindictæ diuinæ pondus suscepit, vt decretum illud de medio tolleret, ne impedimento esset omnibus salutem quærentibus.

Augustinus.

Colloss. 2.

Hinc

Hinc alia procedit cauſa cur prius caput inclinauerit quàm ſpiritum tradidiſſet. Manifeſtum enim reddere voluit quàm graue pondus ſuper ſe ſumpſerit, quando illud decretum nobis contrarium in cruce delebat, per quod pœnis non ſolum temporalibus, ſed & æternis cuncti tenebamur obſtricti. Illa igitur plena ſatisfactio, debitique iuſta compenſatio tunc complebatur, quando morti ſe ſubdebat, & ſpiritum Patri tradebat: quare illo temporis momento tanto pondere innocuum immaculati agni Ieſu caput depreſſum ſe ad terram inclinauit atque illico vitam finiuit. Ad hunc ſenſum interpretatur Diuus Auguſtinus illa Pſalmi verba in perſona Chriſti Ieſu crucifixi Patrem ſic alloquentis: *Non eſt ſanitas in carne mea à facie iræ tuæ*] quia à planta pedis vſque ad verticem capitis non erat in eo ſanitas: *Non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum.*] diſperſa namque erant omnia oſſa, & à locis ſuis mota ob violentam in cruce extenſionem: *Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me.*] Loquitur caput noſtrum Chriſtus Ieſus vocibus membrorum ſuorum, ait ſanctus Auguſtinus, quorum peccata ipſe pertulit ſuper crucem, eaque veluti propria in ſe tranſtulit, atque ideo ſua eſſe dicit, illorumque pondere ita pergrauari, vt caput eius ſanctiſsimum ſint ſupergreſſæ iniquitates noſtræ, & ſicut onus graue ſuper ipſum grauatæ caput ipſum ad terram inclinauerint. Idem oſtendit Diuus Gregorius explicans illa verba Iob: *Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui & calamitas, quam patior in ſtateram, quaſi arena maris hæc grauior appareret.*] Per hanc ſtateram ſanctus Gregorius Chriſtum Ieſum crucifixum intelligit. In manu etenim Patris, inquit, quaſi ſtatera miri libraminis factus, hinc in ſe calamitatem noſtram, & illinc peccata ſuſpendit. Sed grauis ponderis calamitatem moriendo innotuit, & apud miſericordiam ſuam Deus leue eſſe peccatum relaxando mon-

August. in Psalm. 37.

Iob 7.

Mor. 6. c. 2.

monstrauit. Licet enim hominum peccata quasi onus infinitè graue super caput eius magno pondere ruerent, ea tamen, quam moriendo patiebatur, calamitas, tanto grauior ante Deum apparuit, vt nullis peccatorum demeritis possit mortis eius meritum extenuari. In cuius signum caput in dexteram partem inclinauit (vt plurimi contemplantur) vbi & sanctissima Virgo cum dilecto discipulo, sanctisque mulieribus, & insuper latro iam iustificatus constituti erant, quæ dextera pars in iudicio electis dabitur. Cùm igitur apex ille (qui Lusitanè dicitur Fiel) in summitate stateræ collocatus, in eam inclinetur partem, in qua maius extat pondus, & caput sanctissimum Domini Christi crucifixi in illa crucis statera summum teneret locum, quando se in dexteram partem inclinauit ostendit maius esse pondus meritorum suorum in morte ad promerendam electorum redemptionem, qui in dextera statuendi erant, quam omnium impietatum atque scelerum, propter quæ reprobi in sinistram sunt reijciendi; quia hanc redemptionem sponte respuerunt.

Alteram assignat Diuus Thomas rationem, cur oportuerit Christum Dominum mori, voluit scilicet timores illos, anxietates, & agoniam experiri, quæ in separatione animæ à corpore vtplurimum sentiuntur, vt fidelibus suis exemplo, & merito suo in illa hora solatium atque fiduciam præberet. Naturaliter quidem non solum mors ipsa timetur, sed & conturbat etiam infirmitatem nostram timor afflictionum earum, quas humanitas patitur in illa separatione: quibus tamen afflictionibus illi tantum cruciantur, qui sui compotes sunt & sensibus integris vsque ad vltimum spiritum persistunt. Anima namque in ea separatione à corpore dolorem non sensit, corpus etiam sæpissimè nullo dolore torquetur: vnde fit quod quamuis mortis timore ferè omnes conturbentur, anxietates tamen & afflictiones in ipso mortis articulo multi non sentiant,

quia sensus omnes interni, & externi à morbi vi, seu aliqua passione alia præpediuntur. At Christus Dominus cunctas mortis amaritudines experiri cupiens, prius in horto vehementissimum mortis timorem pertulit, & deinde in ipso mortis articulo illis omnibus anxietatibus summè voluit cruciari quas perpeti erat possibile. Inter illas autem quamplurimas afflictiones inde anima Christi Domini acerbissimè torquebatur, quia ab eo corpore sanctissimo separabatur, quod semper habuerat comitem fidelissimum. Namque præter illam naturalem dilectionem qua nemo vnquam carnem suam odio habet, vt ait Apostolus, & præter propensionem animæ ad proprium corpus, Domini Iesu anima corpus suum peculiariter diligebat, vt amicum fidelem seruumque obedientissimum, in quo nulla vnquam extiterat repugnantia seu contradictio ad ea omnia exequenda, licet asperrima quæ sibi fuissent imperata. Talis est nostræ carnis contradictio aduersus spiritum, etiam in perfectioribus, vt Paulus ipse dixerit: *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne fortè cùm alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Quem cæteri sancti & perfecti viri imitantes, seipsos iniurijs, flagellationibus, vigilijs, multisque alijs pœnalitatibus corporeis affligunt, vt repugnantes rationi, atque Dei legi carnis motus comprimant, & eam spiritui subdant. Quod quidem bellum & pugna adeo per totum vitæ spatium sanctorum mentes torquet, vt Paulus idem se ipsum deflens dixerit: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?*] Per corpus mortis illam vehementem contradictionem carnis aduersantem legi mentis intelligens. Christus verò Dominus, quamuis verum habuisset corpus humanum, infirmum, passibile, mortale (cuius, vt naturalem infirmitatem ostenderet mortem timere professus est) tamen nunquam corpus illud, caroque infirma rebellis spiritui existit, imò omnia ea, quæ ab anima sibi erant imperata, promptissimè exeque-

Margin notes: 1. Cor. 9. — Hebr. 7.

quebatur. Vnde, iuxta Diui Pauli mentem, ingre- Heb. 10.
diens Dominus Iesus in mundum Patri se obtulit illis verbis à Dauid prædictis: *Holocaustum, & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi, &c.*] Quibus verbis corpus suum passibile, & mortale Patri offert vt priorum sacrificiorum loco, quæ veluti debilia, & insufficientia ad expianda hominum peccata erant reijcienda; pro hominibus fieret holocaustum, siquidem aptum erat, & accommodatum ad omnia perferenda absque vlla repugnantia. Fuit igitur Christi Domini corpus aptissimum redemptionis nostræ instrumentum, quo diuinitas, atque ipsa Christi anima vtebantur ad omnia salutis humanæ opera exercenda. Hinc effectum est, vt ab ipsis incunabulis in frigore, nuditate, pauperie, exilioque corpus exercuerit: deinde ex laboribus manuum fratilibus etiam victum quæsierit, quare à Iudæis faber & fabri filius fuit dictus. Quadraginta diebus atque noctibus voluit absq; esurie ieiunare, super nudam terram cubare, pedester incedere, dies prædicando seu infirmos curando consumere, & deinde orando pernoctare, obedientissimum habuit corpus suum. Adueniente passionis tempore, (postquam corporis naturalem in illa agonia sudoreque sanguineo declarauit, vt iam diximus) veluti nihil fuisset perpessus ministris Iudæorum obuiam processit, & eis se comprehendendum; vinculisque corpus alligandum tradit, innumerisque opprobrijs afficiendum. Quod multo ante per Isaiam expressis verbis prædixerat Dominus: *Aperuit mihi aurem*, (id est, decretum suæ voluntatis mihi ostendit) *ego autem non contradico, retrorsum non abij. Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus. Faciē meam nō auerti ab increpātibus, & conspuētibus in me.*] Dorsū tot flagellis exposuit, vt Dauid prędixerit: *Supra dorsum meum arauerunt peccatores, prolongauerunt sulcos suos.* (sicut Hebræa habēt; vnde nostra vulgata explicatur) Caput spinea corona se circundandum præbuit, humeri graui crucis ponderi se subistrauerunt.

Psalm. 39. — Isa. 50. — Psal. 128.

Demum quando voluit corpus ipsum in holocaustum in cruce totum offerre, clauis per manus atque pedes transfixum, extensum, & velut aqua effusum, non reluctatus est, imò cuncta obedientissimè perfecit vsque ad aceti & fellis potationem. Si igitur tanta fuit sanctissimi corporis cum anima conformitas, tanta subiectio in omni vitæ spatio, quid mirum, si ipsa Domini Iesu anima peculiarem senserit afflictionem, quia ab illo corpore (etiamsi ad breuissimum tempus) separabatur, præsertim cùm in cruce remanserit vulneribus laceratum atque deforme? Corpus etiam ipsum nimio dolore premebatur, quod ab spiritu illo separabatur, à quo humanam vitam, sensum, atque motum percipiebat. O diuina bonitas, dilectio, & benignitas tua, clementissime Domine Iesu, qui vt mihi peccatori in illa hora mortis fiduciam de tua copiosa redemptione præberes, tuoque exemplo solatium & robur in illa vltima agonia exhiberes, omnes has afflictiones, anxietates, & agonias experiri & perferre voluisti.

Tertia hinc consideranda venit causa, quare Dominus prius caput ad terram inclinauerit, quam spiritum tradiderit. Videtur enim eo capitis nutu voluisse Dominus Iesus homines ad se vocare, vt deinceps securi per eum in cœlestem gloriam se ingredi posse confiderent, & sub vmbra alarum eius mortis vmbram non pertimescerent, quibus ipse & vitam, & mortem donabat. Pręceperat Moysi, vt in terra promisionis decernerentur ciuitates in pręsidia fugitiuorum, qui nolentes sanguinem fudissent, ex quibus egredi illis nō erat tutum donec sacerdos magnus, qui oleo sancto vnctus erat, moreretur: quo mortuo, in terram suam securè reuerti poterant. Exul atque fugitiuum erat genus humanum, quia primus homo suijpsius atque posterorum fuerat homicida, concesseratque Dominus ciuitates quasdam præsidij, in quibus contineretur, legem

Num. 35.

videlicet naturæ atq; legem ſcriptam, & poſt mortem Patrum limbum. Nullus indè egredi valebat in patriam reuerſurus cœleſtem, nulli ad introitum paradiſi patebat aditus, ante mortem Pontificis noſtri magni Chriſti Ieſu, qui ſummæ dilectionis atque miſericordiæ oleo vnctus, morte ſua ianuam cœli aperuit, exulibus atque fugitiuis ſecuritatem conceſsit: quare & latronem in paradiſum introduxit, & omnes ſanctorum Patrum animas ab illo limbi carcere eduxit. Meritò igitur capite inclinato omnes homines ad ſe vocat, ad ſocietatem ſpiritus ſui inuitat, vt cum illo pariter ad cœleſtem patriam reuertantur.

Tradidit ſpiritum.] Tradidit, inquam, Patri, in cuius manus illum commendauerat. Verùm Domine Ieſu, cur ſanctiſsimi corporis tui, fideliſsimique vitæ comitis curam non geris, neq; illud alicui ſepeliendum cōmendas, ſed de ſola anima recordaris? Sapientiſsimus hic magiſter noſter Chariſsimi, noſtrique amantiſsimus vltimum hoc documentum in extremo vitæ halitu reliquit, tamquam ſummè neceſſarium, vt cùm de morte agendum ſit, potius ea ante oculos proponamus, quæ ad animæ ſalutem æternam conducunt, quàm ea quę corpori ſepeliendo inſeruiunt. Quamuis enim rationabile atque pium ſit ſepulchrum ante mortem præparare, iuxta cuiuſque perſonæ dignitatem, non non tamen prudenter illi agunt, qui de anima parum aut nihil curant, & omnem curam in huiuſmodi exornandis ſepulturis impendunt. De illa ſanctiſsima Monica Diui Auguſtini Matre narrat ipſe, quod imminente die reſolutionis ſuæ non cogitauit ſuum corpus ſumptuoſe contegi, aut condiri aromatibus, aut monumentum electum concupiuit, aut curauit ſepulchrum paternum; ſed tantummodo memoriam ſui ad altare Domini fieri deſiderauit, vnde ſciret diſpenſari victimam ſanctam, qua deletum eſt chirographum quod erat contrarium nobis, qua triumphatus eſt hoſtis

Aug. conf. lib. 9. cap. 13.

computans delicta nostra, & quærens quid obijciat & nihil inueniens in illo in quo vincemus. Ad cuius pretij nostri sacramentum ligauit ancilla tua animam suam vinculo fidei (inquit sanctus Augugustinus Deum alloquens.) Hoc est igitur, Charissimi, quod primum & præcipuè oportet curare in vita, vt anima fidei & amoris vinculis huic victimæ in ara crucis pro nobis oblatæ, strictè alligetur, & intimè cum Christi Iesu spiritu vniatur, vt cum illo pariter in Patris manibus tradatur.

Tu igitur, qui ad Patrem vadis, ô sanctissimè Iesu spiritus, trahe nos post te, & ea diuina vi, mortisque efficacia mirabili, qua cœli portas aperuisti, petras scidisti, monumenta patefecisti, & duriora saxis pectora ad pœnitendũ induxisti, nostra etiam indurata pectora vehementer cõcute, & nostras ad te rebelles cõpelle voluntates, quoadusq; spiritus noster in tuo spiritu vnum fiat tibiq; in ęternum inhęreat.

Quod si, fratres Charissimi, obturata & crudelia multorum qui aderant pectora emollita sunt & ad compassionem permota; quid putandum est sensisse pijssimam Matrem, quando conspexit filium inclinato capite spiritum tradidisse? Enarrans Diuus Augustinus quanto fuerit dolore perculsus (cum adhuc esset adolescens) ob repentinam mortem amici, quem vnice diligebat, dicit inter cætera, se minari tunc quomodo viuere posset eo mortuo; & addit: Bene quidam dixit de amico suo, Dimidium animæ meæ. Nam ego sensi animam meam & illius vnam fuisse animam in duobus corporibus: & ideo mihi horrori erat vita, quia nolebam dimidius viuere; & ideo forte mori metuebam, ne totus ille moreretur, quem multum amaueram.] Si iuuenilis illa, & futilis amicitia in tot contrarios doloris affectus animam Augustini distrahebat, quid solidam illam sanctam, puram, totque iustissimis causis radicatam amicitiam sanctissimæ Virginis Matris cum filio Iesu in ipsius Matris anima effecisse creden-

Aug. conf. li. 4. cap. 6.

dum


dum est? Non dimidium animæ suæ sed tota anima erat filius Iesus, & ideo mori desiderabat, vt animam suam sequeretur: deinde mori timebat, ne corpus animæ suæ, quod à diuinitate non erat separatum, in cruce relinqueret. Pie satis creditur, vt iam superius diximus, Christum Dominum in dexteram partem caput inclinasse, vbi Mater iuxta crucem stabat, illi quodammodo vltimo valedicens, & qui spiritum in manus Patris commendauerat; illi vt Matri curam ipsius corporis, quod ab illa acceperat, commendabat. At quis tibi, dolorosa Mater, in hac vrgentissima necessitate auxilio erit? Discipuli & amici ferè omnes filium tuum dereliquerunt; quæ adsunt mulieres cum discipulo dilecto, ad hoc opus exequendum sunt debiles & imbecilles, cæteri qui assistunt, milites sunt crudeles & impij, corpus custodientes vsque ad Præsidis decretum; Crucifixum tuum non audes deserere, neque aliquis se affert modus ad eum de cruce deponendum, & sepulturæ tradendum. Quiescat tamen paululum cor tuum pia, & sancta Christi Iesu Mater, & firma illa fide, securaque spe innixa, Deum tuum te in hac extrema necessitate non deserentem experieris. Ipse namque duorum ex occultis filij tui discipulis animos excitauit, Iosephi nimirum, & Nicodemi, qui omni timore deposito crucifixum tuum è cruce deponentes, ad eum debito honore sepeliendum, prius tibi corpus illud vulneratum conspiciendum cominus, & amplectendum tradent. Accipies igitur super pectus tuum caput illud spinis coronatum, quod ad te moriens inclinauit, & per ipsas spinas faciem sputis fœdatam, sanguine coagulato deformem exosculaberis; & lachrymis mundabis. Recordare ergo pijssima Virgo hunc esse arietem illum innocentem, quem Dominus Abrahamo ostendit inter vepres cornibus hærentem, quem pro filio in sacrificium obtulit: atque vt peccatorum clementissima Mater

ipſummat ſacrificium inter brachia tua eidem Domino pro nobis offerre digneris, vt eius merito tuaque intercesſione redemptionis gratiam, æternamque miſericordiam conſequamur, Amen.

DE EADEM Paſſione.

SERMO DECIMVS QVINTVS.

Et ecce velum templi ſciſſum eſt in duas partes à ſummo vſq; deorſum, & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta apertæ ſunt, &c. Matth. cap. 27.



HÆc ſunt illa admiranda ſigna ac portenta, quæ illico atque Chriſtus Dominus ſpiritum emiſit, fuiſſe mundo oſtenſa ſacer Euangeliſta Matthęus enarrauit: quorum ſi cauſam requiramus, eam eſſe reperiem᾽, vt Domini Ieſu crucifixi poteſtas innoteſceret mundo: quia quãuis tanquam verus homo mori voluit, in morte tamen diuinam potentiam non ſolum non amiſit, vel aliqua ex parte imminuit, ſed & per eandem mortem magis teſtatam reddidit, cùm per illam mundi ſalutem atque redemptionem eſt operatus. Quod Diuus Paulus conſiderans, Chriſtum crucifixum *Dei virtutem* (id eſt, potentiam) appellauit, quia per ipſius mortem in cruce licet abiectam & vilem, tot in mundo miranda effecit, non tantum in his exterioribus ſignis, ſed potius in mirabili mundi conuerſione, morum mutatione & ſanctæ Eccleſiæ acquiſitione: quæ diuinum illud fidei lumen, quo illuſtratur, diuina, quæ habet, Sacramenta cæteraſque ſalutis diuitias, quas poſſi-

1. Cor. 1.

possidet, ab ipsa Redemptoris morte accepit, & illius vi atque virtute & effecta sunt, & conseruantur.

Hanc verò animorum mutationem præcipuum esse mortis Dominicæ effectum, rei euentus statim comprobauit tum in Centurione, & militibus Christum Dominum crucifixum custodientibus, qui viso terræmotu, & ijs, quæ fiebant timuerunt valdè dicentes: *Verè filius Dei erat iste*: aliquid diuinum & supra reliquos homines excellens in eo confitentes: tum etiam in reliqua omni turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant, quæ fiebant, qui percutientes pectora sua reuertebantur: compuncti namque corde peccatum suum confitebantur, & se innocentis sanguinis reos agnoscebant. Quænam alia virtus, nisi diuina, tot cæca & obdurata corda sic potuit emollire & mutare? Nonne idemmet Centurio cum militibus suis per irrisionem paulò ante Domino acetum obtulerunt dicentes: Sine videamus an veniat Elias ad deponendum eum? Nonne ipsamet turba cum principibus Sacerdotum multa in eum blasphemantes dixerunt, cùm crucifixum viderunt? At hæc fuit mutatio dexteræ excelsi, vt diuina virtus atque potentia Domini Iesu pro nobis crucifixi atque mortui per tot signa admiranda cuncto orbi nota fieret. Luc. 23.

Ex ijs infertur, ita signa illa exteriora fuisse, ad Christi Domini diuinitatem ostendendam ordinata, vt simul etiam ad nostram eruditionem ex quolibet eorum mysticè cognoscere liceat, quinam sint illi mirabiles effectus, quos in hominum animis Domini Iesu mors valet operari, si debita adsit dispositio: quod singula exponentes reperiemus.

Et ecce velum templi scissum est in duas partes à summo vsq; deorsum.] Velum hoc, iuxta Illustrissimi Cardinalis Baronij sententiam, erat illud, quod (vt Iosephus explicat) interiorem illam templi partem diuidebat, in qua erat positum candelabrum, men- Baronius.

 sa,

ſa, atque thuribulum, quod etiam, (vt Diuus Hieronymus affirmat) cunctis erat perſpicuum, & populum à ſacerdotibus diuidebat, mirabilique opere factum, ait Ioſephus, & quinquaginta cubitis altum. Hoc velum à ſummo vſque deorſum in duas diuiſum fuiſſe partes ſimul atque Chriſtus Dominus ſpiritum emiſit, ait ſanctus Euangeliſta: qua diuiſione effectum eſt, vt omnia ea, quæ intus occultabantur, cunctis fierent manifeſta. Quo iuxta communem Patrum ſententiam ſignificatum eſt, reuelata iam eſſe, & fidei certiſſima luce explicata ea myſteria, quæ ſub legis veteris ſacrificijs atque cæremonijs velata vſque ad Chriſti mortem extiterant: cuius vi atque merito noua lux in mundo eſt exorta, quæ veteres effugauit vmbras, & figurarum veritates fidelibus patefecit. Id docet Diuus Paulus, agens de illo velamine quo Moyſes faciem velabat, propter vultus claritatem, *Vſque in hodiernum diem*, inquit, *id ipſum velamen in lectione veteris teſtamenti manet non reuelatum (quod in Chriſto euacuatur) ſed vſque in hodiernum diem*] *cum legitur Moyſes, velamen poſitum eſt ſuper cor eorum. Cum autem conuerſi fuerint ad Dominum, auferetur velamen*] & ita auferetur, vt reuelata facie gloriam Domini ſpeculari liceat. Quotquot enim fidei lumine illuſtrantur, eo lumine veluti in ſpeculo Domini gloriam contemplantur, & hac luce certiſsima, & infallibili licet ſubobſcura omnia antiquitus præfigurata myſteria cognoſcunt, & venerantur. Illud autem velamen in Chriſto euacuatum fuiſſe ſignificauit ea veli diuiſio in duas partes patefactis ijs, quæ intra velum abſcondita latebant. Dixerat Dominus ipſe clamans in templo: *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me*, (ſicut ait Scriptura) *flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit*, (ait Euangeliſta) *de ſpiritu, quem accepturi erant credentes in eum: nondum erat ſpiritus datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus.*] Hanc

2 Cor. 3.

Ioan. 7.

glorificationem multi de crucifixione ac morte intelligunt, & non sine ratione, quia Dominus ipse dixit alibi ijsdem Iudæis: *Cum exaltaueritis filium hominis tunc cognoscetis quia ego sum.*] Namque per eius mortem in Crucem effectum est, vt descendente Spiritu sancto super Apostolos ipsisque prædicantibus multi Iudæorum conuerterentur, Christumque verum esse Dei filium à Prophetis prædictum, Patribus promissum, & figuris adumbratum agnoscerent. At, si, vt Diuus Petrus ait, *Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines*: cur ab Euangelista dictum est Spiritum sanctum nondum esse datum, quia nondum Iesus erat glorificatus? Huic dubitationi respondetur ex Diuo Augustino, non fuisse antea datum Spiritum sanctum tanta manifestatione, tantaque abundantia, atque post Christi mortem Apostolis cæterisque credentibus fuit datus, quando visibiliter in igne super ipsos descendit, quo illustrati omnia fidei mysteria in figuris atq; ænigmatibus sanctis Patribus atque Prophetis ostensa, palam in Christo Domino atq; eius Ecclesia adimpleta esse intellexerunt, & docuerunt.

Ioan. 8.

2. Pet. 1.

August. in Ioan.

Non desunt, qui hanc veli diuisionem in magni doloris signum accipiant. Apud illum namque populum Iudaicum vestimentorum scissio ingentem significabat animi dolorem, quem Cayphas summus sacerdos voluit ostendere, quando respondente Domino Iesu se filium Dei esse, ipse scidit vestimenta sua, dicens: Blasphemauit: cum nihil minus quàm de Dei honore cogitaret. Cùm vero tum ipsemet impius Pontifex Caiphas, tum cæteri sacerdotes atque templi Dei ministri, odio & inuidia excæcati, Christum, quem Dei filium atque saluatorem promissum agnoscere & recipere debuissent, summis affecissent iniurijs, & ad mortem vsque persecuti fuissent, paucique ex ijs tam immane scelus detestarentur, voluit Dominus, vt templum ipsum

ve-

Hinc alia procedit causa cur prius caput inclinauerit quàm spiritum tradidisset. Manifestum enim reddere voluit quàm graue pondus super se sumpserit, quando illud decretum nobis contrarium in cruce delebat, per quod pœnis non solum temporalibus, sed & æternis cuncti tenebamur obstricti. Illa igitur plena satisfactio, debitique iusta compensatio tunc complebatur, quando morti se subdebat, & spiritum Patri tradebat: quare illo temporis momento tanto pondere innocuum immaculati agni Iesu caput depressum se ad terram inclinauit atque illico vitam finiuit. Ad hunc sensum interpretatur Diuus Augustinus illa Psalmi verba in persona Christi Iesu crucifixi Patrem sic alloquentis: *Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ*] quia à planta pedis vsque ad verticem capitis non erat in eo sanitas: *Non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.*] dispersa namque erant omnia ossa, & à locis suis mota ob violentam in cruce extensionem: *Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me.*] Loquitur caput nostrum Christus Iesus vocibus membrorum suorum, ait sanctus Augustinus, quorum peccata ipse pertulit super crucem, eaque veluti propria in se transtulit, atque ideo sua esse dicit, illorumque ponde e ita pergrauari, vt caput eius sanctissimum sint supergressæ iniquitates nostræ, & sicut onus graue super ipsum grauatæ caput ipsum ad terram inclinauerint. Idem ostendit Diuus Gregorius explicans illa verba Iob: *Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui & calamitas, quam patior in stateram, quasi arena maris hæc grauior appareret.*] Per hanc stateram sanctus Gregorius Christum Iesum crucifixum intelligit. In manu etenim Patris, inquit, quasi statera miri libraminis factus, hinc in se calamitatem nostram, & illinc peccata suspendit. Sed grauis ponderis calamitatem moriendo innotuit, & apud misericordiam suam Deus leue esse peccatum relaxando mon-

August. in Psalm. 37.

Iob 7.

Mor. 6. c. 2.

monstrauit. Licet enim hominum peccata quasi onus infinitè graue super caput eius magno pondere ruerent, ea tamen, quam moriendo patiebatur, calamitas, tanto grauior ante Deum apparuit, vt nullis peccatorum demeritis possit mortis eius meritum extenuari. In cuius signum caput in dexteram partem inclinauit (vt plurimi contemplantur) vbi & sanctissima Virgo cum dilecto discipulo, sanctisque mulieribus, & insuper latro iam iustificatus constituti erant, quæ dextera pars in iudicio electis dabitur. Cùm igitur apex ille (qui Lusitanè dicitur Fiel) in summitate stateræ collocatus, in eam inclinetur partem, in qua maius extat pondus, & caput sanctissimum Domini Christi crucifixi in illa crucis statera summum teneret locum, quando se in dexteram partem inclinauit ostendit maius esse pondus meritorum suorum in morte ad promerendam electorum redemptionem, qui in dextera statuendi erant, quam omnium impietatum atque scelerum, propter quæ reprobi in sinistram sunt reijciendi; quia hanc redemptionem sponte respuerunt.

Alteram assignat Diuus Thomas rationem, cur oportuerit Christum Dominum mori, voluit scilicet timores illos, anxietates, & agoniam experiri, quæ in separatione animæ à corpore vtplurimum sentiuntur, vt fidelibus suis exemplo, & merito suo in illa hora solatium atque fiduciam præberet. Naturaliter quidem non solum mors ipsa timetur, sed & conturbat etiam infirmitatem nostram timor afflictionum earum, quas humanitas patitur in illa separatione: quibus tamen afflictionibus illi tantum cruciantur, qui sui compotes sunt & sensibus integris vsque ad vltimum spiritum persistunt. Anima namque in ea separatione à corpore dolorem non sensit, corpus etiam sæpissimè nullo dolore torquetur: vnde fit quod quamuis mortis timore ferè omnes conturbentur, anxietates tamen & afflictiones in ipso mortis articulo multi non sentiant,

quia sensus omnes interni, & externi à morbi vi, seu aliqua passione alia præpediuntur. At Christus Dominus cunctas mortis amaritudines experiri cupiens, prius in horto vehementissimum mortis timorem pertulit, & deinde in ipso mortis articulo illis omnibus anxietatibus summe voluit cruciari quas perpeti erat possibile. Inter illas autem quamplurimas afflictiones inde anima Christi Domini acerbissimè torquebatur, quia ab eo corpore sanctissimo separabatur, quod semper habuerat comitem fidelissimum. Namque præter illam naturalem dilectionem qua nemo vnquam carnem suam odio habet, vt ait Apostolus, & præter propensionem animæ ad proprium corpus, Domini Iesu anima corpus suum peculiariter diligebat, vt amicum fidelem seruumque obedientissimum, in quo nulla vnquam extiterat repugnantia seu contradictio ad ea omnia exequenda, licet asperrima quæ sibi fuissent imperata. Talis est nostræ carnis contradictio aduersus spiritum, etiam in perfectioribus, vt Paulus ipse dixerit: *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne fortè cùm alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Quem cæteri sancti & perfecti viri imitantes, seipsos iniurijs, flagellationibus, vigilijs, multisque alijs pœnalitatibus corporeis affligunt, vt repugnantes rationi, atque Dei legi carnis motus comprimant, & eam spiritui subdant. Quod quidem bellum & pugna adeo per totum vitæ spatium sanctorum mentes torquet, vt Paulus idem se ipsum deflens dixerit: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?*] Per corpus mortis illam vehementem contradictionem carnis aduersantem legi mentis intelligens. Christus verò Dominus, quamuis verum habuisset corpus humanum, infirmum, passibile, mortale (cuius, vt naturalem infirmitatem ostenderet mortem timere professus est) tamen nunquam corpus illud, caroque infirma rebellis spiritui existit, imò omnia ea, quæ ab anima sibi erant imperata, promptissimè exe-

.Cor. 9.

lebr. 7.

que-

quebatur. Vnde, iuxta Diui Pauli mentem, ingrediens Dominus Iesus in mundum Patri se obtulit illis verbis à Dauid prædictis: *Holocaustum, & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi, &c.*] Quibus verbis corpus suum passibile, & mortale Patri offert vt priorum sacrificiorum loco, quæ veluti debilia, & insufficientia ad expianda hominum peccata erant reijcienda, pro hominibus fieret holocaustum, siquidem aptum erat, & accommodatum ad omnia perferenda absque vlla repugnantia. Fuit igitur Christi Domini corpus aptissimum redemptionis nostræ instrumentum, quo diuinitas, atque ipsa Christi anima vtebantur ad omnia salutis humanæ opera exercenda. Hinc effectum est, vt ab ipsis incunabulis in frigore, nuditate, paupertie, exilioque corpus exercuerit: deinde ex laboribus manuum fratilibus etiam victum quæsierit, quare à Iudæis faber & fabri filius fuit dictus. Quadraginta diebus atque noctibus voluit absq; esurie ieiunare, super nudam terram cubare, pedester incedere, dies prædicando seu infirmos curando consumere, & deinde orando pernoctare, obedientissimum habuit corpus suum. Aduenientе passionis tempore, (postquam corporis naturalem in illa agonia sudoreque sanguineo declarauit, vt iam diximus) veluti nihil fuisset perpessus ministris Iudæorum obuiam processit, & eis se comprehendendum; vinculisque corpus alligandum tradit, innumerisque opprobrijs afficiendum: Quod multo ante per Isaiam expressis verbis prædixerat Dominus: *Aperuit mihi aurem*, (id est, decretum suæ voluntatis mihi ostendit) *ego autem non contradico, retrorsum non abij. Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus. Faciē meam nō auerti ab increpātibus, & conspuētibus in me.*] Dorsū tot flagellis exposuit, vt Dauid predixerit: *Supra dorsum meum arauerunt peccatores, prolongauerunt sulcos suos.* (sicut Hebræa habēt, vnde nostra vulgata explicatur) Caput spinea corona se circundandum præbuit, humeri graui crucis ponderi se substrauerunt.

Heb. 10.
Psalm. 39.
Isa. 50.
Psal. 128.

Demum quando voluit corpus ipſum in holocauſtum in cruce totum offerre, clauis per manus atque pedes transfixum, extenſum, & velut aqua effuſum, non reluctatus eſt, imò cuncta obedientiſsimè perfecit vſque ad aceti & fellis potationem. Si igitur tanta fuit ſanctiſsimi corporis cum anima conformitas, tanta ſubiectio in omni vitæ ſpatio, quid mirum, ſi ipſa Domini Ieſu anima peculiarem ſenſerit afflictionem, quia ab illo corpore (etiamſi ad breuiſsimum tempus) ſeparabatur, præſertim cùm in cruce remanſerit vulneribus laceratum atque deforme? Corpus etiam ipſum nimio dolore premebatur, quod ab ſpiritu illo ſeparabatur, à quo humanam vitam, ſenſum, atque motum percipiebat. O diuina bonitas, dilectio, & benignitas tua, clementiſsime Domine Ieſu, qui vt mihi peccatori in illa hora mortis fiduciam de tua copioſa redemptione præberes, tuoque exemplo ſolatium & robur in illa vltima agonia exhiberes, omnes has afflictiones, anxietates, & agonias experiri & perferre voluiſti.

Tertia hinc conſideranda venit cauſa, quare Dominus prius caput ad terram inclinauerit, quam ſpiritum tradiderit. Videtur enim eo capitis nutu voluiſſe Dominus Ieſus homines ad ſe vocare, vt deinceps ſecuri per eum in cœleſtem gloriam ſe ingredi poſſe confiderent, & ſub vmbra alarum eius mortis vmbram non pertimeſcerent, quibus ipſe & vitam, & mortem donabat. Pręceperat Moyſi, vt in terra promiſsionis decernerentur ciuitates in præſidia fugitiuorum, qui nolentes ſanguinem fudiſſent, ex quibus egredi illis nō erat tutum donec ſacerdos magnus, qui oleo ſancto vnctus erat, moreretur quo mortuo, in terram ſuam ſecurè reuerti poterant. Exul atque fugitiuum erat genus humanum, quia primus homo ſuijpſius atque poſterorum fuerat homicida; conceſſeratque Dominus ciuitates quaſdam præſidij, in quibus contineretur, legem

Num. 35.

vi-

videlicet naturæ atq; legem ſcriptam, & poſt mortem Patrum limbum. Nullus indè egredi valebat in patriam reuerſurus cœleſtem, nulli ad introitum paradiſi patebat aditus, ante mortem Pontificis noſtri magni Chriſti Ieſu, qui ſummæ dilectionis atque miſericordiæ oleo vnctus, morte ſua ianuam cœli aperuit, exulibus atque fugitiuis ſecuritatem conceſsit: quare & latronem in paradiſum introduxit, & omnes ſanctorum Patrum animas ab illo limbi carcere eduxit. Meritò igitur capite inclinato omnes homines ad ſe vocat, ad ſocietatem ſpiritus ſui inuitat, vt cum illo pariter ad cœleſtem patriam reuertantur.

Tradidit ſpiritum.] Tradidit, inquam, Patri, in cuius manus illum commendauerat. Verùm Domine Ieſu, cur ſanctiſsimi corporis tui, fideliſsimique vitæ comitis curam non geris, neq; illud alicui ſepeliendum cõmendas, ſed de ſola anima recordaris? Sapientiſsimus hic magiſter noſter Chariſsimi, noſtrique amantiſsimus vltimum hoc documentum in extremo vitæ halitu reliquit, tamquam ſummè neceſſarium, vt cùm de morte agendum ſit, potius ea ante oculos proponamus, quæ ad animæ ſalutem æternam conducunt, quàm ea quę corpori ſepeliendo inſeruiunt. Quamuis enim rationabile atque pium ſit ſepulchrum ante mortem præparare, iuxta cuiuſque perſonæ dignitatem, non non tamen prudenter illi agunt, qui de anima parum aut nihil curant, & omnem curam in huiuſmodi exornandis ſepulturis impendunt. De illa ſanctiſsima Monica Diui Auguſtini Matre narrat ipſe, quod imminente die reſolutionis ſuæ non cogitauit ſuum corpus ſumptuoſe contegi, aut condiri aromatibus, aut monumentum electum concupiuit, aut curauit ſepulchrum paternum; ſed tantummodo memoriam ſui ad altare Domini fieri deſiderauit, vnde ſciret diſpenſari victimam ſanctam, qua deletum eſt chirographum quod erat contrarium nobis, qua triumphatus eſt hoſtis Aug. conf. lib. 9. cap. 13.

computans delicta nostra, & quærens quid obijciat & nihil inueniens in illo in quo vincemus. Ad cuius pretij nostri sacramentum ligauit ancilla tua animam suam vinculo fidei (inquit sanctus Augustinus Deum alloquens.) Hoc est igitur, Charissimi, quod primum & præcipuè oportet curare in vita, vt anima fidei & amoris vinculis huic victimæ in ara crucis pro nobis oblatæ, strictè alligetur, & intimè cum Christi Iesu spiritu vniatur, vt cum illo pariter in Patris manibus tradatur.

Tu igitur, qui ad Patrem vadis, ô sanctissimè Iesu spiritus, trahe nos post te, & ea diuina vi, mortisque efficacia mirabili, qua cœli portas aperuisti, petras scidisti, monumenta patefecisti, & duriora saxis pectora ad pœnitendũ induxisti, nostra etiam indurata pectora vehementer cõcute, & nostras ad te rebelles cõpelle voluntates, quoadusq; spiritus noster in tuo spiritu vnum fiat tibiq; in æternum inhęreat.

Quod si, fratres Charissimi, obturata & crudelia multorum qui aderant pectora emollita sunt & ad compassionem permota; quid putandum est sensisse pijssimam Matrem, quando conspexit filium inclinato capite spiritum tradidisse? Enarrans Diuus Augustinus quanto fuerit dolore perculsus (cum adhuc esset adolescens) ob repentinam mortem amici, quem vnice diligebat, dicit inter cætera, se minari tunc quomodo viuere posset eo mortuo; & addit: Bene quidam dixit de amico suo, Dimidium animæ meæ. Nam ego sensi animam meam & illius vnam fuisse animam in duobus corporibus: & ideo mihi horrori erat vita, quia nolebam dimidius viuere; & ideo forte mori metuebam, ne totus ille moreretur, quem multum amaueram.] Si iuuenilis illa, & futilis amicitia in tot contrarios doloris affectus animam Augustini distrahebat, quid solidam illam sanctam, puram, totque iustissimis causis radicatam amicitiam sanctissimæ Virginis Matris cum filio Iesu in ipsius Matris anima effecisse credendum

Aug. conf. li. 4. cap. 6.


dum est? Non dimidium animæ suæ sed tota anima erat filius Iesus, & ideo mori desiderabat, vt animam suam sequeretur: deinde mori timebat, ne corpus animæ suæ, quod à diuinitate non erat separatum, in cruce relinqueret. Pie satis creditur, vt iam superius diximus, Christum Dominum in dexteram partem caput inclinasse, vbi Mater iuxta crucem stabat, illi quodammodo vltimo valedicens, & qui spiritum in manus Patris commendauerat; illi vt Matri curam ipsius corporis, quod ab illa acceperat, commendabat. At quis tibi, dolorosa Mater, in hac vrgentissima necessitate auxilio erit? Discipuli & amici ferè omnes filium tuum dereliquerunt; quæ adsunt mulieres cum discipulo dilecto, ad hoc opus exequendum sunt debiles & imbecilles, cæteri qui assistunt, milites sunt crudeles & impij, corpus custodientes vsque ad Præsidis decretum; Crucifixum tuum non audes deserere, neque aliquis se affert modus ad eum de cruce deponendum, & sepulturæ tradendum. Quiescat tamen paululum cor tuum pia, & sancta Christi Iesu Mater, & firma illa fide, securaque spe innixa, Deum tuum te in hac extrema necessitate non deserentem experieris. Ipse namque duorum ex occultis filij tui discipulis animos excitauit, Iosephi nimirum, & Nicodemi, qui omni timore deposito crucifixum tuum è cruce deponentes, ad eum debito honore sepeliendum, prius tibi corpus illud vulneratum conspiciendum cominus, & amplectendum tradent. Accipies igitur super pectus tuum caput illud spinis coronatum, quod ad te moriens inclinauit, & per ipsas spinas faciem sputis fœdatam, sanguine coagulato deformem exosculaberis; & lachrymis mundabis. Recordare ergo pijssima Virgo hunc esse arietem illum innocentem, quem Dominus Abrahamo ostendit inter vepres cornibus hærentem, quem pro filio in sacrificium obtulit: atque vt peccatorum clementissima Mater

ipsummet sacrificium inter brachia tua eidem Domino pro nobis offerre digneris, vt eius merito tuaque intercessione redemptionis gratiam, æternamque misericordiam consequamur, Amen.

DE EADEM Passione.

SERMO DECIMVSQVINTVS.

Et ecce velum templi scissum est in duas partes à summo vsq; deorsum, & terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, &c. Matth. cap. 27.



HÆc sunt illa admiranda signa ac portenta, quæ illico atque Christus Dominus spiritum emisit, fuisse mundo ostensa sacer Euangelista Matthęus enarrauit: quorum si causam requiramus, eam esse reperiem', vt Domini Iesu crucifixi potestas innotesceret mundo: quia quãuis tanquam verus homo mori voluit, in morte tamen diuinam potentiam non solum non amisit, vel aliqua ex parte imminuit, sed & per eandem mortem magis testatam reddidit, cùm per illam mundi salutem atque redemptionem est operatus. Quod Diuus Paulus considerans, Christum crucifixum *Dei virtutem* (id est, potentiam) appellauit, quia per ipsius mortem in cruce licet abiectam & vilem, tot in mundo miranda effecit, non tantum in his exterioribus signis, sed potius in mirabili mundi conuersione, morum mutatione & sanctæ Ecclesiæ acquisitione: quæ diuinum illud fidei lumen, quo illustratur, diuina, quæ habet, Sacramenta cæterasque salutis diuitias, quas posi-

1. Cor. 1.

possidet, ab ipsa Redemptoris morte accepit, & illius vi atque virtute & effecta sunt, & conseruantur.

Hanc verò animorum mutationem præcipuum esse mortis Dominicæ effectum, rei euentus statim comprobauit tum in Centurione, & militibus Christum Dominum crucifixum custodientibus, qui viso terræmotu, & ijs, quæ fiebant timuerunt valdè dicentes: *Verè filius Dei erat iste*: aliquid diuinum & supra reliquos homines excellens in eo confitentes: tum etiam in reliqua omni turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant, quæ fiebant, qui percutientes pectora sua reuertebantur: compuncti namque corde peccatum suum confitebantur, & se innocentis sanguinis reos agnoscebant. Quænam alia virtus, nisi diuina, tot cæca & obdurata corda sic potuit emollire & mutare? Nonne idemmet Centurio cum militibus suis per irrisionem paulò ante Domino acetum obtulerunt dicentes: Sine videamus an veniat Elias ad deponendum eum? Nonne ipsamet turba cum principibus Sacerdotum multa in eum blasphemantes dixerunt, cùm crucifixum viderunt? At hæc fuit mutatio dexteræ excelsi, vt diuina virtus atque potentia Domini Iesu pro nobis crucifixi atque mortui per tot signa admiranda cuncto orbi nota fieret. Luc.23.

Ex ijs infertur, ita signa illa exteriora fuisse, ad Christi Domini diuinitatem ostendendam ordinata, vt simul etiam ad nostram eruditionem ex quolibet eorum mysticè cognoscere liceat, quinam sint illi mirabiles effectus, quos in hominum animis Domini Iesu mors valet operari, si debita adsit dispositio: quod singula exponentes reperiemus.

Et ecce velum templi scissum est in duas partes à summo vsq; deorsum.] Velum hoc, iuxta Illustrissimi Cardinalis Baronij sententiam, erat illud, quod (vt Iosephus explicat) interiorem illam templi partem diuidebat, in qua erat positum candelabrum, men- Baronius.

 sa,

glorificationem multi de crucifixione ac morte intelligunt, & non sine ratione, quia Dominus ipse dixit alibi ijsdem Iudæis: *Cum exaltaueritis filium hominis tunc cognoscetis quia ego sum.*] Namque per eius mortem in Crucem effectum est, vt descendente Spiritu sancto super Apostolos ipsisque prædicantibus multi Iudæorum conuerterentur, Christumque verum esse Dei filium à Prophetis prædictum, Patribus promissum, & figuris adumbratum agnoscerent. At, si, vt Diuus Petrus ait, *Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines*: cur ab Euangelista dictum est Spiritum sanctum nondum esse datum, quia nondum Iesus erat glorificatus? Huic dubitationi respondetur ex Diuo Augustino, non fuisse antea datum Spiritum sanctum tanta manifestatione, tantaque abundantia, atque post Christi mortem Apostolis cæterisque credentibus fuit datus, quando visibiliter in igne super ipsos descendit, quo illustrati omnia fidei mysteria in figuris atq; ænigmatibus sanctis Patribus atque Prophetis ostensa, palam in Christo Domino atq; eius Ecclesia adimpleta esse intellexerunt, & docuerunt.

Ioan. 8. 2. Pet. 1. August. in Ioan.

Non desunt, qui hanc veli diuisionem in magni doloris signum accipiant. Apud illum namque populum Iudaicum vestimentorum scissio ingentem significabat animi dolorem, quem Cayphas summus sacerdos voluit ostendere, quando respondente Domino Iesu se filium Dei esse, ipse scidit vestimenta sua, dicens: Blasphemauit: cum nihil minus quàm de Dei honore cogitaret. Cùm vero tum ipsemet impius Pontifex Caiphas, tum cæteri sacerdotes atque templi Dei ministri, odio & inuidia excæcati, Christum, quem Dei filium atque saluatorem promissum agnoscere & recipere debuissent, summis affecissent iniurijs, & ad mortem vsque persecuti fuissent, paucique ex ijs tam immane scelus detestarentur, voluit Dominus, vt templum ipsum ve-

tur.] Vt quid enim Deus Pater dilectissimum filium crudelissimæ morti traderet, si peccata nostra remedio non indigerent? Contremiscat igitur terra peccatrix, tremore concutiantur terrena corda nostra, quæ & intra se recipiunt, & detinent ea ipsa peccata pro quibus diuina iustitia taliter in Vnigenitum Dei innocētissimum agnum desæuit. Qualem enim sumet iustissimus Iudex de impijs seruis, ingratis, perfidis, inobedientibus, qui obedientissimum filium pro alienis peccatis patientem dirissimo crucis supplicio adiudicauit? Nōne, charissimi, firmissimè credimus atq; cōfitemur Christum Dominum, quem ante oculos crucifixū cernimus, crucem illam ascendisse, atque in ea immensos dolores vsque ad mortem pertulisse propter scelera nostra, vt scilicet peccata ipsa occideret, & nos ab æterna morte liberaret? Nonne ideo exaltatus à terra pependit, vt corda nostra terrenis rebus affixa ad seipsum eleuaret, sicut antea dixerat: *Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Cur igitur non paueamus, nimioque tremore concutiamur, cùm adhuc terræ ipsæ adhæreamus affixi, & eademmet peccata in nobis viuant? Voluit Cain fratrem Abel occidere, & ne à Patre impediretur, fraudulēter in agrum foras eduxit, & quoad potuit occultè occidit. Quare cum peccatum suum omnino latere arbitraretur, à Domino interrogatus vbinam esset frater, impudenter respondit: *Nescio. Nunquid ego sum custos fratris mei?* At Dominus, *Vox*, inquit, *sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc igitur maledictus eris super terram quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua: cùm operatus fueris eam non dabit tibi fructus suos: vagus & profugus eris super terram.* Diuus Chrysostomus, & quamplurimi Doctores Græci hæc vltima verba sic legunt, Gemens atque tremens eris super terram.] quam timiditatem, pauorem, & tremorem satis ostendit, cùm dixit: *Omnis qui inuenerit me, occidet me.* Hæc impia iusti Abel occisio à seniore fratre

Gen. 4.

Chrysostom.

Cain per inuidiam perpetrata (vt Diuo Augustino, atque Lugdunensi Eucherio placet) iniustissimam crucis necem Domino Iesu illatam præfigurauit, qui innocens plus quam Abel, bonusq; pastor noster à Iudaico populo eius seniore fratre, (quia ab eorum patribus descendit secundum carnem, & secundum eam posterius in mundo natus est) ob inuidiam (vt Pilatus ipse intellexit) accusatus & ad crucis mortem fuit instantissime postulatus: ipsis igitur veluti impellentibus foras Ierusalem ductus est in montem Caluariæ & ibi per iniquorum manus cruci affixus. Cecidit innocens ille sanguis super terram, quæ aperiens os suum illum suscepit. Cum vero, vt ait Diuus Paulus, melius Christi Iesu sanguis clamet, quam clamauit sanguis Abel; in illius clamoris signum præcipue tremuit terra, quia nimirum terræ motus, terræ ipsius est quodammodo vox. Qua voce terra sanguine Iesu innocentissimo, & sanctissimo madens ad Deum veluti clamauit misericordiam deprecans etiam illis ipsis, qui illum impie effuderunt, si resipiscere vellent. Sanguis Abel vindictam postulabat, quia Cain peccatum non noscebat: & ideo maledictionem accepit in ipsa terra. Sic illi Iudaico populo maiori ex parte contigit, qui voce magna clamauit sanguis eius super nos, & super liberos nostros.] Quia igitur sanguinem hunc in cruce effusum eodemmet odio, quo incitati effundere desiderarunt, in se ipsis susceperunt, & in ea impietate adhuc perseuerant, ideo ipsamet Iudææ terra; quando os ad recipiendum sanguinem aperuit, tremuit futuram vindictam velut præsentiens, & expauescens. Et nobis etiam, qui hunc sanguinem super nos in baptismate recepimus, in quo & abluti sumus atque peccatis mortui, vt iustitiæ viuamus, si iterum eadem peccata reuiuiscant, ita vt huius sanctissimi sanguinis virtus fructus suos non producat in terra nostra, satis timendum est ne in nobis ipsis sanguis ipse non pro nobis sed contra nos clamet, Diuum Paulum

Heb. 12.

au-

audiamus admonentem eos, qui post baptismi gratiam in peccatis perseuerant, *Rursum crucifigentes,* Hebr. 6.
vt ait, *sibimetipsis filium Dei, & ostentui habentes. Terra enim* (addit) *sæpe venientem super se bibens imbrem & generans herbam oportunam illis, à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo: proferens autem spinas ac tribulos, reproba est, & maledicto proxima cuius consummatio in combustionem.*] Vnusquisque ergo nostrum, Charissimi, in se ipsum oculos conuertat, & à se requirat quosnam fructus propria ipsius terra sanguine Christi toties irrigata produxerit: vt inde intelligat si sibi valde timendum & iuxta hanc Domini crucem tremendum est, quo timore atque tremore concussa hæc terrena substantia ad diuinam misericordiam ejusmet sanguinis virtute recipiendam se præparet.

Et petræ scissæ sunt] Huius mirabilis signi vestigia in ipso loco Caluariæ remansisse, refert Cyrillus Ierosolymorum Episcopus, inquiens: Hactenus Golgatha monstrat, vbi propter Christum petræ scissæ sunt] Quod ego etiam audiui ex ore Illustrissimi & Reuerendissimi Domini Fratris Iohannis Soarij Episcopi Conimbricensis ex ordine nostro eremitarum sancti Augustini olim assumpti à Iohanne tertio Portugaliæ siue Lusitaniæ Rege, cuius concionator eximius fuit, atque in magno præcio habitus. Hic igitur Illustrissimus Præsul eo tempore, quo sacro Tridentino Concilio interfuit, summa deuotione Ierosolymam petijt, sanctaque loca visitauit, & omnia curiosissime inspexit & perscrutatus est. Cum igitur in publico fidei actu seu iudicio, Conymbricæ concionaretur (cui concioni ego iam monachus & studijs in ea celeberrima Vniuersitate operam dans præsens interfui) & in perfidiam Iudaicam multis inueheretur, atq; de hoc mirabili signo sermo incideret, retulit quod cum sanctum Domini sepulchrum esset ingressus & post missæ celebrationem omnia & singula at-

III. signum. Cyrill. Catech. 13.

tentissime specularetur, in superiorem sepulchri seu speluncæ partem oculos figens vidit, & adnotauit rupem illam scissam esse per multas partes, quæ scissuræ ad rupis ipsius summitatem perueniebant (cuius superior pars Golgatha dicebatur, id est, Caluariæ locus, vbi criminosi in crucem agebãtur, & Dominus fuit crucifixus. Cum enim Ioseph ab Arimathia hortum illum, qui erat iuxta eũdem locum Caluariæ, possideret, diuina dispositione effectum est, vt ad illius rupis radicem sibi ipsi in petra sepulturam excideret, in qua Domini corpus sacratissimum reconderetur) dicebat igitur Reuerendissimus Episcopus, adeo patentes esse scissuras illas, vt per eas lux in superiori parte posita ab inferiori (id est, ab ipsa spelunca sepulchri) conspiceretur; ita vt miraculose tota illa rupes consistere videatur. Et non solum illius rupis, seu montis Caluarij petræ scissæ sunt, sed & in alijs orbis partibus hoc mirabiliter effectum est. vt namque refert Cardinalis Baronius, in Hetruria montẽ Aluerniæ (in quo postea Seraphicus pater Franciscus signa redemptionis nostræ, id est, vulnerum Domini Iesu in corpore suo mirabiliter recepit) scissum fuisse illius terræ accolæ ex antiquissima traditione firmissimè credunt. Istius signi figuram præcessisse in Elia existimat Diuus Chrysostomus; eo scilicet tempore quo sanctus Propheta ad montem Dei Oreb iussu Domini perrexit per iter quadraginta dierum. Vbi cùm in spelunca consisteret, ei Dominus præcepit vt foras exiret, dicens: *Sta in monte coram Domino. Et ecce Dominus transit, & spiritus grandis & fortis subuertens montes, & conterens petras ante Dominum.*] Sic igitur in hoc mirabili transitu Domini Iesu ad Patrem, vt redemptionis humanæ vis & efficacia nota fieret; ante ipsum virtus diuina grandis, & fortis pertransiuit montes subuertens. At longè mirabiliora per hanc petrarum scisionem fuisse præsignata Dominus per Ezechielem prædixit duobus locis ita dicens; *Et auferam cor lapi-*

Chrysost. in Matth.
3. Reg. 14.

pideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum. Quod ad legem gratiæ, redemptionisq; virtutē ex D. Paulo pertinere probat D. Aug. Apostol⁹ nāmq; Corinthios alloquens, dicit: *Epistola estis Christi ministrata à nobis & scripta: non atramento, sed spiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.* Per tabulas lapideas, lapidea, id est, obdurata & insensibilia corda intelliguntur, ait sanctus Augustinus, qualia erant Iudæorum, corda verò carnea ea dicuntur, quæ diuinæ obsequuntur voluntati, mitia redduntur, atque gratiæ effectum veluti sentiunt. Namque peruersa peccandi consuetudo humana corda ex se mollia atque sensibilia in lapidum duritiem conuertit, ita vt omni rationis sensu carere videantur: quod quidem periculosissimum est, & difficillimam reddit saluationem. At vt quanta sit sanguinis Christi in cruce effusi virtus & efficacia ad peccata omnia delenda, animasque conuertendas, peruersos mores in melius commutandos, obdurata atque lapidea corda emollienda, manifestum omnibus fieret, & petræ scissæ sunt in eius morte. Diuinus ille præcursor & præco Ioannes Baptista Iudæos, qui se Abrahæ filios iactabant inaniter, durè increpans dicebat: *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Et licet materiales lapides digito ostenderet, in hisce tamen significatum esse declarabat illā cordium mutationem, quæ in mundo per Christi Saluatoris aduentum erat efficienda, quando populi gentilis corda in lapides conuersa, quia lapides adorabant pro Deo, & ob inueteratam peccatorum consuetudinem lapidum duritiem contraxerant, verum Dei cultum erant receptura, & diuinæ legis præceptis obtemperatura. Quod illico in morte Christi ostensum est, cùm & Centurio, & qui cum ipso erant milites Romani dixerunt: *Verè filius Dei erat iste, & verè hic homo iustus erat.* Id ipsum probatur ex illis verbis beati Lucæ, *Et omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant, quæ fiebant,*

Aug. de grat. & lib.
2. Cor. 3.
Matth. 3.
Luc. 23.

bant, percutientes pectora sua reuertebantur.] Et quid aliud petrarum scisio designabat nisi hanc lapideorũ pectorum dolorosã percussionẽ? Pectoris namq; percussio cordis compunctionem, culpæq; agnitionẽ ostẽdit. Satis nota atq; perspecta est summa adamãtis lapidis durities, quæ neq; ferro, siue chalybe, aut aliquo alio metalli genere superari potest. Vt tamẽ vulgata antiquorũ fert opinio, si hirci sanguine recenti, & calido aspergatur facillimè sculptoribus cedit, variasq; recipit cælaturas. Duriora adamantibus fuerunt populi Iudaici corda, quod satis manifeste apparuit quando omnis illorum turba vidẽs Dominum Iesum à Pilato foras eductum, spinea corona redimitum, chlamyde coccinea male coopertum, vulneribus toto corpore cõcisum, sanguine vndiq; madentem, & Pilatus ad animos eorum mitigandos dixisset, *Ecce homo,* ipsi ardentius in eum & crudelius excitati vno ore clamauerunt, *Tolle, tolle, Crucifige, crucifige.* Neq; deinde tantus furor aliqua ex parte fuit mitigatus, quando Dominus *Iesus* baiulans sibi crucem exiuit in locum Caluariæ, cum sub tanto pondere sæpe rueret. Maiora insuper efferatorum cordium signa dederunt quando in Cruce pendentem conspicientes, durissimis clauis confixum, riuosq; sanguinis effundentem, ipsi irridẽtes cum principibus, & sacerdotibus suis, atque capita per derisum mouentes, multa in eum blasphemando euomuerunt. Verum postquam cuncto sanguine corpus fuit euacuatum, & igne amore succensus nimiumq; feruens sanguis ipse totum Caluariæ montem seu rupẽ irrigauit, animaq; illa sanctissima ad Patris manus peruenit, illico tanti sanguinis, & tam immaniter fusi virtus enituit, cum multa ex illis lapideis atque efferatis cordibus emolliri cœperunt, ipsaque turba eorum qui aderant, reuertebantur, pectora eatenus dura percutientes, vel ob admissi sceleris dolorem, vel ob diuinæ vindictæ conceptum timorem, quare contriti, & compuncti diuinam deprecabantur misericordiam.

Et me-

Et monumenta aperta sunt] Hanc monumentorum apertionem partam de morte victoriam demonstrasse ait Hieronymus: ipse namque mortem nostram moriendo destruxit. Lata fuit mortis sententia in primos parentes, cui omnis eius posteritas tenebatur obstricta, cuius sententiæ tanta erat vis, vt qui semel sub mortis imperium caderet, nulla naturali vi in vitam posset reuocari: sed simulatque Christus Dominus in Cruce mortuus est se sponte morti tradens, cum mortis legibus non teneretur, nobis spem resurgendi præbuit, vitamque nostram resurgendo reparauit. Quare monumenta iustorum in eius morte fuerunt aperta (erat namq; iam, ait Hilarius, mortis clausura reserata) ex quibus multa sanctorum corpora cum eo simul tertia resurexerunt die. IV. signum. Hier. ad Heluid.

Misticam aliam significationem huius signi tradit idem Hieronymus, Origenem secutus, sumpta occasione ex illis verbis Christi Domini Hypocritas Pharisæos increpātis: similes, aiebat Dominus estis sepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt osibus mortuorũ, & omni spurcitia: sic & vos à foris quidem paretis hominibus iusti; intus autem pleni estis hypocrisi, & iniquitate.] Et licet Dominus in Pharisæos hypocritas ista præcipue dixerit, omnes etiam eos coarguit, qui peccatis polluti, peccatores neque videri volumus, neq; tales nos esse cognoscimᵘˢ, neq; insuper peccatorũ fœditatẽ atq; turpitudinẽ exhorremᵘˢ: vnde sępe euenit, vt vitia excusemᵘˢ, rationesq́; excogitemus, quibus illorũ grauitatẽ minuere, & in eis perseuerare valeamus. Ex quo efficitur, vt neq; debite de peccatis cõteramur, neq; diutius ab illis abstineamus. Quare & dealbatis sepulchris similes sumus, vitã, salutẽ, & alia corporis ornamẽta exterius ostendẽtes cùm interius anima sepulta iaceat, & maiori spurcitia ac fœtore peccatorũ plena quã corpora, quæ intra sepulchra cõtinentur. Origenes. Matth. 23.

 Per

Per hanc mortem, ait D. Augustinus, multi mortui sunt, & viuentes portant funera sua.] Quam tamen mortem neque sentiunt, neque lugent. Huic malo, animique cæcitati efficacissimum existit remedium Domini Iesu crucifixi iterata consideratio, & passionis eius attenta contemplatio. Namque in corporis eius vulneribus animarum nostrarum vulnera intuemur: facies eius sputis fœdata, genæ vellicationibus liuidæ, vultus, & totum corpus sanguine conspersum atque deforme animarum nostrarum fœditatem ac deformitatem, cùm in peccatis iacent; ad oculum demonstrant atque exprimunt. In illa igitur monumentorum apertione, qua effectum est vt ossa putrida, & cadauera cõspicerentur, ostensum fuit, quomodo per Christi Domini mortem in peccatorum nostrorum cognitionem possumus deuenire, vt etiam per eandem
Isaiæ 53. mortis virtutem à peccatis resurgamus: *Et nos putauimus eum quasi leprosum*, ait Isaias Propheta, *& percussum à Deo, & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus.* Inde verò sanitas nostra incipit, quando hæc fœda nostra atque turpia facta cognoscimus, atque mortua opera detestamur: quod mirabiliter Christi crucifixi & pro nobis mortui contemplatio intus in anima operatur. Hoc mihi probare videntur illa sancti Simeonis prophetica verba, quibus in templo sanctissimæ Virgini benedixit, cùm inquit: *Ecce positus est*
Luc. 2. *hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur: & tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.* Aduerbium, *Vt*, hic non causam, sed rei euentum designat, estque sensus: quod Christus Dominus crucifixus futurus esset in signum illud, quod Diuus Paulus Iudæis signa petentibus, Græcis verò sapientiam postulantibus, erat ostensurus, à quibus tamen adeo contradiceretur,

tur, vt Iudæis esset scandalum, Græcis autem stultitia. Sed quia in multorum etiam resurrectionem positus erat, ipsis vocatis Iudæis atque Græcis Christus crucifixus virtus, & Dei sapientia futurus erat: ex cuius aspectu sanctissimæ virginis Matris anima vehementissimo doloris gladio transuerberata summis cruciatibus afficeretur. Indeque euenturum esset, vt multorum cordium secretæ cogitationes reuelarentur, quæ sunt monumenta aperta. In quibusdam enim fides, in alijs verò perfidia, palàm est ostensa: quorundam odium, aliorum amor, quorundam timiditas, aliorum fortitudo animi reuelata sunt. Ex duobus namque latronibus simul pendentibus, vnus summam declarauit perfidiam Christum Dominum crucifixum irridens, & blasphemans, alter præclarissimam fidem, eundem & Saluatorem, & gloriæ Regem palam confitens. Eo etiam tempore omnium ferè discipulorum vecordia, & animi ignauia innotuit, qui relicto Christo Domino omnes fugerunt: dilecti verò discipuli, atque sanctarum mulierum fortitudo perspecta est, cùm iuxta crucem starent, & vsque ad sepulturam comitarentur. Tunc demum Sacerdotum & Pharisæorum summum odium in Christum Dominum toti mundo fuit declaratum, cùm eius memoriam ab hominum animis delendam totis viribus contenderunt: at è diuerso occultus ille amor duorum discipulorum, Iosephi scilicet ab Arimathia, & Nicodemi foras audacter erupit, qui corpus Domini è cruce deponentes, honorificè sepelierunt. Ex multis igitur cordibus cogitationes reuelatæ sunt postquam Dominus in cruce pependit, & in ea mortuus est, quo intelligeremus hanc esse Dominicæ passionis atque mortis virtutem, vt occulta nostra conspiciantur, sepulchra cordium detegantur, mortua opera cognoscantur. *In extremo iudicij die*, dicit Apostolus, *Dominus illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Quod si huius manifestationis modum re- 1. Cor. 4.

quiras, Diuum Matthæum audi illius magni diei, vltimiq; e Iudicij formam describentem: *Tunc*, inquit, *parebit signum filij hominis in cœlo: & tunc plangent omnes tribus terræ.* signum autem filij hominis crucem Domini esse omnium fere est doctorum sententia, quæ veluti vexillum Christum Iudicem præcedet, quo signo viso, eius virtute, & efficacia impiorum sepulchra, id est, corda aperientur vt (velint nolint) videant peccata omnia sua, licet occultissima, & finalem scelerum impœnitentiam in qua decesserunt, ex quorum aspectu horribili & deformi super se plangent. Nos igitur Charissimi, nunc fructuose exequamur illud, quod eo tempore absque vllo fructu fieri necesse est: nunc sæpe sæpius in Christum Dominum crucifixum oculos figamus, eius contemplemur vulnera, dolores omnes, atque acerbam mortem meditemur. Sic enim fiet, vt monumenta cordium nostrorum aperiantur, scelerum deformitatem, grauitatem, minimasque circumstantias cognoscamus, de illis compungamur, eaque veluti putrida cadauera detestemur.

Matth. 24.

Quæres fortasse, quare Dominus hæc miranda signa in rebus insensibilibus ostendit, quæ sicut omni sensu carent, ita redemptionis meritorum non sunt capaces, neque ex Christi Domini morte fructũ percipiũt salutis? Cui dubitationi respondetur, quod vltra eas significationes, quas retulimus, etiam Dominus per hæc insensibilia hominum, pro quibus moriebatur, & qui sensu, atque intellectu pollent, cordis duritiem atq; insensibilitatem coarguit, quia fere nõ est, qui recogitet corde, & ei compatiatur. Eo die quo Dominus Ierosolymam est ingressus cum solemni pompa atque triumphali, clamantibus turbis atque dicentibus: Benedictus, qui venit Rex in nomine Domini. O sanna filio Dauid: & multa alia in hunc sensum, dixerunt ei quidam ex Pharisæis vt discipulos suos increparet,

qui-

quibus ipse ait, *Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt.*] Hocquidem in eius morte impletum est. eo namque tempore discipuli metu, & vecordia perculsi tacuerunt: at discissum templi velum, terra tremens, petræ scissæ, & monumenta aperta clamauerunt, & Redemptorem mundi morte sua mortem superasse testata sunt. Clamant etiam aduersus cordis nostri duritiem, animi ingratitudinem, tantorum beneficiorum obliuionem, vtpote qui Dei ac Domini nostri mortem pro nobis perpessam neque veneramur debite, neque vel saltem recordamur. Luc.19

Quod si tot insensibiles res in Christi Domini morte talia sensus signa dedere, quid putatis perpessum fuisse pijssimum sanctissimæ matris cor, quando filium in cruce morientem vidit? Arbitror sane omnium harum rerum, in quibus hæc signa ostensa sunt, ipsam in corde dolendo acerbissime sentiendi officium fuisse executam.

Atque primo quidem animæ purissimum velum, iuxta Simeonis prophetiam, diuisum est in duas partes à summo vsque deorsum, quando per eam doloris gladius pertransiens, partem superiorem integram, & rationi atque diuinæ voluntati omni modo conformem relinquens, & in ea ipsummet filium offerens, partem sensitiuam, & inferiorem in doloribus dereliquit, ita vt tantum cruciaretur quantum possibile erat.

Tremuit terra illa Virginalis, de qua veritas ipsa Christus Iesus filius Dei orta est, quæ & nobis ipsum benedictum fructum vitæ protulit, tremuit, inquam, quando de cruce cadentem saguinem suscipiens, reuocauit in memoriam se purissimum sanguinem ad corporis illius emortui formationem ministrasse, quod sanctissimum corpus dum fixis oculis contemplaretur, tunc præcipue vehementi tremore fuit concussa, quando tumultum aduenientium militum audiuit, atque latronum

Tunc deinde firmissima illa deserti petra, ex qua sine manibus angularis lapis agnusque Dominator terræ ad nos missus est, validè concussa, sed integra manens, multis hinc inde doloribus veluti scissa fuit, eo præsertim temporis momento, quo miles lancea latus aperuit, vnde continuo sanguis & aqua exiuit. Iam corpus exangue pendebat, iam vt verè mortuum, omni sensu carebat: quare percussionis illius cunctus dolor Deiparæ Virginis cor proscidit, omniq́ue ex parte confecit.

Vltimo tandem sicut iustorum monuméta aperta diuinam crucifixi Dñi Iesu virtutem in aperiendis atque illuminandis mentibus, testata sunt: sic ibidem ex corde sanctissimæ Virginis perfectissimæ cogitationes sunt reuelatæ, magnitudo videlicet fidei, tutissima spei anchora, qua innixa inter tot dolorum fluctus de resurrectione filij erat secura, vehemens Dei, & proximorum charitas: qua intus ardens iuxta crucem stans dilectum filium pro Dei honore hominumq́ue salute magno affectu offerebat.

Quamobrem clementissima Virgo, siquidem maternum atque pijssimum cor tuum, effecta omnia signorum sensibiliter expertum est, quæ in illis insensibilibus creatùris toti mundo sunt ostensa, materno etiam & pio compassionis circa nos motu pro nobis intercedere digneris, vt diuina ope adiuti virtutem passionis, atque mortis Vnigeniti tui in nobis experiamur. Findatur ignorantiæ nostræ velum, vt latentia in Christo crucifixo diuina mysteria, & cognoscamus, & veneremur, & toto animi affectu complectamur. Terrenæ voluntates nostræ tremore concutiantur, diuinamq́ue iustitiam expauescant. Vnigenitum Patris pro proprijs vniuscuiusque nostrum peccatis morti dirissimæ traditum conspicientes, lapidea corda, imò & adamantina hoc feruenti sanguine aspersa emolliantur. Monumenta pectoris tot peccata cooperientia aperiantur, vt eorum fœditate perspecta

con-

confundamur, & contriti corde atque humiliati eiusdem passionis atque mortis filij tui dulcissimi merito resurrectionis gratiam æternamque misericordiam consequamur, Amen.

DE EADEM Passione.

SERMO DECIMVSSEXTVS.

Iudæi ergo (quoniam Parasceue erat) vt non remanerent in cruce corpora Sabbatho (erat enim magnus dies ille Sabbathi) rogauerunt Pilatum, vt frangerentur eorum crura, & tollerentur: Venerunt ergo milites, &c. Ioan.19.

LICET crucis supplicium acerbissimum esset, atque mortiferum, non tamen illico mortem inferebat, sed iuxta vniuscuiusque damnati vires tardius, aut citius mori contingebat. Quare Dominus per Moysem dependentibus in cruce huiusmodi præceptum dedit; *Quando peccauerit homo quod morte plectendum est, & adiudicatus morti appensus fuerit in patibulo: non permanebit cadauer eius in ligno, sed eadem die sepelietur, quia maledictus à Deo est qui pendet in ligno, & nequaquam contaminabis terram tuam, quam Dominus Deus tuus dederit tibi in possessionem.* Consuetum igitur erat apud Iudæos crucifixorum crura frangere, vt citius animam exhalarent, & ante solis occasum sepelirentur. Iudæi ergo, quia vltra legis præceptum instabat magnus dies ille Sabbathi (magnus Deut.21.

gnus inquam eo anno, in quo solennitas Paschæ, in die Sabbathi inciderat, quam ob causam magnum Sabbathum dicebatur) conscientiæ scrupulo permoti, summam legis diuinæ obseruantiam atque religionis zelum exterius ostendentes, Pilatum adierunt, postulantes, vt tam Christi Domini quàm latronum crura frangerentur, quo citius vitam finirent, & deponerentur, ne terra in tanta solennitate pollueretur si maledicta illa corpora omnium oculis remanerent exposita. Simili scrupulo ducti in Pilati prætorium non sunt ingressi, vt Dominum accusarent, ne contaminarentur, sed vt puri, & sancti, quales videri affectabant, Pascha manducarent. Hos fictos, scrupulosos hypocritas, & simplicium deceptores arguēs Dominus paulò ante passionem suam dixerat illis: *Duces cæci, excolantes culicē, camelum autem deglutientes*. Præuidebat enim hanc scrupulorum fictionem, quia ne contaminarentur prætorium Pilati gentilis ingredi renuerunt, & nihili faciebant Christum Dominum, quem innocentem agnoscebant, de falsis criminibus accusare, & ad mortem postulare: & deinde cùm tantum scelus iam admisissent, atque super se innocentem sanguinem, iniustamque necem haberent, magno se crimini obnoxios fore ducebant, si corpora illa crucifixorum in magno die Sabbathi suspensa remanerent. O cæcitas, ô dementia! innocentem occidistis, in filium Dei insurrexistis, læsæ diuinæ maiestatis rei facti, infandum, & omnibus sæculis execrandum scelus admisistis; & hoc pro nihilo ducitis: at si corpora ante solis occasum non deponantur, & suspensa in Sabbatho remanserint, grauissimi criminis vos reos fore ostenditis. Quid ineptius, quid iniquius? Verùm & nobis etiam nunc ab huiusmodi scrupulis cauendum est, præsertim cùm Diuus Hieron. proclamans dicat, Væ nobis, ad quos Pharisęorū vitia transierunt.] fieri enim solet, vt grauissima crimina hoc scrupulorum pueriliū tegumēto cooperiantur, & parua esse existimētur. sed de his satis.

Matth. 23.

Hieronymus

At non his contenta Sacerdotum atque Princi-

pum Iudæorum peruersitas, malum aliud, & iniquius & deterius excogitarunt; quod ab illo inueterato in Christum Dominum odio ortum habuit: fixum namque memoria retinebant, quod miracula viuens esset operatus, quæ cùm in plurimorum beneficium atque vtilitatem cederent, populum induxerunt, vt ipsum summo amore prosequerentur, per deserta sæpe quærerent, & veluti Prophetam magnum haberent. Vnde effectum est, vt magnis persuasionibus Sacerdotes populum illum veluti inuitum impellerent, vt à Pilato Barrabam sibi dimitti postularent, atque aduersum Christum proclamarent, *Tolle, tolle, crucifige, crucifige.* Visis etiam admirandis illis signis in ipsa morte ostensis, (de quibus superius dictum est) timere cœperunt, ne populus ipse in se reuersus mortuum quæreret illum ipsum, cuius mortem postulauerat, & illud corpus, à quo tanta beneficia acceperat, debito honore veneraretur. Hac igitur pessima cogitatione ducti, Christum crucifixum ab illius populi oculis amouere sunt conati, vt etiam ab animis eorum illius recordatio tolleretur. Haud dubium, quin hęc impia cogitatio ab eorum magistro atque instigatore Sathana sit profecta, qui iam in ipsa Christi Domini morte per experientiam didicerat, quantum valeret ad animos in melius commutandos ipsius Domini passio atque mors ob oculos posita. Viderat enim latronis conuersionem, viderat Centurionis confessionem, viderat totius turbæ, quæ ad spectaculum illud aderat, miram compunctionem quando percutiētes pectora sua reuertebātur. Quare totis viribus per ministros suos, sacerdotū Principes, Iudæorumque præcipuos egit illico post Christi Domini crucifixionem atque mortem illud ipsum, quod etiam nunc omni sollicitudine perficere cōtendit, vt scilicet Christi pro hominibus crucifixi memoriā ab omniū hominum animis euellat. Nec immeritò Sathanas sibi metuit ab ipsius Dñi pro nobis crucifixi attenta recordatione; efficacissimum

ſimum namque atque præſentiſſimum exiſtit remedium contra ipſius ſathanæ venenatos morſus peſtiferaſque perſuaſiones, vt Dominus ipſe Nicodemo dixit per hæc verba: *Et ſicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in illum non pereat, ſed habeat vitam æternam*] ſi enim illius ænei ſerpentis hiſtoriam in mentem reuoces, perſpicies quod vt ab ignitis ſerpentibus percuſsi ſanarentur, oportebat, vt in ſerpentem illum æneum oculos figerent. *Qui percuſſus aſpexerit eum* (inquit) *viuet*] Et infra: *Quē cum percuſſi aſpicerent, ſanabantur*] ſic igitur quicumque ſe à Diabolo percuſſum atque ab igneis nequiſsimi telis vulneratum ſenſerit, Ieſum crucifixum aſpiciat fidei, & amoris oculis illius vulnera atque paſſiones contempletur, & abſque dubio ſalutis viam ingredietur, vitamque gratiæ recuperabit. Per Iſaiam dixit ipſe Chriſtus Dominus ſe veniſſe vt medetur contritis corde.] Quare in Euangelio ſe medicum peccatorum eſſe non obſcuris verbis declarauit, vt quando Phariſæis murmurantibus, quia peccatores tam facile recipiebat, reſpondit: *Non eſt opus valentibus medicus, ſed male habentibus.* quod ſtatim exponens addidit: *Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores:* Quod etiam in Samaritano illo, qui vulneratum hominem à latronibus & iam pene mortuum conſpiciens remedijs adhibitis curauit, ſatis expreſsit. Hic igitur benignißimus peccatorum medicus in paſsione ſua, in ipſiſmet vulneribus, in ſanguine, cruce, atq; morte peccatis noſtris, & animæ morbis remedia efficaciſſima præparauit, quorum quidem tanta eſt vis, & efficacia ad vitia noſtra curanda, adeoque illis proprium eſt his animarum morbis opem ferre, vt non ſolum hanc habuerint virtutem, quando Chriſtus Dominus ea omnia pro ſalute noſtra patiebatur, vel quando per diuina Eccleſiæ Catholicæ ſacramenta actualiter applicantur, ſed etiam quando per attentam conſiderationem mentibus noſtris im-

Ioan. 3.

Num. 21.

Matth. 9.

imprimuntur. Quia nimirum per hanc meditationem assiduam cordis durities paulatim emollitur, anima in odium peccatorum excitatur, & ad Iesum redamandum acceditur ex eo quia considerat quãta pro eius amore ille pertulerit. Asserunt medici, & pharmacopolæ quasdam esse res simplices, quæ vel frigidæ sunt, vel calidæ ab occulta proprietate, licet per externa accidentia aliter appareat: sicut in pipere patet, quem si ex tactu iudices, frigidum existimabis, at in esu eius caliditas nimia experitur: sic etiam quamuis prima facie tanta hæc efficacia in passionis memoria non appareat, attamen si frequenter in animo versetur, tunc experimento probabitur quanta polleat virtute ad vitia omnia radicitus ab amicis extirpanda. Vnde ait Diuus Petrus, 1. Pet. 4.
Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini] quasi dicens, Iisdemmet armis contra omnia vitia pugnate, quibus Christus in cruce vsus est, vt ea omnino superaret. Ille doloribus, vulneribus, sanguinis effusione, atque morte peccata deuicit, & de illis in semetipso triumphauit: & vos igitur horum cogitatione veluti potentissimis armis aduersum eadem vitia pugnate, vt de illis victoriam reportetis. Paulus Iudæis signa petentibus Græcis vero sapientiam postulantibus Christum crucifixum prædicare se dicit, ad conuincendam eorum incredulitatem: & deinceps, Nihil aliud se scire dixit nisi Iesum, & hunc crucifixum. Et Hebræos exhortans, dicit; Aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contempta. Recogitate enim in eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem, vt ne fatigemini animis vestris deficientes.] Recogitate ait, id est, sæpius & multum cogitate. Vt totus nobis figatur in corde (ait Diuus Augustinus) qui pro nobis fixus est in cruce.

1. Cor. 1. & 2.

Heb. 11.

Huius assiduæ recordationis Domini Iesu crucifixi efficaciam intelligens sancta Mater Ecclesia,
ab

ab Spiritu sancto dominicam crucem tot locis collocandam decreuit, non in templis tantum & sacris altaribus, sed & in vijs publicis, in parietibus, & mille alijs locis, vt Domini passio & mors nobis assidue in mentem veniat; & opposuit se quodammodo huic pessimæ Diaboli machinationi, quam per Iudæorum fictum religionis zelum construxerat ad remouendum Christum crucifixum ab hominum oculis & memoria. Vtinam solos Iudæos tanti mali ministros haberet Satanas! at multi hodie, (& proh dolor tam multi) sunt in mundo, qui de Christiano nomine gloriantur, qui Christi nomen in ore habent, & eius spiritu se duci impudenter iactant, cum Sathanico spiritu agitati tanto odio in ipsum Christum Dominum ferantur, vt palam profiteri non vereantur, & insipienti populo persuadere, impium esse Domini Iesu Passionem compassiuo affectu præmeditari, & de eius morte dolere. Quare & diabolico furore perciti, crucifixi Domini sanctissimas effigies, & salutiferæ crucis signa non solum abominantur, sed & contumelijs afficiunt, & ab omnium conspectu amouere conantur. Ex quo effectum esse satis constat, vt perfractis hisce continentiæ, sobrietatis, atque virtutum repagulis, demptis etiam diuini amoris incentiuis, quibus anima, vt diximus, vehementissime permouetur, omnibus vitijs pateat aditus, neque ea perpetrasse pudeat, quæ & naturali, & diuina lege reprobantur. Sancta vero Ecclesia Catholica & Apostolica eorum miserrimam vicem dolens, hoc ipso die, in quo sponsus eius Christus Iesus in cruce pendens pro suis crucifixoribus exorauit, pro hisce hæreticis, schismaticis, atque perfidis Iudæis ipsius crucifixi hostibus infensissimis, eundem Dominum Iesum, & per eum Deum patrem omnipotentem deprecatur, deuotasque orationes decantat, quia videlicet hoc præcipue die, ipsius Domini Iesu crucifixi virtus, & potestas ad salutem hominum operandam toti mundo ostensa est.

Ad Iesum autem cum venissent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura.] Ex quo colligitur Dominicam crucem in eminentiori illius Caluarij loco fuisse collocatam: primum namque vtriusque latronis crura fregerunt, vtpote quorum cruces inferiores erant & primo se offerebant. At ad Christum dominum (veluti latronem altius, vt à longius conspiceretur, crucifixum) cum milites venissent, mortuumque viderent, eius crura non fregerunt. Quod tamen diuinitus erat præordinatum (vt Euangelista adnotauit) quando figuraliter præcepit Dominus ne illius agni paschalis ossa comminuerentur. Huius igitur figuræ veritas tunc impleta est, quando corporis illius sanctissimi neque minutissimum os potuerunt confringere, licet & Iudæorum malitia, & Romanorum potestas totis viribus contenderent. Cuius si causam inquiras, ea potissimum fuit, vt firma fide teneremus integram in illo cadauere crucifixo, & postea sepulto diuinam fortitudinem, atque potentiam remansisse: ossa namque, quia carnis fragilitatem fulciunt, & corroborant, fortitudinem designant. Quare in illo mortuo corpore, & humana vita priuato eadem diuina virtus inerat, atque infinita potestas, qua viuum pollebat. cùm enim humanum esse ex anima & corpore constet, & vtraque à diuino verbo in incarnatione fuerint assumpta, illique vnita, quamuis per mortem ab inuicem anima, & corpus separata sint, diuinitas tamen neque ab anima, neque à corpore fuit separata. Eadem namque diuini Verbi persona per vnitam sibi animam ad inferos descendentem inferni claustra potenter cõfregit, patrumque animas inde liberauit: & illud ipsum verbum in corpore cruci affixo sibi vnito militũ manus cohibuit, ne crura frangerent, minimũ vẽ os comminuerent, vt diuinam in illo corpore potentiam existere satis apertè comprobaretur.

Sed vnus militum lancea latus eius aperuit: & continuo exiuit sanguis & aqua.] Si in impij militis cruentas manus lanceam vibrantes oculos figamus,

ferinam crudelitatem conspiciemus, quæ in emortuum corpus, & nihil sentiens desæuit: conspiciemus etiam deprauatum atque malignissimum animum, vtpote qui intra se cogitaret possibile esse, alios milites deceptos motuum existimasse eum, quis se mortuum posset fingere: conspiciemus denique grauissimam corpori sanctissimo contumeliam inatam, ad sanctorum martyrum consolationem non minimam, quorum cadauera per contemptum nimiamque crudelitatem à tyrannis fuerunt dilaniata, & mille modis lacerata. Si vero mentis oculos altius eleuantes diuinas æterni Patris prouidentiæ manus contemplemur, intelligemus sane nequaquam militem valuisse manus extendere & lancea latus percutere, si diuinitus ei permissum non fuisset, & peculiari ordine decretum. Quod satis nobis declarāt illa Zachariæ prophetæ verba quibus hanc percussionem prædixit, quando Deum Patrem ita loquentem refert, *Framea suscitare super Pastorem meum, & super virum cohærentem mihi, dixit Dominus exercituum*] Eucherius Lugdunensis in tractatu de expositione nominum Hæbraicorum & Græcorum quæ sacris literis reperiuntur, de framea loquens, dicit: Frameæ sunt hastæ oblongæ] hastas autem oblongas lanceas esse constat. Cur igitur verbo Framea Dominus per prophetam vsus fuerit, lanceam veluti trepidantem, & sacrum corpus attingere non audentem quodammodo excitat & acuit, atque præcipit, vt latus aperiat sanctissimi Pastoris pro salute ouium occisi, illiusque viri qui adeo ipsi Patri cohærebat, & vnum cum eo esset. O incompræhensibilis Dei nostri charitas, ô inexhausta bonitas, ô liberalitas immensa: quam vt exaltaret sanctus Euangelista, vigilanti verbo vsus est (vt sanctus ait Augustinus) Non enim dixit, latus eius percussit, aut vulnerauit, aut quid aliud, sed aperuit: vt illic quodammodo vitæ ostium panderetur, vnde sacramenta Ecclesiæ manauerunt, sine quibus ad vitam quæ vera

Zach. 13

Euche.

August. in Ioan.

vera vita est, non intratur. Ille sanguis in remissionem fusus est peccatorum: aqua illa salutarem temperat poculum. Hæc & lauacrum præstat, & potum. Hoc prænũciabat quod Noe in latere arcæ ostium facere iussus est, qua intrarent animalia, quæ non erant diluuio peritura, quibus præfigurabatur Ecclesia: Propter hoc prima mulier facta est de latere viri dormientis, & appellata est vita, materque viuorum. Magnum quidem significauit bonum, ante magnum præuaricationis malum. Hic secundus Adam inclinato capite in cruce dormiuit, vt inde formaretur ei coniux, quæ de latere dormientis effluxit. O mors vnde mortui reuiuiscunt. Quid isto sanguine mundius? quid vulnere isto salubrius?] Hæc omnia Diuus Augustinus. Ex quibus colligere licet, quomodo in illa lateris apertione omnium bonorum fons hominibus fuit apertus. Cum enim cuncta animæ bona ex corde Domini Iesu procedant, quando latus aperuit, fontem ipsum patefecit, atque ad illum liberum nobis ingressum præbuit.

Deinde vt testatũ omnibus redderet se ex nimia charitate, qua nos dilexit, vitam pro nobis dedisse, & amoris igne accensum mortem pertulisse, ipsius amoris fontem, nimirum cor, ostendit, vt in eo præcipuam mortis eius causam aperte conspiciamus. Insignes & eruditi medici si quemlibet morientem vident & ægritudinem non cognouerunt, quoad possunt per chirurgos expertos cadauer euiscerant, omniaque interiora peruestigant, quoadusque causam incognitæ ægritudinis atque mortis inueniant, vt in similibus casibus ægris conuenientia adhibeant medicamenta. Licet igitur Dominus Iesus tot, ac tanta in vita sua ardentissimi amoris signa dederit, ex quibus conijcere licebat præcipuam mortis suæ causam ab amore processisse; vt tamen ad oculum hoc manifestum faceret, & nos de immenso hoc onere securos atque certos redderet, voluit vt miles anathomiam

Ee exer-

exerceret in emortuo corpore, lancea latus aperiret, cor patefaceret, quod amoris esse fontem omnibus constat.

Hanc diuinæ charitatis magnitudinem nobis Euangelista declarauit per illa verba: Et continuo exiuit sanguis & aqua.] quod minime fieri erat possibile si sanguis ille, & aqua calore nimio non efferuescerent: sicut in venæ incisione contingere patet experientia: si namque sanguis nimis calescit, statim atque vena inciditur, summo impetu exit: quod è contrario euenit, si frigore constringitur. Ex quo fit vt à cadauere sanguis è venis non erumpat licet incidantur. Cum igitur iam corpus illud vita esset priuatum, imo & exangue atque vulneribus vndique saucium, ventis expositum, summe frigescere non sit dubium, fieri naturaliter non poterat, vt sanguis ille in pectore seu corde cum aqua simul inclusus, tantum calesceret, vt eo impetu quiuerit exire. Quare calor ille adhuc ab amore illo ardentissimo progrediebatur, quo flagrauit illud cor Domini Iesu in ipsa spiritus emissione, quo calore sanguis, & aqua adeo efferuescebant, vt continuo atque latus fuit apertum, summo impetu inde exirent. De sancta Hedvvigæ Poloniæ Ducissa memini me legisse, quod cum aliquando hyemis tempore in Ecclesia orans pernoctasset vna tantum tunica cooperta, & nudis pedibus super lapideum pauimentum consisteret, famulam non procul consistentem gementem audiuit, à qua benigne gemitus causam inquirens, intellexit nimio frigore torqueri, neque vllis operimentis posse calefieri. Quam accersens, super illummet locum, in quo orabat collocauit, & accumbere fecit. Vbi famula posita statim se suauissimo calore foueri persensit, & quiete obdormiuit. O mira diuini amoris flamma, qua non solum sanctissimæ mulieris cor accendebatur, nec corpus solum in medijs frigoribus flagrabat, sed & frigidissimos lapides tanto calore accendit, vt à famula frigus omne depelleretur?

Quid

Quid igitur mirum, si flagrantissima illa amoris flamma (cui nulla alia comparari potest) quæ in corde Domini Iesu vsque ad vltimum vitæ halitum fuit accensa, pectus illud ita inflammarit, vt eo calore sanguis, & aqua efferbuerint? Hinc mihi persuadeo, quod vltra ea magna atque diuina mysteria propter quæ mirabiliter effectum est, vt aqua simul cum sanguine in Christi Domini pectore consisteret, etiam diuinitus fuit adhibita, vt frigiditate sua, nimium sanguinis feruorem temperaret, ne excessiuo calore ante præfinitum mortis articulum cor ipsum suffocaretur (vt latius superius ostendi in primo sermone in cœna Domini, per comparationem illarum aquarum quas supra cœlos existere scriptura testatur.) Huius figura præcessit in illa petræ percussione, quæ in libro Numerorum describitur: Cum namque populus sitiret, & de more contra Dominum, atque Moysen, & Aaron murmuraret, ipsi ad Dominum confugientes eius auxilium implorarunt: quibus Dominus præcepit, vt virga illa miraculorum in Ægypto operatrice petram percuterent. At Moyses aliquantulum subdubitans, & indignabundus virgam tulit, cumque eleuasset manum percutiens bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ.]Petram illam Christum Dominum præsignasse Diuus Paulus apertissime confitetur. Binam vero percussionem duo crucis signa significare sanctus affirmat Augustinus. Petram autem percussam silicem appellat sacer textus, vt miraculi magnitudinem declararet, cum ex silice non aqua, sed ignis cum percutitur excutiatur; atque vt insuper conuenientissime mysterium hoc esset præfiguratum. Corpus namque illud humanum Christi Domini igne Spiritus sancti in vtero Virginis compactum, ignitum erat, & ignem habebat summi amoris intra se inclusum: quare optimo iure per silicem fuit designatum. Cum vero multi tunc existerent, etiam ex amicis atque discipulis electis,

Num. 20.

Aug.

qui (sicut Moyses & Aaron) de hac tanti amoris vi & efficacia subdubitarent, neque perspicue cognoscerent, iussit Dominus vt lancea latus aperiret, & inde sanguis, & aqua magno impetu continuo effluxerunt in remissionem atque ablutionem peccatorum, omnibusq; innotesceret, quanto amoris igne intus flagraret. Liceat mihi modo ad hunc sensum illa Simeonis verba expendere: *Tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.*] Quæ verba superiori sermone latius expendentes multorum cordium cogitationes fuisse in morte Christi Domini reuelatas ostendimus. At nihil de ipso Christi Domini corde egimus, cuius etiam antiquas cogitationes, quæ de salute humana in eius pectore versabantur tunc reuelatæ penitus sunt, quando lancea latus aperuit, & continuo exiuit sanguis & aqua. Non enim casu, & simpliciter, inquit Chrysostomus hi fontes scaturierunt, sed quoniam ex ambobus Ecclesia constituta est (sciunt hoc initiati) per aquam enim regenerati, sanguine, & carne nutriti, hinc mysteria ortum habere fatentur.] Cùm igitur hæc præcipua sint redemptionis sacramenta ex aqua & sanguine constituta & sanguis hic & aqua ex corde Domini Iesu exierint, patet euidenter semper in illo cogitationes eas extitisse, quæ salutis nostræ remedia præparabant. Eæ autem cogitationes tunc reuelatæ sunt, quando lancea latus aperuit, & diuina emanauerunt sacramenta.

Chrysostom. in Ioan.

Eo tempore quo Christus Dominus baptizatus est in Iordane super eum cœli aperti sunt (id est, tantus splendor in cœlo super eum apparuit, vt cœlum ipsum aperiri seu scindi videretur.) Tunc elementum aquæ sanctificauit, eidemque vim regeneratiuam contulit (vt sancti patres loquuntur) vt materiam baptismo, quod est regenerationis sacramentum, ministraret. Hodie quando ex eius pectore sanguis, & aqua exierunt omnibus Ecclesiæ Sacramentis (sicut ijdem sancti Patres docent)

vltι-

vltimam contulit virtutem, atque perfectionem. At nunc è contrario cœli quodammodo sunt clausi, quando tenebræ factæ sunt super vniuersam terram: & eo tempore (mirabile dictu) cœli ingressum Latroni promisit. Quid igitur aliud ijs significare voluit, quam cœlum illud sublimius cordis sui in quo omnes thesauri sapientiæ atque scientiæ, erāt absconditi, & diuitiæ salutis continebantur, tunc nobis fuisse apertum, quando miles latus eius aperuit, & continuo exiuit sanguis, & aqua. Notandum etiam maximopere videtur quod paulo antequam Dominus spiritum emisisset, acetum cum felle mixtum in spongia oblatum accepit, & iuxta naturæ ordinem idemmet acetum atque fel ex percusso latere exire debuisset, non vero sanguis, & aqua. Verum ea fuit diuini amoris vis, ea humanæ charitatis flamma, vt quæ sibi amarissima fuerunt, nobis dulcia in pectore suo effecerit & ex cruciatibus suis nobis solatia preparauerit. Ad hunc sensum expendit Diuus Augustinus illud psalmi, Circundederunt me sicut apes.] Dominum Iesum, inquit, recte accipimus circundatum à persecutoribus suis. Circundant apes fauum. Quid enim ab ignorantibus gestum sit mystica subtilitate Spiritus sanctus loquitur. Mel quippe apes operantur in fauis, nescientes autem persecutores Domini fecerunt eum nobis in passione dulciorem, vt gustemus, & videamus quàm suauis est Dominus, qui mortuus est propter delicta nostra, & surrexit propter iustificationem nostram.] Amarissima igitur aceti, & fellis potio à Domino in cruce ebibita in eius pectore in dulcedinem ad nos potandos conuersa est, quia nimirum omnes huius vitæ amaritudines, atque afflictiones animæ dulces videntur, si ad Christum Dominum crucifixum confugiat, & per hanc salutis portam, latus scilicet apertum, ad cor eius ingrediatur. Vnde diuinus idem Dei præco sanctus Augustinus fidelem populum in grauissimis periculis constitutum ad pœniten-

Augu. in Psalm. 117.

Aug. ser. de temp Barbar.

tiam atque ad tolerantiam exhortans illis vtitur
Matth. 24. verbis Christi Domini, Contendite intrare per angustam portam. Quid angustius (ait deinde) illo foramine quod vnus militum percutiendo latus crucifixi aperuit? & tamen per has angustias pene iam totus mundus intrauit? Per angustam portam lateris Christi ingressus est latro mutatus, punitus Iudæus, conuersus omnis paganus.] Quicumque ergò per hanc portam fuerit ingressus, si peccatorum pondere prægrauatus anteactam vitam amarissime defleat, amaritudo illa, per Christi sanguinem remissione accepta suauissimos parit gratiæ & consolationis fructus: si afflictionibus circundatus, & quarumcumque tribulationum æstibus ardens ad hunc vitæ fontem accesserit, tantum ex illa salutari aqua refrigerabitur, vt omnes vitæ acerbitates non tantum alacriter sustineat, sed & in ipsis oblectetur. Exemplo nobis sunt sancti Christi martyres, qui ita sitientes ad crudelissimos tyrannorum cruciatus currebant, atque si in media æstate suauissimos aquæ fontes inuenissent.

Adstabat cruci sanctissima Mater, & defixis
Origenes. oculis in emortuum filij corpus eius vulnera contemplabatur. Mater erat, inquit, Origenes, & corpus illud licet humana vita priuatum, ex eius purissimo sanguine fuerat efformatum, in eius vtero per nouem menses portatum, & eius lacte nutritum. Quando igitur milites latronum crura frangentes conspexit, corde pauida à filij corpore oculos non auertens, timebat ne contumelia aliqua afficeretur, licet iam doloris sensu careret. Pertranseuntes milites videns, & quia mortuum viderunt à crucifragio abstinentes, aliquantulum respirare cœpit, cùm subitò lanceam eleuatam aspexit, & in latus eius latum vulnus aperientem, indeque sanguinem, & aquam magno impetu exeuntem. Tunc præcipuè ad-

adimpleta est illa Simeonis prophetia, dolorisque gladius eius animam pertransiuit, quia omnem dolorem sola ipsa pertulit, quæ sanctissimi illius corporis summam dignitatem infinitumque pretium intelligebat. Crudelis videtur fuisse Ioab, qui in pendentis è quercu Absalonis cor non vnam tantum, sed tres lanceas infixit. At crudelior multo hic miles extitit, qui vnica tantum lancea, tria simul transfixit corda, nimirum Domini Iesu cor iam emortuum & vita atque sensu carens, Virginis deinde Matris atque dilecti discipuli viua corda, quæ nimio dolore transfixa crudelis percussionis sensum interius sunt perpessa. In medijs verò doloribus sacrum sanguinis & aquæ riuulum è latere profluentem conspiciens ipsa prudentissima Dei genitrix, quãtum sibi licuit (vt ex Metaphraste refert Cardinalis Baronius) illum sanguinem, vt redemptionis nostræ pretiũ, & aquam regenerationis collegit. Quia etiam intellexit latus illud apertum summi esse diuini amoris indicium, & deinde considerans, quòd sicut per illam pectoris ianuam omnia exierunt Ecclesiæ Sacramenta, ita etiam ad percipienda gratiæ bona liber pateret cunctis volentibus ingressus, immensas diuinæ bonitatis, eidemque infinito amori egit gratias. Quo igne accensa suspirans, & anhelans per illam lateris portam ingredi vehementer optabat, & in illo filij & Dei sui corde nidum sibi construere, inibi habitare, & cum eo simul emori. 2. Reg 18.

Trahe nos post te, Virgo sanctissima, & per hanc salutis portam ad dulcissimum filij tui cor nos pertrahe: te enim duce, te comite, te mediatrice ad purissimum ilud cor patebit nobis licet peccatoribus, ingressus. Et siquidem vt clementissima peccatorum Mater sanguinem illum redemptionis pretium, & aquam purificationis collegisti, per te etiam peccatorum veniam, ac remissionem, animæ munditiam, æternamque gloriam,

 asse-

assequamur. Præstante eodem Domino nostro Iesu Christo filio tuo, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit per æterna sæcula, Amen.

DE EADEM Passione.

SERMO DECIMVS-septimus.

Post hæc autem rogauit Pilatum Ioseph ab Arimathia (eo quod esset discipulus Iesu, occultus autem propter metum Iudæorum) vt tolleret corpus Iesu, &c. Ioan. 19.

POst lateris apertionem, cùm iam euidenter constaret Christum Dominum verè obijsse, Ioseph ab Arimathia (qui ad illud vsque tempus discipulus eius occultus extiterat propter metum Iudæorum, qui etiam, vt alij Euangelistæ, nobilis fuit decurio, vir iustus & regnum Dei expectans atque insuper diues, quique licet ab Arimathia ciuitate Iudææ esset oriundus, Ierosolymis tamen habitabat) audacter, vt sanctus Marcus ait, ad Pilatum introiuit, eumque rogauit; vt sibi liceret corpus Domini Iesu è cruce deponere, atque sepulturæ mandare. Pilatus verò cùm ex Centurionis testimonio cognouisset verè ipsum Christum esse vita defunctum, permisit illi, vt corpus eius tolleret. Quod vt Nicodemo innotuit (qui etiam discipulus erat occultus) omni deposito timore Iosepho se socium adhibens vterque officium depositionis è cruce atque sepulturæ eo quo potuerunt honore atque mani-

magnificentia peregerunt: non quidem occultè & in tenebris, sed manifeste, & clara adhuc luce atque in oculis Principum Iudæorum, totiusque populi. Duos hinc colligere licet Dominicæ mortis præclarissimos effectus, de quibus nobis præcipuè erit agendum. Et inprimis quanta fuerit sanguinis Christi virtus quanta efficacia illius mortis, quanta crucis potestas satis superque ostenditur in ijs duobus occultis & timidis discipulis Iosepho & Nicodemo. Qui nimirum viuente Christo Domino timore correpti adeo ignaui atque pauidi extiterant, proscriptiones Iudæorum pertimescentes, vt nullatenus pro discipulis eius vellent agnosci, illum minime sequerentur, neque eius honorem tueri publice auderent, amorisve signa ostendere palam. At illico atque mortuus est & sanguis vitæ aquaque salutaris è pectore exiuit, tunc omnis abcessit metus, tunc trepidantia corda nouam induerunt fortitudinem, tunc timiditas in audaciam commutata minas sacerdotum, populique furorem nihilo duxit, & Ioseph audacter in medium prosiliuit, ad Pilatum introiuit, corpus Iesu petijt, & Nicodemus similiter in montem Caluariæ cum aromatibus ad condiendum corpus accurrit, & vterque se Christi Domini discipulos, & sectatores esse palam professi sunt, ô mera crucifixi potentia, ô admirabilis mortis eius vis, & potestas. Quare non immerito Diuus Paulus Christum crucifixum Dei virtutem esse dicit: per illam enim crucis mortem, in qua summam ostendit fragilitatem, nobis promeruit fortitudinem, vires contulit, robur præstitit non tantũ vt imminentia sæculi pericula, mundi persecutiones, huius miseræ vitæ infinita propemodum mala perferre valeamus, sed & vitiorum impetus, sathanæ fortissimos congressus non pertimescamus, immo superare possimus. Eo tempore, quo populus Israel ex Ægypto est egressus, venit Amalec, pugnabat contra eum, dixitque Moyses ad Iosue vt sibi viros deligeret, & contra Amalec Exod. 17.

pugnaret. Ipse verò Moyses verticem collis ascendit, & habens virgam Dei in manu sua Dominum ipsum deprecabatur manibus in altum protensis. Cūq; leuaret Moyses manus, vincebat Israel: sin autem paululum remisisset, superabat Amalec. Manus autem Moysis erant graues, quas ex vtraque parte Aaron, & Vr sustentabant, Moyse super lapidem sedente, sicque factum est, vt manus illius non lassarentur vsque ad occasum solis. Fugauitque Iosue A-
Gregor. Naz. malec.] Diuus Gregorius Nazianzenus hanc vi-
orat. 5. ctoriam de Amalec partam, victoriam Christi Domini crucifixi, eiusque mortis potentiam præfigurasse asserit: ipse namque Dominus Iesus verus est noster Moyses, ipse dux atque redemptor, qui à tyrannica diaboli & peccati seruitute nos eruit, quem Christianus populus sequēs, vt eo duce veram promissionis æternæ possessionem assequatur, aduersarias cōtra se positas habet spirituales nequitias, quibus nullus proprijs viribus nixus resistere potest. Quod præuidens dux ipse noster, vt nobis in hoc prœlio opem ferret, in montem Caluariæ ascendit, vbi & protensis manibus, atque in altum eleuatis cum lachrymis orabat. At cùm manus eius pondere peccatorum nostrorum graues essent, quo pondere prægrauatæ, in monte Oliueti orans in terram pronus ceciderat, fragilitasque humanæ naturæ tantum pondus ferre ex se non valens, guttas sanguinis vsque ad terram decurrentes in agonia emiserat, Patrique timorem illum patiendi exposuerat. Sed ô Domine redemptor atque liberator noster, dux & fortitudo nostra: nonne vides quod statim atque humanitatis tuæ manus sunt lassatæ, discipuli ipsi, amici, & familiares tui, & qui paulo ante pro te mori se paratos esse affirmarunt, adeo inertes & ignaui extitere, vt licet semel & bis eos admonuisses, vt vigilarent & orarent, ne à tentationibus superarentur, tamen à somno victi sint, & non multò postea relicto te omnes fugerent, solumque relinquerent? Quid igitur erit, si rursum manus

non in altum extenderis? vnde nobis fortitudo suppeditabitur contra tot hostes visibiles atque inuisibiles, eosque fortissimos? Hanc ob causam misericors hic noster Dux in monte Caluariæ supra rupem collocatus, manus habuit clauis cruci affixas, quo pacto eleuatæ steterunt vsque ad solis occasum. Vnde factum est, vt qui antea timore fuerant superati, omni timore deposito hostes adhuc odio flagrantes non expauescerent, nobisque omnibus, licet infirmis atque timidis vires ad pugnandum contra omnem diaboli fortitudinem tribuerint.

Id ipsum Dominus præfigurari voluit, quando præcepit Iosue pugnanti contra vrbem Hai: *Leua clypeum, qui in manu tua est contra vrbem Hai, quoniam tibi tradam eam.*] Eleuato ergo clypeo in altum, inimicos superauit. Neque contraxit manum quam in sublime porrexerat, donec interficerentur omnes habitatores Hai.] Iosue 8.

Et ait Lyranus, ex Hebræorum opinione clypeum super hastam fuisse eleuatum. Si verò rem attentius consideres, perspicies quod clypeus in altum corpus à telorum ictibus non tuetur, sed ante positus. Verùm cùm hanc crucifixi Domini Iesu potentiam præsignare voluisset Spiritus sanctus, super lanceam, & in altum leuatum clypeum vsque ad perfectam victoriam fecit consistere, quia videlicet Christus Dominus eleuatus in cruce vsque ad mortem persistens, & ferè vsque ad solis occasum in cruce collocatus, ipse est protectio & fortitudo nostra. ipse debiles & infirmos, robustos atque potentes ad vincendum reddit. In magno periculo posita erat nauis illa, in qua Ionas Dominum fugiens, dormiebat, ibat mare, & intumescebat, & nulla erat reliqua salutis spes. Expergefactus Ionas, & intelligens cæteros in naui existentes propter eum periclitari, dixit illis, Tollite me, & mittite in mare, & cessabit mare à vobis.] Quod illico atque factum est, Lyranus Ionæ 1.

&Io-

& Ionas in ceti ventrem fuit receptus, stetit mare, & tempestas in tranquillitatem versa est. Ecce plus quàm Ionas, hic præsentem cernimus eum, qui hominum amorem flagrans, non sicut Ionas ne Niniuitis prædicaret, à facie Domini fugiebat, sed qui non tantum verbum Dei prædicauit, & diuina præcepta dedit, viamque salutis ostendit, sed & voluntariè se pro ipsorum hominum salute morti tradidit, & in passionum atque acerbitatum mare immersus est. Quamprimum igitur à morte fuit exceptus, & anima in inferiora terræ descendit, illa timorum tempestas, & perturbationum fluctus, in quibus horum discipulorum debilis animus hinc inde iactabatur, in trãquillitatem atque audaciam sunt commutati, seque omnibus exposuerunt periculis, vt Dominum Iesum mortuum debitis honoribus colerent, cui viuenti minimè adhærere audebant.

Quod autem hæc animi audacia atque fortitudo Dominicæ mortis proprius fuerit effectus apertè conuincitur ex ijsdem in ea effectibus, quos eiusdem mortis pia recordatio in fidelium animabus operatur. Non enim solummodo ad vitia radicitus extirpanda, diuinumque amorem excitandum præsentissimum est remedium (vt latè superiori sermone ostendimus) sed & contra omnia diaboli machinamenta, ad omnem Sathanæ fortitudinem debellandam, & ad omnes mundi aduersitates superandas fortissimas vires præbet, & munitissimum locum præstat. In hunc sensum exponit Diuus Aug. illa Psalmi verba: Deduxisti me, quia factus es spes mea turris fortitudinis à facie inimici. Angitur cor meum, inquit, & labor inter tentationes, & scandala. Inuident pagani, quia victi sunt; insidiantur hæretici pallio velati nominis Christiani; intus in ipsa Ecclesia vim patitur frumentum à palea. Inter hæc omnia cùm angitur cor meum, clamabo à finibus terræ. Sed non me deserit ipse, qui me exaltauit super petram, vt deducat me vsque ad se, quia

August. in Psalm. 60.

etsi laboro, Diabolo per tot loca & tempora, & occasiones, insidiante aduersum me, hic est mihi turris fortitudinis, quo cum fugere, non solum vitabo tela inimici, sed etiam quæ voluero, in ipsum iaculabor. Ipse enim Christus est turris, ipse nobis factus est turris à facie inimici. Caue ne feriaris à diabolo, fuge ad turrim. Ante te est turris: recordare Christum, & intra in turrim. Quicquid pateris, cogita, quia prior passus est, & cogita quo fine passus est, vt moreretur, & resurgeret. Talem & tu finem spera, qualis in illo præcessit, & intrasti in turrim.] In eundem sensum exponit Diuus Bernardus illa diuini sponsi verba sponsam alloquens: *Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ. Ostende mihi faciem tuam.*] Columba ex se timida, & imbecillis annatam nobis fragilitatem declarat, tum ad malum vitandum, tum etiam ad bonum operandum. Foramina petræ, inquit Bernardus, vulnera sunt Christi. Nam petra Christus, & reuera vbi tuta firmaque infirmis securitas, & requies nisi in vulneribus Saluatoris? Tanto illic securior habito, quanto ille potentior est ad saluandum. Fremit mundus, præmit corpus, diabolus insidiatur, non cado, fundatus enim sum supra firmam petram. Peccaui peccatum grande, turbatur conscientia, sed non perturbabitur, quoniam vulnerum Domini recordabor. Si ergo in mentem veniat tam potens, tam efficax medicamentum, nulla iam possum morbi malignitate terreri.] Et infra de martyribus loquens, ita ait, Vult ergo videri, vult benignus dux deuoti militis vultum, & oculos in sua sustolli vulnera, vt illius ex hoc animum erigat, & exemplo sui reddat ad tollerandum fortiorem. Enimuero non sentiet sua, dum illius vulnera intuebitur. Stat martyr tripudians & triumphans toto licet lacero corpore, & rimante latera ferro non modo fortiter, sed alacriter sacrum è carne sua circumspicit ebullire cruorem. Vbi ergo tunc anima martyris? Nempe in tuto, nempe in petra, nempe in visceribus Iesu, vulne-

vulneribus nimirum patentibus ad introeundum.]

Quod si quis dixerit multos extitisse iustos ante Christi Domini passionem, qui pro veritate, atque pro diuina lege tuenda grauissima pertulere supplicia fortiter etiam, & alacriter, vt Isaias, qui serra per medium fuit sectus; Ieremias lapidibus obrutus, percelebres illi septem Machabæi fratres, qui animo pene incredibili horribilia & pene inaudita tormenta sunt perpessi. Huic dubitationi occurrit

Gregor. Naz. orat. 10. Diuus Gregorius Nazianzenus ita inquiens post alia: Quin etiam mystica quadam, & occulta ratio mihi quidem, atque omnibus Dei amatoribus valde probabilis est, neminem eorum, qui ante Christi aduentum matyrio consummati sunt, id sine fide in Christum consequi potuisse.] Fidei namque lumine interius illustrati futurum præuidebant, vt Vnigenitus filius Dei homo fieret, & pro hominibus in cruce moreretur, in quem iam inde aspicientes forti, & constanti animo illata sibi supplicia sustinuerunt. Quod mihi innuunt quodammodo

Apoc. 13. verba illa Diuini Ioannis Euangelistæ in Apocalypsi, quando Christum Dominum appellat Agnum ab origine mundi occisum: quia scilicet in iusto Abel ab impio fratre Cain occiso ipse Christus singulariter fuit præsignatus, à Iudæis quorum erat propter carnalem generationem frater, ob inuidiam morti traditus: & deinceps per omnia sacrificiorum genera, animalium atque auium victimas eius passio, & mors repræsentabatur: quæ sancti viri fide illuminati in illis rebus adumbrari intelligebant; vnde in amorem Redemptoris venturi & pro mundi salute crucifigendi accendebantur, ita vt pro illo persecutiones, & mortem perferre non dubitarent. Quid igitur mirum si ex ipsa Domini morte ante oculos posita tantam Ioseph & Nicodemus audaciam sumerent? & omnes sancti Matyres, atque cæteri iusti viri Christum Dominum crucifixum, & mortuum intuentes, cuncta mundi mala pro eo perpeti non vereantur?

Hinc

Hunc primum effectum alius subsecutus est, quem etiam per Domini mortem fuisse mirabiliter operatum quamplurima diuinæ scripturæ testimonia prædicant, quem nimirum (vt sanctus ait Euangelista Ioannes) Caiphas prophetice (licet non intelligens) declarauit, cum dixit, *Expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Quod exponens Euangelista ait, illum prophetasse, quia Iesus moriturus erat pro gente: & non tantum pro gente, sed vt filios Dei qui erant dispersi, congregaret in vnum.] Hæc igitur magna fidelium congregatio ex omnibus mundi partibus in vnum collecta sub vno capite, in vna fide, sub ijsdem legibus degens (quæ Ecclesia Catholica & Apostolica dicitur) ab ipsa Christi morte coalescere cœpit, illius passionis mirabilis effectus extitit. Hoc præuidens Isaias postquam de gloriosa Domini sepultura præfatus est, paulo post ait: *Et leuabit signum in nationes & congregabit profugos Israel, & dispersos Iudæ colliget à quatuor plagis terræ.*] Quis non videat tunc prophetiæ impletionem inceptam; tunc ad hoc eleuatum crucifixi Domini Iesu signum, & à militis lancea ostensum, & indicatum, imo & ostium apertum, accurrisse illos profugos atque dispersos Israelitas Iosephum, & Nicodemum, qui ad illud vsque tempus occulti latebant? Hos secuti sunt Apostoli, & discipuli, qui statim atque Dominus fuit sepultus, cum beatissima Virgine ad cœnaculum Sion congregari cœperunt: & exinde ab omnibus mundi plagis filij Dei (qui sunt veri Israelitæ, & electum semen Iudæ) conuenire, vt vnum in Ecclesia fieret ouile sub vno pastore degens, & vsque ad mundi finem perseuerans. Ea fuit impia Iudæorum cogitatio, quando tot medijs adhibitis contenderunt, vt Christus infami crucis neci traderetur & in ipsum tot contumelijas, & opprobria iactarunt, vt eius memoria ab omnium animis deleretur, neq; nomen eius amplius memoraretur, neq; dein-

Ioan. 11.

Isa. 11.

deinceps esset quisquam, qui se illius fuisse amicum aut discipulum profiteretur. Verùm diuina crucifixi virtute effectum est, vt per eandem abiectam, & despectam, imò & execrabilem atque maledictam crucis mortem, qui antea discipuli erant occulti propter metum Iudæorum, in publicum prodirent, & mundus ferè totus post mortuum abiret, quem viuentem pauci vt Dominum & magistrum sequebantur. Hinc idem Isaias in admirationem prophetādo raptus dicebat: *Domine quis credidit auditui nostro & brachium Domini cui reuelatum est? Et ascēdit sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitiēti.* Quis, inquam, audiēs arcanum hoc mysterium, quod interioribus animæ auribus audiui, mihi fidem præbebit? Cui reuelabitur occultum Sacramentum filij Dei (qui eius est brachium fortissimum, per quod omnia facta sunt, & sustentantur) infirmitate nostra induti, imo & crucifixi inter latrones, & mortui? Qui tamen licet exterius sicut tenerrimum atque fragile virgultum, & radix despecta appareat, crescet tamen in magnam atque fructiferam arborem. Quare vt radix? (Diuus ait Augustinus) Ideo quia non est illi species, neque honor. Passus est, humiliatus est, consputus est, non habebat speciem: homo apparebat cùm Deus esset, sed quomodo radix non est pulchra, sed intus habet vim pulchritudinis suæ. Attendis arborem pulchram, amœnam, folijs virentem, fructibus opulentam, laudas: delectat aliquid de fructu carpere, sub vmbra eius sedere, & requiescere ab æstu: laudas totam illam pulchritudinem. Si radix ostendatur tibi, nulla pulchritudo in ea est. Noli contemnere quod abiectum est, inde processit, quod miraris, vt radix in terra sitienti. Creuit Ecclesia, crediderunt gentes, victi sunt principes sub nomine Christi. Veniunt volatilia cœli, super bi seculi, & requiescunt sub ramis eius. Vnde hæc tanta pulchritudo? Quæramus radicem. Consputus est humiliatus est, flagellatus est, crucifixus est, vulneratus est,

Isa. 53. (margin, beside "bantur. Hinc idem Isaias")

Aug lib. ho. 50. homil. 36. (margin, beside "atque fructiferam arborem")

contemptus est. Ecce hic species non est: sed in Ecclesia gloria radicis pollet.] Hæc igitur fidelium congregatio, hæc pulcherrima Catholicæ Ecclesiæ vnitas, per Christi sponsi, & capitis sui mortem coalescere cœpit, & eius virtute in ęternum perdurabit. Ad hoc comprobandum adducit D. Gregor. Papa figuratiuum illud sacrificium turturis siue pulli colũbæ pro expiatione peccati à sacerdote offerendi, cuius caput ad pennulas erat retorquendum, ita vt collo adhæreret, & non penitus abrumperetur. Quia videlicet, ait Gregorius, mediator Dei & hominum, id est, caput omnium nostrũ, & vera mundationis hostia, vnde pro nobis mortem pertulit, inde nobis verius inhæsit. Post sectionẽ ergo caput turturis suo corpori inhæret, quia Christũ ab Ecclesia nec mors interueniens diuidit.] Consideranda sunt illa ipsius Christi Domini verba discipulos de fine mundi admonentis: *Vbicumq; fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.* Quæ licet manifestum eius ad iudicium aduẽtum declarent, & iustorum ad illum occursum, tamẽ iuxta D. Augustini & Origenis sententiam, illam etiam manifestationem ostẽdunt, quã in Ecclesia sancta fidelibus seipsum per fidem manifestat, & veluti pręsentem ostendit. Cuius fidei luce (vt D. Pauli verbis vtar) ante fidelium oculos Christus proscriptus est, & in nobis crucifixus. Quæ igitur fideles animæ hac fide illustratæ in Christum crucifixum mentis oculos figũt, & veluti aquilæ odorẽ passionis persentiunt, ad ipsum congregãtur, ei adhærẽt, & eius passionis memoria veluti pabulo salutari reficiuntur. Vnde D. Hier. aduertens, quod corpus in illis Christi verbis ꝓ cadauere ponitur, ait quod per illa verba prouocamur ad pasionem Christi. Expẽdit deinde idẽ D. Hier. cum Origene, quod cùm multæ sint aues alię carniuorę, vt vultures, corui, & alię, aquilis tantum Christus Dominus cõparat eos, qui odore passionis eius attracti, ad eum crucifixum accurrunt, volẽs ostẽdere, ait Orig. magnificos & regales esse, qui in passione Domini crediderũt.] Aquilæ regales sunt aues, cęteris velociores, altius volando ascẽdunt & inde escam contemplantur, & cadauerum odorem longissimè sentiunt.

Gregor. mor. 6. Leu. 5.

Matt. 24

August.

Gal. 1.

Hieron.

Origen.

tiunt. Cùm igitur aquilas appellet Dominus eos, qui ad eum mortuum contemplando volant, prius necesse est, (admonet Hieronymus) vt fiat illud, quod Psalmista ait, *Renouabitur vt aquilæ iuuẽtus tua*, id est, vt depositis veteribus plumis, atq; per pœnitentiam ad solis veluti ardorem accensis, tunc deinceps in passionis Domini flumen sanguine & aqua fluens se immergat: quo salutari lauacro renouata anima terrena transcẽdens ipsius Dñi Iesu crucifixi atque pro nobis mortui mirum odorem sentiat, & summo desiderio ad eum amplectendum aduolet.

Venit ergo, & tulit corpus Iesu.] Accepta namque à Pilato facultate, absque vlla mora Ioseph sindonem nouam mercatus, cum seruis necessaria ad corpus è cruce deponendum portantibus, adiũcto sibi Nicodemo cum aromatum mixtura, in locum Caluariæ perrexerunt. Piũ sane & laudabile est charitatis opus defunctorũ corpora debitę tradere sepulturę. Multum laudauit Dauid viros
2. Reg. 2. Iabes Galaad, quia cũ magno vitę periculo suspensa, in opprobrium super murum ciuitatis Philistinorũ Saul & filiorum eius corpora inde extrahentes, secumq; deportantes sepulturæ mandauerunt, & super ea fleuerunt. Iehu licet iuxta Domini præceptum vindictã in domum
4. Re. 10. Achab exercens, impiam Iezabel ex altissima fenestra iusserit præcipitare, quæ ab vngulis equorũ conculcata miserè perijt; de cadauere tamẽ eius curam gessit, & sepelire præcepit. At iusto Dei iudicio à canib. fuit deuo-
Tob. 12. ratum & humana caruit sepultura. Tobias senior ab angelo Raphaele summopere laudatur, quia occisorum corpora, relicto sępè prandio, super humeros sustollens, cum magno vitę periculo per diem abscõdebat, vt nocte sepeliret. Qua igitur laude digni sunt Ioseph & Nicodemus, qui omni metu deposito, omnibus periculis posthabitis quanto potuerunt honore iuxta temporis opportunitatem, sanctissimum Domini Iesu corpus publicè, & in omnium oculis sepeliendum curarent.

Sed interim dũ Ioseph & Nicodemus necessaria præparant, ad Virginem Matrem iuxta crucem stantem oculos conuertamus, eidemq; compati ne obliuiscamur:

quæ

quæ nimirum accepto illo graui cordis vulnere quando lancea filij latus aperuit, ministris abeuntibus, alio cœpit dolore affligi se omni humana ope destitutā conspiciens, vt sanctissimum filij corpus è cruce tolleret, debitæque sepulturæ vsq; ad resurrectionem, de qua securissima erat, commendaret. Ab eo loco discedere amor non patiebatur, ne dum in ciuitatem pergeret corpus à furenti populo indignum aliquid pateretur, similiter etiam dilectus discipulus, sanctæque mulieres solā relinquere nō audebant: neq; quo irent necessaria quæsitum in mentem veniebat, tum ob sacerdotum adhuc concitatum furorem, tum etiam quia discipuli omnes dispersi, & absconditi per varia loca erant. Quæ maior orbitas reperiri poterat? Quæ grauior afflictio post tot dolores in pijssimum matris sanctissimæ animū potuit cadere? Quando in Bethlehem eundem filium suum peperit, licet nō fuerit ei locus in diuersorio ad eum reclinandum, præsepe tamen habuit præparatum, vbi nullo impediente, infantem vagientem & pannis inuolutum collocauit; vbi etiam & bos possessorem suum cognouit & asinus præsepe Domini sui, vbi denique Angelos audiuit concinnantes, pastores laudantes, & postea magos vidit adorantes & munera pretiosa offerentes. At hic illud ipsum corpus quod peperat, & lacte suo nutrierat, in cruce mortuum conspiciens & inter latrones pēdens, nullum se offerebat remedium neq; ad deponendum de cruce, neque ad inuoluēdum: atq; inter has angustias ad Deum Patrem mente confugiens, auxilium deprecabatur: cum subito per portam ciuitatis Ierusalem, qua ad Caluarium iter erat, venientes quosdam aspexit, qui scalas deportabant, neque à longe Iosephum & Nicodemum agnoscens, animo cœpit angi, malitiā Iudęorum timens, ne forte ob inueteratum odium nouis cōtumelijs sanctissimum Filij corpus vellent afficere: quam animi anxietatem pertulit quoad amici illi sunt cogniti, qui ascedētes eam debito honore atq; cōsolatorijs verbis salutarunt, & cuius causa venissent exposuerunt. Omnib. igitur rite dispositis summo & amore & honore corpus sanctissimū è cruce deponētes pijssi-

matris brachijs & manibus tradiderunt, quæ licet acer-
bissimis doloribus esset saucia, nihil tamen indecorum
aut dixit, aut fecit, sed cõstanti atq; forti animo summā
tranquillitatem in vultu repræsentans, corpus deforme,
vulneribus vndiq; plenum, sputis fœdatum, sanguine
coagulato conspersum intra ipsa brachia atque sinu ex-
cepit, vbi pulcherrimum sæpe portauerat. Ibi vltimum
vale faciens sæpius amplexata, os ad os felle & aceto a-
maricatum apponens, extrema impressit oscula: deinde
vulnus lateris exosculans in pectus illud ingredi, & ibi
sepeliri, si possibile foret, peroptabat. Hæc autem celeri-
ter peregit, quia dies ad occasum vergebat: tunc adiu-
uantibus cæteris corpus lachrymis lauare cœperunt, ip-
sa nimirum mater sacrum caput, ac pulcherrimam faciē
sanguine & sputis consputcatam multis effusis lachry-
mis mundauit: dilectus discipulus pectus lauandum sus-
cepit, in quo tam suauiter in cœna recubuerat; Maria
Magdalena pedibus illis assueta, ex quibus tot sibi bo-
na prouenerāt, eos vulneratos lachrymis iterū rigauit,
& capillis capitis sui tersit, vt reliquias sanguinis sui pre-
tiosissimi in illis colligeret: reliquæ etiam sanctæ mu-
lieres, deuotiq; illi discipuli ꝑut quisq; poterat piū hoc
primū peregerunt officiū vulnera vndiq; abstergentes.

Inter cæteras aquilæ proprietates, de quibus Domi-
Iob 39. nus ad Iob loquitur, hæ continentur: *Pulli eius lambunt sanguinem, & vbicunq; cadauer fuerit, statim adest.*] Ad
quæ vltima verba respexisse videtur Christus Dominus
in illis verbis de quibus supra egimus, scilicet vbicunq;
fuerit corpus, statim cōgregabuntur & aquilæ: quod de
Christo crucifixo esse intelligendum cum multis ex Pa-
Gregor. mora. 31. tribus ostēdimus. D. igitur Gregorius hæc Iob verba ad
eundem sensum explicans, differentiam assignat inter
aquilam, & eius pullos. Per aquilam namq; eas animas
intelligit quæ licet in Dominicæ passionis meditatione
exerceantur, & Iesu crucifixo adhæreant: inde tamen ad
diuinitatis contemplationem eleuantur: & ex quodam-
modo pascūtur. Pulli verò infirmiores sunt animæ quæ
diuinitatis abscōdita arcana minus valēt percipere, quæ
tamē cognito crucifixi Domini cruore satiātur: de qui-
bus

bus dicit: *Et pulli eius lābunt ſanguinē.* Sāguinem namq; lābere, ait Greg. eſt paſsionis Domini infima venerari.

Te igitur, Deipara Virgo, aquilā extitiſſe cōfitemur, quia licet lacerum filij tui corpus atq; defœdatum ante oculos haberes, mente tamē in altum eleuata latentem diuinitatem adorabas, & licet mortuū filium vti mater deflebas, de reſurrectione tamē ſecura eius gloriā aquilinis fidei oculis à longè aſpiciebas. At Ioſeph, Nicodemus, dilectus diſcipulus, ſanctæq; mulieres, Pulli erant, quia quamuis Chriſtum mortuum ſummo affectu diligerent, non tamen adhuc abſcondita diuinitatis myſteria perfectè cognouerant. Quare pretioſiſsimum lambentes ſanguinem non à corpore tantum, ſed etiam ab ipſis Caluarij rupibus, & à cruce colligebāt. Et nos ergo inter hos pullos numera ſanctiſsima mater & Aquila regalis, ipſumq; filium pro nobis mortuum deprecare, vt ſi ob propriam infirmitatem ad altiora diuinitatis myſteria aſcendere tecum non valemus, amore ſaltem atq; compaſsione infirma paſsionis eius imitemur, illisq; adhæreamus: vt hunc pretij noſtri ſanguinē ſicut Aquilæ pulli lambentes per illum peccatorū remiſsionem, redemptionis gratiā & miſericordiam conſequamur: Præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum Patre, & Spiritu ſancto regnat in æternum, Amen.

DE EADEM Paſſione.

SERMO DECIMVSOCTAVVS.

Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Ieſum nocte primum, ferēs mixturam myrrha, & aloes, quaſi libras centum. Acceperunt ergo corpus Ieſu, & ligauerūt illud linteis cū aromatibus. Ioan. 19.

DEpoſito de cruce Domini Ieſu corpore, & in gremio pijſſimæ matris lachrymis abluto, atq; ab ſputis, & coagulato ſanguine mūdato, (vt ſuperiori ſermone dictum eſt) Ioſeph

&Nicodemus illud ſupra lapidem montis Caluarij (qu vſq; hodie extat) collocarunt. Vbi primum omnia vulnera cum illa mixtura myrrhæ & aloes non tantum odoriferam, ſed & corruptionis præſeruatricem, quam Nicodemus in tam magna quantitate adduxerat, abūdanter vnxerunt, & per vulnus lateris non paruam quātitatē intra viſcera immiſerunt. Deinde in ſindone mūdiſſima, quam Ioſeph fuerat mercatus, vt noua eſſe cōſtaret, corpus inuoluentes ſudario caput ligarunt, ſicut Iudæis mos erat corpora defunctorum ſepelire. Quamuis autem ex fidei imperfectione proueniret, vt Ioſeph & Nicodemus ea medicamenta corruptionis præſeruatiua corpori Dominico adhiberent, tanquam eis indigeret, non adhuc intelligentes à Dauid prædictum eſ-

Pſal. 15. ſe in Chriſti perſona: *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.*] In eo tamen pio opere ſatis declararunt, tum quanto honore atq; veneratione dignum iudicarēt ſanctiſsimum illud corpus, tum etiam quo amore proſequerentur Chriſtum Dominum, quem viuentem dilexerant (licet occultè) cui mortuo publicè & audacter ea beneficia prꝗſtiterunt, quę ab amiciſsimis in amoris ſignum mor-

Eccl. 7. tuis ſolent impendi. *Gratia dati,* ait Sapiens, *in conſpectu omnis viuentis, & mortuo non prohibeas gratiam.*] quaſi dicens, quod beneficium gratuitum viuentibus collatū licet dignum ſit laude, quia tamen ab ipſis videtur, quibus impenditur, non tantam meretur laudem, quantam ea gratia, illudque beneficium, quod mortuo exhibetur, qui nec videre, nec rependere poteſt. Ideo vetula illa prudens Noemi Booz, & laudibus, & benedictionibus extulit, quia ob memoriā propinqui defuncti Ruth Moabitidem derelictam, & peregrinam fauorabiliter,

Ruth 2. & liberaliter tractauit. *Benedictus* (inquit Noemi) *ſit à Domino: quoniam eandem gratiam quam præbuerat viuis, ſeruauit & mortuis.*] Et ideo, vt ſanctus ait Auguſt.

Aug. de Ciu. Dei, l. 1. laudabiliter commemorantur in Euangelio, qui corpus Dñi de cruce acceptū, diligēter atq; honorificè tegendū ſepeliendumq; curarunt. Verè nāq; & nō minimæ dilectionis indiciū fuit, corpus illud mortuū quāto potuerunt honore ſepelire, quod viuum ab ipſiſmet ſacerdo-

rum principibus, & à plebe Iudaica militibusq́; gentilibus adeo fuit despectum, & tot affectum contumelijs, vsq; e ad summum opprobrium crucis.

Ad tria præcipua capita reducit D. Tho. Aquinas omnia ea, quę circa Dñi passionẽ se offerũt cõsideranda. Primò passionis qualitatẽ. Secundò passionis virtutẽ. Tertiò passionis vtilitatẽ. In passionis qualitate ea omnia cõprehenduntur, quæ Dñs Iesus pertulit, tũ opprobria & cõtumelias, tũ cruciat⁹ acerbissimos vsq; ad crucis mortẽ, tũ etiã interioris animi sui afflictiones & demum persequẽtium odium, & impia crudelitas. Passionis diuina virtus apparuit, & per exteriora signa manifestata est, quãdo sol fuit obscuratus & tenebrę vniuersã terrã occupauerunt: terra tremuit, petræ sunt scissæ, atq; monumẽta aperta. Virtutẽ ergò passionis Christi, ait D. Thom. cœlum clamat, terra prædicat, infernus nuntiat. Vltimo tandẽ ex Christi Dñi passione vtilitatẽ cõsecuti sunt cœlestes, terrestres & infernales. Et cœlestes quidẽ, quia reparati sunt, homines terrestres, quia de manu diaboli atq; peccatorum iugo liberati: & S. Patres, qui erãt in inferno inde extracti. Hæc breuiter atq; summatim angelicus doctor adnotauit, vt cõsiderationi latã materiã discurrẽdi præberet. Nos verò, qui de qualitate atq; virtute passionis in superioribus latè egimus, nunc aliqua de vtilitatibus, quas terrestres & in terra degẽtes ex Dñi passione percipere possum⁹, expẽdemus. Duæ præcipuè vtilitates seu cõmoda nobis, dum in hac vita degimus, ex Dñi passione ac morte excerpere licet. Et prima vtilitas quidẽ in eo cõsistit, vt vnusquisq; nostrum particeps fiat meritorum atq; satisfactionum, quas Dñs ipse per passionẽ atq; mortẽ suã nobis acquisiuit. Vt. n. sæpius inculcamus, adeo nostra intererat Christum pro nobis pati, q̃ si ipse passione ac morte sua vitam gratiæ debitãq́; peccatorũ satisfactionẽ nõ promereretur, nullis hominum quãuis iustissimorum operib. tãtus inerat valor, vt ex se vel culpæ maculã abstergere, vel plenariè diuinæ iustitię satisfacere valerent. Quare solus Dominus Iesus redẽptor propriè & verè nominatur, quia ipse solus suo sanguine, cruciatibus, passione, atq; morte effi-

D. Tho. serm. in Domin. Palmar.

efficaciter, atq; meritorie salutē nostram poterat operari, humaniq; generis debitum plene exoluere. Vnde ipsemet de se ipso dixit: *Quia venit dare animā suam redemptionē pro multis.*] & de sanguine suo loquens, *Qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Hoc tantū commodum, necessariamq; vtilitatem perfecte intelligentes sancti omnes, qui cœlesti gloria potiuntur (vt D. Ioanni Euang. in vigintiquatuor senioribus ostensū est) omnia gratiæ atq; gloriæ bona sibi concessa eidē Domino accepta referentes, & ob id coronas suas prostrati ante eius thronum mittentes, infinitas eidem agunt gratias dicentes: *Dignus es Domine accipere librum, & soluere signacula eius: quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo.*]

Aliam deinde vtilitatem non modicam, imo & summe necessariam à Domini passione percipiendā nobis declarat Diuus Petrus Apostolus inquiens: *Christus pro nobis passus est, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.*] Quæ virtutū exempla atq; Christianę vitæ documenta qui non amplectitur sibiq; imitanda proponit, fructum & vtilitatē redemptionis non consequetur. Cum igitur Christus Dominus non necessitate coactus, sed propria voluntate ductus se passioni & morti obtulerit, omniaq; ea, quæ seu viuus pertulit, seu post mortē circa illū peracta sunt, à diuino ipsius ordine processerint, recte creditur (sanctus ait August.) etiā significare aliud voluisse in singulis quibusq, factis, quę circa eius passionem gesta, & conscripta sunt.] Quamobrem omnia hæc quæ in corpore eius inuoluendo atq; sepeliendo contigerunt, cum diuinitus extiterint ordinata, documēta in nostram vtilitatem designant & virtutum exempla mystice significant, quibus ad bene viuendum instruimur: & ex quibus aliqua pro temporis opportunitate colligemus.

Primum documentum explicat nobis Diuus Thomas dicens, quod per hoc considerari potest paupertatis pro nobis susceptæ abundantia: quā tanti in vita fecit, vt gloriaretur se non habere locū proprium, vbi caput suum reclinaret. Huius igitur summæ paupertatis

rerum-

rerumq; terrenarum contemptus etiam post mortem exemplũ nobis exhibere volens, in alieno sepulchro reconditur, & nudus existens à Ioseph cooperitur: quia proprijs etiã vestibus fuit spoliatus, ne vel in eis inuolutus (vt miserrimis contingit) terrę mandaretur. Omnia ergo, quæ ad eum sepeliẽdum erant necessaria, à deuotis, & diuitibus illis duobus discipulis charitatiue tãq; egeno & extreme indigenti ei fuerunt exhibita. Magna in hoc exemplo præbetur consolationis occasio pauperibus in extremis miserijs constitutis, quippe qui comitem habeant eũ qui cum Dominus omniũ esset, summã voluit & viuus, & mortuus egestatẽ experiri: Quod D. Paulus expendit, pauperes Corinthiorum exhortans ne paupertatẽ nimis timerẽt, *Scitis*, inquit *gratiã Domini nostri Iesu Christi, quoniã propter nos egenus factus est, cum esset diues, vt illius inopia vos diuites essetis.*] Diuitibus etiã in Ioseph, & Nicodemo beneficentię datur exemplũ, qui cum diuites essent, quia facultates suas in paupere Iesu sepeliendo largiter expenderunt, magnas inde gratiæ diuitias, & redemptionis bona acquisierũt. In quo sensu interpretatur D. Aug. illa Isaiæ verba, *Dabit impios pro sepultura, & diuitẽ pro morte sua.* Diues, inquit ille, ab Arimathia Ioseph, qui petijt corpus Domini, vt sepeliret, sepeliuit pauperem, in quo diuitias requirebat spiritales gratię & sanctificationis: diuitias requirebãt Ioseph, & Nicodemus, has à Christo paupere receperũt abundantissime, qui pro nobis egenus factus est, vt inopia sua omnes ditarent: vterque enim ab Spiritu sancto ob Christi Domini merita perfectã fidẽ, atque charitatẽ accepit, & inter illos primos Christi Domini discipulos in principio nascẽtis Ecclesiæ sanctè atq; piè vixerunt. Beati igitur pauperes si sua sorte cõtenti, egestatem & paupertatis miserias sponte ferunt: quippe quibus & in vita, & in morte se sociũ adhibuit ditissimus Deus, & omnium Dñs, egenus factus, pauper & inops, vt pauperes suos diuinis atq; æternis bonis repleret. Beati etiam poterunt esse huius sæculi diuites, si diuitijs, quibus affluunt, cor non apponentes, neque in incerto diuitiarum spem collocãtes, eas cum Christo

2. Cor. 8

Isa. 53.

Aug. homil. 30.

Domino in suis pauperibus paupere charitatiue expenderint. Quos ita admonendos esse Diuus Paulus Timotheum instruens ait: *Bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendat vitā æternā.*

Aliud deducitur vitæ documentum ex consideratione causæ ob quam Christus Dominus voluit sacratissimum corpus suum dum viueret despici, cōtemni & in passione vilissime tractari, at illud ipsum post mortem tanta veneratione, & honore sepeliri. Quod vt latius expendamus, omissis cruciatibus, & doloribus de quibus multis egimus, breuiter attingamus opprobria, & contumelias quibus statim à comprehensione in horto seipsum tradidit despiciendum à vilissimis. & abiectissimis hominibus. Completa oratione in horto, cognoscens iam prope esse ministros Iudæorum ad eum comprehendendum missos cum laternis, & facibus & armis proditorem Iudam sequentes, ipse obuiam processit, seque comprehendendum obtulit. Vt autem intelligeretur grauem sibi illatam contumeliam in ea comprehensione nocturna, & cum tanto strepitu, dixit: *Tāquam ad latronem existis cum gladijs & fustibus comprehendere me.* Statim autem atque illis permisit, vt manus in corpus suum inijcerent, illum veluti infamissimum & nequissimum latronem omnibusque odibilem funibus in manus atque collum iniectis strictè ligauerunt, quibus raptatus, pedibus, pugnis, fustibusque impulsus, & in terram sæpius deiectus vsque ad ciuitatem cum magnis clamoribus fuit pertractus. Et primo quidem Annæ pontifici, vt de capta tam diu desiderata præda lætaretur deductus, deinde summo Pontifici Caiphæ præsentatus, cum de doctrina sua interrogaretur, & veritatem summa cum modestia exponeret, à vili ministro satis infamem accepit: quam contumeliam omnes illi sathanæ ministri cachinnis & irrisionibus celebrātes, multa in Dominum Iesum euomuerunt tum iniuriosa verba, blasphemias, falsa crimina, tum etiam sputa, & quamplurimas alias alapas. A Pontificis præsentia amotus & in inferiorem domum abiectam delatus,

mirum est quot ibi opprobria à vilissimis seruis, & ministris per illā noctis partē pertulerit: quæ S. Lucas ita summatim perstringit: *Et viri, qui tenebāt illū illudebāt ei, cædentes. Et velauerunt faciē eius, & interrogauerunt eū dicētes: Prophetiza: Quis est qui te percussit; & alia multa blasphemantes dicebant in eum.* Omnibus ijs opprobrijs ipsemet corpus suū exposuit sicuti ab Ieremia erat prædictum: *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobrijs.*] Summo mane ad Pilatum ductus, inde ab eo ad Herodem missus, ibique coram positus ab ipso Herode cum omni exercitu suo veste alba, veluti parasitus, fuit illusus & spretus. Ad Pilatum reductus eius iussu flagellis cæsus, quæ pœna non nisi seruis vilibus, & infamibus latronib. poterat irrogari; quare Romani ciues ab illa, veluti hominibus liberis indigna, erant immunes. Hāc grauē contumeliā grauior alia subsecuta est, quādo in opprobriū atq; derisum Regij nominis spinis fuit coronatus, chlamyde coccinea attrita & vili indutus, positaq; arūdine in manu cohorte vniuersa cōuocata derisoriè Rex saltutatus mille opprobrijs fuit affectus, cōsputus, alapis cęsus arūdine percussus vt ipse per Isaiā pręedixit: *Corpus meū dedit percutiētibus, & genas meas velletibus; faciē meā nō auerti ab increpātib. & cōspuētib. in me.* Thren. 3. Isa. 50.

Deinde ipse corpus suum supposuit ligno crucis, non tantum graui sed & infami, quod Diui Ioannis verba declarant: *Et baiulans sibi crucem exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ locus.* vt suo loco diximus: Vltimo tandem corpus suum crucifigendū inter latrones tradidit, tanquam illorum dux, & in loco infami cruciatorum, vbi & à sacerdotibus vniuersoque populo, & à militib. atq; latrone simul pendente innumeras audiuit cōtumelias, irrisiones, blasphemias: Quas præuidens Isaias dixit se vidisse eum despectum & nouissimum virorū.] Vt verò aliqua ex parte intelligerent homines quantum se abiecerit Redemptor noster cum se tradidit tam in fine contemnendum, inter alia quæ per os Dauid de sua passione prædixit, ita inquit: *Ego autem sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.* ac si dicat: Ita me despicient, & adeo nihili facient, atque si non essem homo eiusdem naturæ humanæ, Ioa. 19.

sed despectus terræ vermiculus, qui veluti nihil habetur & reputatur. Duo autem illa quæ sequuntur, inexplicabilem declarant cōtemptum: namq; Opprobriū hominum illud dicitur quod magnopere homines abominantur, quia ita infame, & vile existit vt vnicuique homini pudori sit & dedecori tali nota insigniri: Abiectio autem plebis illud dici potest, quod à vili etiam plebecula despicitur, & ita contemnitur, vt neq; pedibus cōculcari, neque oculis conspici dignum æstimetur.

Ad hanc extremum opprobriorum terminum deuenit Vnigenitus Dei homo factus, dum inter homines viueret, ijs contumelijs se tradidit despiciendum in passione sua vsque ad vltimum vitæ halitum. Verum illico atq; spiritum emisit, & corpus in cruce remansit vita humana nō autem diuinitate priuatum, nihil deinceps in illud inimici potuerunt facere quod in opprobrium cederet. Cogitauerunt Iudæi ita Christum Dominum de terra viuentium eradicare, vt nomen eius amplius non memoraretur: quare Pilatum adierunt, postulantes vt illius, & Latronum crura frangerentur, corporaq; simul deponerentur, veluti maledicta, & ibi inter cætera damnatorum cadauera sepelirentur. At nihil efficere potuerunt, quia milites cum Christum mortuum vidissent, eius crura non fregerunt, ille vero miles, qui lancea latus percussit (siue id odio fecerit siue vt de morte certior fieret) id in maiorem gloriam sanctissimi corporis cessit: namque sanguis ille, & aqua, qui continuo per apertum latus exierunt, in terra testimonium dederunt, non solum de veritate humanitatis susceptæ, sed & potius de diuinitate cui corpus illud erat vnitum: vt sanctus ait Euangelista Ioannes: *Tres sunt qui testimonium*
1. Ioa. 5. *dant in terra. spiritus, aqua, & sanguis.*] Neq; itidem potuerunt Iudæi impedire quin Ioseph & Nicodemus palam, & tanto cum honore corpus Domini Iesu sepelirent. A morte igitur cœpit gloria, cultus, & veneratio illius corporis, super quod opprobria exprobrantium in vita magno impetu ceciderunt.

Ex ijs omnibus instruimur & edocemur, vanos & caducos huius vitæ honores parui pendere, ad illos autem

totis viribus niti, qui post mortem possidentur, ad quos per opprobria, & contumelias pro Domini amore perpessas in hac vita recta ducimur. *Humiliauit semetipsum Dominus noster Iesus Christus* (dux noster, & exemplar nobis ad imitandum propositum) *factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum & donauit illi nomen, quod est super omne nomen.*] Ille igitur, qui vsque ad abiectissimam crucis mortem se humiliauit, corpus suum tot tradidit opprobrijs despiciẽdum, ab ipsa morte gloriosus cœpit apparere, gloria, & honore decorari, vt nobis hanc securam ad æternam vitam esse viam ostenderet, per quam ipse prius ambulauit; & de qua post resurrectionem dixit: *Nonne hæc oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriã suam.*] Quicunque igitur Dominum Iesum à vilissimis despectũ, opprobria, irrisiones, vituperia, & blasphemias vsque ad mortem tolerantem sequi studuerit, & quæ sibi fuerint iniuriæ illatæ, eius exemplo, & pro eius honore perferre non detrectauerit, summa confidentia ipsius gloriæ participationem poterit expectare. In exemplis sanctorum Patrum eremum incolentium continetur, fuisse senem quendam sanctitate insignem, qui discipulum habebat iuuenem: erat autem iuuenis ille in sanctum senem adeo austerus, iracundus, & insolens, vt non tantum verbis contumeliosis eum lacesseret, & opprobrijs afficeret, sed & alapis atque pugnis sæpe cæderet: quæ omnia senex ille patientissime tolerabat: cumque à multis admoneretur, vt iuuenem illum à se dimitteret, nequaquam acquieuit, sed vsque ad mortem secũ retinuit. Appropinquãte igitur sui exitus hora, cõuenerunt ad eum alij religiosi Patres, & monachi, in quorum præsentia discipulum illum ad se vocans strictissime est amplexatus, deinde manus eius sæpe sæpius deosculans dicebat: Benedictæ manus eæ, à quibus multis in facie sum alapis cæsus, quæ mihi modo securissimam præbẽt faciem Dei mei videndi: benedicta labia, quæ in me multa contumeliosa verba protulerunt, propter quæ fiducialiter expecto ad æternos gloriæ honores me fore vocandum: inter quæ verba spiritum Domino reddidit

Ecce

Phil. 2.

Ecce charissimi quænã bona consequantur ij, qui humillimi Iesu & exemplum, & doctrinã amplectentes cum eo in hac breui vita opprobria, & contumelia perferũt, quibus post mortẽ honores sempiterni reseruãtur.

Ferens mixturã myrrhæ, & aloes quasi libras centum.] Hinc etiã ad nostrã eruditionem eliciunt D. August. eumq; secutus D. Thomas satis necessariũ documentũ. 3.p.q.51. Myrrha enim & aloes propter sui amaritudinẽ significant pœnitentiã, per quã aliquis in se ipso Christũ conseruat absq; corruptione peccati: Quod idem Diuus Thomas alijs verbis in S. Ioannis Euangeliũ declarat dicens: Mysticè datur intelligi quod Christum crucifixum debemus in corde nostro recondere cum amaritudine pœnitentiæ & cõpunctionis.] Sicut enim per myrræ amaritudinem corpora defunctorũ incorrupta conseruãtur, sic per pœnitentię atq; cõpunctionis afflictionem Christus pro nobis crucifixus, in nobis & viuit, & conseruatur. In illa vero magna quantitate centum librarum significatur non sufficere quẽcumq; paruum dolorem breuẽq; animæ amaritudinẽ ad vulnera peccatorum condienda, sed eã quã Ezechias habuit, quando dixit: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.*] Quam etiam Dauid habere se dixit: *Laboraui*, inquiens, *in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectũ meum, & lachrymis meis stratũ meum rigabo.*] Ecce quænã est illa myrrhæ, & aloes amarissima mixtura, quibus vngitur vulneratum corpus Domini, in cuius vulneribus peccatorum nostrorum vulnera sunt deploranda, & summa cordis compunctione vsq; ad mortem deflenda. Talis fuit D. Petri pœnitentia simulatq; in se reuersus grauia animæ vulnera conspexit, *Egressus* nãque *foras fleuit amare.*] non tantum vsq; ad Domini resurrectionẽ, sed quoad vixit (vt D. Clemens de eo narrat) ad omnẽ gallorum cantum ita amare flebat, vt amarissimæ lachrymæ faciẽ rigantes nimia caliditate & amaritudine sulcos in genis aperirent. Quid enim vniuscuiusq; peccatoris animum in admissorum scelerum compunctionem intimumque dolorem plus potest excitare, quam attenta consideratione in Christum

D.Th.in Ioan.ca. 19.lect.6.

Isa.38. Psal.6.

vni-

vnigenitum Dei pro ipsismet peccatis crucifixum, & mortuum oculos figere. Incidisti forte in via in occisum hominem crudelissime sauciatum,& multis vulneribus confossum,cogitas quænam fuerit causa, cum ab inimicis tã fœde extiterit vulneratus. Vides hominem Christum occisum, & adeo vulneratum,vt à planta pedis vsque ad verticem capitis non sit in eo sanitas, sed vulnus, & plaga tumens;si causam crudelis occisionis inquisieris, audies Pilatum iudicem dicentem: *Non inuenio in eo causam mortis.*] Quare te ipsum interroga, & in te omnium deformium vulnerum causam reperies. Namq; ob nostram mentis vanam elationem ipsius caput fuit transfixum:propter iniquam, & iniustã dignitatem & officiorum administrationẽ humeri à pondere crucis fuerunt attriti: propter impia opera,gressusq́ue deprauatos & distortos manus, & pedes sunt cõfixæ: corpus vndiq; flagellis cæsum ob nimiam corporis curam, effrænatasq́; voluptates: pectus deniq; apertum propter impias & occultas cordium nostrorum cogitationes. Hæ fuerunt causæ, ob quas innocens Dominus fuit crudelissime occisus:quas si peccator secum expenderit, satis duro erit corde, si inde non compungatur, & in odium peccatorum excitetur. Laudat Diuus Basilius canum summam gratitudinem circa educatores & dominos, quorum aliqui adeo fideles, & grati dominis extitere, vt cum per insidias noctu occisos conspicerent, occisoresq; veluti nullos haberent testes, palam, & secure ambulantes, eos persequerentur quoadusq; à ministris iustitiæ comprehensi morte multarentur. si igitur euidentissime nobis constat Creatorem nostrum Dominum, & pijssimum benefactorem Christum Iesum propter scelera nostra fuisse percussum, vulneratum, atque occisum, cur non persequemur odio eadẽ ipsa peccata? cur illa non deflemus amarissimè? cur hac myrrha pœnitentiæ & compunctionis corpus ipsum Domini eiusque vulnera non perungimus? ne ingratitudinis infamiam subeamus? Basil. in Hexam.

Acceperunt ergo corpus Iesu, & ligauerunt illud linteis cum Ioa.

matris brachijs & manibus tradiderunt, quæ licet acerbissimis doloribus esset saucia, nihil tamen indecorum aut dixit, aut fecit, sed cōstanti atq; forti animo summam tranquillitatem in vultu repræsentans, corpus deforme, vulneribus vndiq; plenum, sputis fœdatum, sanguine coagulato conspersum intra ipsa brachia atque sinu excepit, vbi pulcherrimum sæpe portauerat. Ibi vltimum vale faciens sæpius amplexata, os ad os felle & aceto amaricatum apponens, extrema impresit oscula: deinde vulnus lateris exosculans in pectus illud ingredi, & sibi sepeliri, si posibile foret, peroptabat. Hæc autem celeriter peregit, quia dies ad occasum vergebat: tunc adiuuantibus cæteris corpus lachrymis lauare cœperunt, ipsa nimirum mater sacrum caput, ac pulcherrimam faciē sanguine & sputis conspurcatam multis effusis lachrymis mundauit: dilectus discipulus pectus lauandum suscepit, in quo tam suauiter in cœna recubuerat; Maria Magdalena pedibus illis assueta, ex quibus tot sibi bona prouenerāt, eos vulneratos lachrymis iterū rigauit, & capillis capitis sui tersit, vt reliquias sanguinis sui pretiosissimi in illis colligeret: reliquæ etiam sanctæ mulieres, deuotiq; illi discipuli pro ut quisq; poterat piū hoc primū peregerunt officiū vulnera vndiq; abstergentes.

Inter cæteras aquilæ proprietates, de quibus Dominus ad Iob loquitur, hæ continentur: *Pulli eius lambunt sanguinem, & vbicunq; cadauer fuerit, statim adest.*] Ad quæ vltima verba respexisse videtur Christus Dominus in illis verbis de quibus supra egimus, scilicet vbicunq; fuerit corpus, statim cōgregabuntur & aquilæ: quod de Christo crucifixo esse intelligendum cum multis ex Patribus ostēdimus. D. igitur Gregorius hæc Iob verba ad eundem sensum explicans, differentiam asignat inter aquilam, & eius pullos. Per aquilam namq; eas animas intelligit quæ licet in Dominicæ pasionis meditatione exerceantur, & Iesu crucifixo adhæreant: inde tamen ad diuinitatis contemplationem eleuantur: & ex quodammodo pascūtur. Pulli verò infirmiores sunt animæ quæ diuinitatis abscōdita arcana minus valēt penetrare, quæ tamē cognito crucifixi Domini cruore satiātur: de quibus

Iob 39.

Gregor. mora. 31.

bus dicit: *Et pulli eius lãbunt sanguinẽ.* Sãguinem namq; lãbere, ait Greg. est pasſionis Domini infima venerari.

Te igitur, Deipara Virgo, aquilã extitiſſe cõfitemur, quia licet lacerum filij tui corpus atq; defœdatum ante oculos haberes, mente tamẽ in altum eleuata latentem diuinitatem adorabas, & licet mortuũ filium vti mater deflebas, de reſurrectione tamẽ ſecura eius gloriã aquilinis fidei oculis à longè aſpiciebas. At Ioſeph, Nicodemus, dilectus diſcipulus, ſanctæq; mulieres, Pulli erant, quia quamuis Chriſtum mortuum ſummo affectu diligerent, non tamen adhuc abſcondita diuinitatis myſteria perfectè cognouerant. Quare pretioſiſsimum lambentes ſanguinem non à corpore tantum, ſed etiam ab ipſis Caluarij rupibus, & à cruce colligebãt. Et nos ergo inter hos pullos numera ſanctiſsima mater & Aquila regalis, ipſumq; filium pro nobis mortuum deprecare, vt ſi ob propriam infirmitatem ad altiora diuinitatis myſteria aſcendere tecum non valemus, amore ſaltem atq; compaſsione infirma paſsionis eius imitemur, illisq; adhæreamus: vt hunc pretij noſtri ſanguinẽ ſicut Aquilæ pulli lambentes per illum peccatorũ remiſsionem, redemptionis gratiã & miſericordiam conſequamur: Præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum Patre, & Spiritu ſancto regnat in æternum, Amen.

DE EADEM Paſſione.

SERMO DECIMVSOCTAVVS.

Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Ieſum nocte primum ferẽs mixturam myrrha, & aloes, quaſi libras centum. Acceperunt ergo corpus Ieſu, & ligauerũt illud linteis cũ aromatibus. Ioan. 19.

DEpoſito de cruce Domini Ieſu corpore, & in gremio pijſſimæ matris lachrymis abluto, atq; ab ſputis, & coagulato ſanguine mũdato, (vt ſuperiori ſermone dictum eſt) Ioſeph

 & Ni-

& Nicodemus illud supra lapidem montis Caluarij (qu
vsq; hodie extat) collocarunt. Vbi primum omnia vul-
nera cum illa mixtura myrrhæ & aloes non tantum o-
doriferam, sed & corruptionis præseruatricem, quam
Nicodemus in tam magna quantitate adduxerat, abū-
danter vnxerunt, & per vulnus lateris non paruam quā-
titatē intra viscera immiserunt. Deinde in sindone mū-
dissima, quam Ioseph fuerat mercatus, vt noua esse cō-
staret, corpus inuoluentes sudario caput ligarunt, sicut
Iudæis mos erat corpora defunctorum sepelire. Quam-
uis autem ex fidei imperfectione proueniret, vt Ioseph
& Nicodemus ea medicamenta corruptionis præser-
uatiua corpori Dominico adhiberent, tanquam eis in-
digeret, non adhuc intelligentes à Dauid prædictum es-
Psal. 15. se in Christi persona: *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.*] In
eo tamen pio opere satis declararunt, tum quanto ho-
nore atq; veneratione dignum iudicarēt sanctissimum
illud corpus, tum etiam quo amore prosequerentur
Christum Dominum, quem viuentem dilexerant (licet
occultè) cui mortuo publicè & audacter ea beneficia
prǽstiterunt, quę ab amicissimis in amoris signum mor-
Eccl. 7. tuis solent impendi. *Gratia dati*, ait Sapiens, *in conspectu omnis viuentis, & mortuo non prohibeas gratiam.*] quasi
dicens, quod beneficium gratuitum viuentibus collatū
licet dignum sit laude, quia tamen ab ipsis videtur, qui-
bus impenditur, non tantam meretur laudem, quantam
ea gratia, illudque beneficium, quod mortuo exhi-
betur, qui nec videre, nec rependere potest. Ideo vetula
illa prudens Noemi Booz, & laudibus, & benedictioni-
bus extulit, quia ob memoriā propinqui defuncti Ruth
Moabitidem derelictam, & peregrinam fauorabiliter,
Ruth 2. & liberaliter tractauit. *Benedictus* (inquit Noemi) *sit à Domino: quoniam eandem gratiam quam præbuerat viuis, seruauit & mortuis.*] Et ideo, vt sanctus ait Augus.
Aug. de Ciu. Dei, l. 1. laudabiliter commemorantur in Euangelio, qui corpus
Dñi de cruce acceptū, diligēter atq; honorificè tegendū
sepeliendumq; curarunt. Verè nāq; & nō minimæ dile-
ctionis indiciū fuit, corpus illud mortuū quāto potue-
runt honore sepelire, quod viuum ab ipsismet sacerdo-

rum principibus,& à plebe Iudaica militibusq; gentilibus adeo fuit despectum, & tot affectum contumelijs, vsque ad summum opprobrium crucis.

Ad tria præcipua capita reducit D. Tho. Aquinas omnia ea, quę circa Dñi passionē se offerūt cōsideranda. Primò passionis qualitatē. Secundò passionis virtutē. Tertiò passionis vtilitatē. In passionis qualitate ea omnia cōprehenduntur, quæ Dñs Iesus pertulit, tū opprobria & cōtumelias, tū cruciat⁹ acerbissimos vsq; ad crucis mortē, tū etiā interioris animi sui afflictiones & demum persequētium odium, & impia crudelitas. Passionis diuinę virtus apparuit, & per exteriora signa manifestata est, quādo sol fuit obscuratus & tenebrę vniuersā terrā occupauerunt: terra tremuit, petræ sunt scissæ, atq; monumēta aperta. Virtutē ergò passionis Christi, ait D. Thom. cœlum clamat, terra prædicat, infernus nuntiat. Vltimo tandē ex Christi Dñi passione vtilitatē cōsecuti sunt cœlestes, terrestres & infernales. Et cœlestes quidē, quia reparati sunt, homines terrestres, quia de manu diaboli atq; peccatorum iugo liberati: & S. Patres, qui erāt in inferno inde extracti. Hæc breuiter atq; summatim angelicus doctor adnotauit vt cōsiderationi latā materiā discurrēdi præberet. Nos verò, qui de qualitate atq; virtute passionis in superioribus latè egimus, nunc aliqua de vtilitatibus, quas terrestres & in terra degētes ex Dñi passione percipere possum⁹, expēdemus. Duæ præcipuè vtilitates seu cōmoda nobis, dum in hac vita degimus, ex Dñi passione ac morte excerpere licet. Et prima vtilitas quidē in eo cōsistit, vt vnusquisq; nostrum particeps fiat meritorum atq; satisfactionum, quas Dñs ipse per passionē atq; mortē suā nobis acquisiuit. Vt .n. sæpius inculcamus, adeo nostra intererat Christum pro nobis pati, qꝫ si ipse passione ac morte sua vitam gratiæ debitāq; peccatorū satisfactionē nō promereretur, nullis hominum quāuis iustissimorum operib. tātus inerat valor, vt ex se vel culpæ maculā abstergere, vel plenariè diuinæ iustitię satisfacere valerent. Quare solus Dominus Iesus redēptor propriè & verè nominatur, quia ipse solus suo sanguine, cruciatibus, passione, atq; morte

D. Tho. serm. in Domin. Palmar.

efficaciter, atq; meritorie ſalutẽ noſtram poterat operari, humaniq; generis debitum plene exoluere. Vnde ipſemet de ſe ipſo dixit: *Quia venit dare animã ſuam redemptionẽ pro multis.*] & de ſanguine ſuo loquens, *Qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Hoc tantũ commodum, neceſſariamq; vtilitatem perfecte intelligentes ſancti omnes, qui cœleſti gloria potiuntur (vt D. Ioanni Euang. in vigintiquatuor ſenioribus oſtensũ eſt) omnia gratiæ atq; gloriæ bona ſibi conceſſa eidẽ Domino accepta referentes, & ob id coronas ſuas proſtrati ante eius thronum mittentes, infinitas eidem agunt gratias dicentes: *Dignus es Domine accipere librum, & ſoluere ſignacula eius: quoniam occiſus es, & redemiſti nos Deo in ſanguine tuo.*]

Aliam deinde vtilitatem non modicam, imo & ſumme neceſſariam à Domini paſſione percipiendã nobis declarat Diuus Petrus Apoſtolus inquiens: *Chriſtus pro nobis paſſus eſt, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius.*] Quæ virtutũ exempla atq; Chriſtianę vitæ documenta qui non amplectitur ſibiq; imitanda proponit, fructum & vtilitatẽ redemptionis non conſequetur. Cum igitur Chriſtus Dominus non neceſſitate coactus, ſed propria voluntate ductus ſe paſſioni & morti obtulerit, omniáq; ea, quæ ſeu viuus pertulit, ſeu poſt mortẽ circa illũ peracta ſunt, à diuino ipſius ordine proceſſerint, recte creditur (ſanctus ait Auguſt.) etiã ſignificare aliud voluiſſe in ſingulis quibusq, factis. quę circa eius paſſionem geſta, & conſcripta ſunt.] Quamobrem omnia hæc quæ in corpore eius inuoluendo atq; ſepeliendo contigerunt, cum diuinitus extiterint ordinata, documẽta in noſtram vtilitatem deſignant & virtutum exempla myſtice ſignificant, quibus ad bene viuendum inſtruimur: & ex quibus aliqua pro temporis opportunitate colligemus.

Primum documentum explicat nobis Diuus Thomas dicens, quod per hoc conſiderari poteſt paupertatis pro nobis ſuſceptæ abundantia: quã tanti in vita fecit, vt gloriaretur ſe non habere locũ proprium, vbi caput ſuum reclinaret. Huius igitur ſummæ paupertatis

rerum-

rerumq; terrenarum contemptus etiam post mortem exemplũ nobis exhibere volens, in alieno sepulchro reconditur, & nudus existens à Ioseph cooperitur: quia proprijs etiã vestibus fuit spoliatus, ne vel in eis inuolutus (vt miserrimis contingit) terrę mandaretur. Omnia ergo, quæ ad eum sepeliẽdum erant necessaria, à deuotis, & diuitibus illis duobus discipulis charitatiue tãq; egeno & extreme indigenti ei fuerunt exhibita. Magna in hoc exemplo præbetur consolationis occasio pauperibus in extremis miserijs constitutis, quippe qui comitem habeant eũ qui cum Dominus omniũ esset, summã voluit & viuus, & mortuus egestatẽ experiri: Quod D. Paulus expendit, pauperes Corinthiorum exhortans ne paupertatẽ nimis timerẽt, *Scitis*, inquit *gratiã Domini nostri Iesu Christi, quoniã propter nos egenus factus est, cum esset diues, vt illius inopia vos diuites essetis.*] Diuitibus etiã in Ioseph, & Nicodemo beneficentię datur exemplũ, qui cum diuites essent, quia facultates suas in paupere Iesu sepeliendo largiter expenderunt, magnas inde gratiæ diuitias, & redemptionis bona acquisierũt. In quo sensu interpretatur D. Aug. illa Isaiæ verba, *Dabit impios pro sepultura, & diuitẽ pro morte sua.* Diues, inquit ille, ab Arimathia Ioseph, qui petijt corpus Domini, vt sepeliret, sepeliuit pauperem, in quo diuitias requirebat spiritales gratię & sanctificationis: diuitias requirebãt Ioseph, & Nicodemus, has à Christo paupere receperũt abundantissime, qui pro nobis egenus factus est, vt inopia sua omnes ditarent: vterque enim ab Spiritu sancto ob Christi Domini merita perfectã fidẽ, atque charitatẽ accepit, & inter illos primos Christi Domini discipulos in principio nascẽtis Ecclesiæ sanctè atq; piè vixerunt. Beati igitur pauperes si sua sorte cõtenti, egestatem & paupertatis miserias sponte ferunt: quippe quibus & in vita, & in morte se sociũ adhibuit ditissimus Deus, & omnium Dñs, egenus factus, pauper & inops, vt pauperes suos diuinis atq; æternis bonis repleret. Beati etiam poterunt esse huius sæculi diuites, si diuitijs, quibus affluunt, cor non apponentes, neque in incerto diuitiarum spem collocãtes, eas cum Christo

2. Cor. 8.

Isa. 53.

Aug. homil. 36.

Domino in suis pauperibus paupere charitatiue expẽderint. Quos ita admonendos esse Diuus Paulus Timotheum instruens ait: *Bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendat vitã æternã.*

Aliud deducitur vitæ documentum ex consideratione causæ ob quam Christus Dominus voluit sacratissimum corpus suum dum viueret despici, cõtemni & in passione vilissime tractari, at illud ipsum post mortem tanta veneratione, & honore sepeliri. Quod vt latius expendamus, omissis cruciatibus, & doloribus de quibus multis egimus, breuiter attingamus opprobria, & contumelias quibus statim à comprehensione in horto seipsum tradidit despiciendum à vilissimis & abiectissimis hominibus. Completa oratione in horto, cognoscens iam prope esse ministros Iudæorum ad eum comprehendendum missos cum laternis, & facibus & armis proditorem Iudam sequentes, ipse obuiam processit, seque comprehendendum obtulit. Vt autem intelligeretur grauem sibi illatam contumeliam in ea comprehensione nocturna, & cum tanto strepitu, dixit: *Tãquam ad latronem existis cum gladijs & fustibus comprehendere me.* Statim autem atque illis permisit, vt manus in corpus suum inijcerent, illum veluti infamissimum & nequissimum latronem omnibusque odibilem funibus in manus atque collum iniectis strictè ligauerunt, quibus raptatus, pedibus, pugnis, fustibusque impulsus, & in terram sæpius deiectus vsque ad ciuitatem cum magnis clamoribus fuit pertractus. Et primo quidem Annæ pontifici, vt de capta tam diu desiderata præda lætaretur deductus, deinde summo Pontifici Caiphæ præsentatus, cum de doctrina sua interrogaretur, & veritatem summa cum modestia exponeret, à vili ministro satis infamem accepit: quam contumeliam omnes illi sathanæ ministri cachinnis & irrisionibus celebrãtes, multa in Dominum Iesum euomuerunt tum iniuriosa verba, blasphemias, falsa crimina, tum etiam sputa, & quamplurimas alias alapas. A Pontificis præsentia amotus & in inferiorem domum abiectam delatus,

mitum

mirum est quot ibi opprobria à vilissimis seruis, & ministris per illā noctis partē pertulerit: quæ S. Lucas ita summatim perstringit: *Et viri, qui tenebāt illū illudebāt ei, cædentes. Et velauerunt faciē eius, & interrogauerunt eū dicētes: Prophetiza: Quis est qui te percussit; & alia multa blasphemantes dicebant in eum.* Omnibus ijs opprobrijs ipsemet corpus suū exposuit sicuti ab Ieremia erat prædictum: *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobrijs.*] Summo mane ad Pilatum ductus, inde ab eo ad Herodem missus, ibique coram positus ab ipso Herode cum omni exercitu suo veste alba, veluti parasitus, fuit illusus & spretus. Ad Pilatum reducēns eius iussu flagellis cæsus, quæ pœna non nisi seruis vilibus, & infamibus latronib. poterat irrogari; quare Romani ciues ab illa, veluti hominibus liberis indigna, erant immunes. Hāc grauē contumeliā grauior alia subsecuta est, quādo in opprobriū atq; derisum Regij nominis spinis fuit coronatus, chlamyde coccinea attrita & vili indutus, positaq; arūdine in manu cohorte vniuersa cōuocata derisoriè Rex saltutatus mille opprobrijs fuit affectus, cōsputus, alapis cęsus arūdine percussus vt ipse per Isaiā prędixit: *Corpus meū dedit percutiētibus, & genas meas vellētibus; faciē meā nō auerti ab increpātib. & cōspuētib. in me.* Thren. 3 / Isa. 50

Deinde ipse corpus suum supposuit ligno crucis, non tantum graui sed & infami, quod Diui Ioannis verba declarant: *Et baiulans sibi crucem exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ locus.* vt suo loco diximus: Vltimo tandem corpus suum crucifigendū inter latrones tradidit, tanquam illorum dux, & in loco infami cruciatorum, vbi & à sacerdotibus vniuersoque populo, & à militib. atq; latrone simul pendente innumeras audiuit cōtumelias, irrisiones, blasphemias: Quas præuidens Isaias dixit se vidisse eum despectum & nouissimum virorū.] Vt verò aliqua ex parte intelligerent homines quantum se abiecerit Redemptor noster cum se tradidit tam in fine contemnendum, inter alia quæ per os Dauid de sua passione prædixit, ita inquit: *Ego autem sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.* ac si dicat: Ita me despicient, & adeo nihili facient, atque si non essem homo eiusdem naturæ humanæ, Ioa. 19

sed despectus terræ vermiculus, qui veluti nihil habetur & reputatur. Duo autem illa quæ sequuntur, inexplicabilem declarant cõtemptum: namq; Opprobriũ hominum illud dicitur quod magnopere homines abominantur, quia ita infame, & vile existit vt vnicuique homini pudori sit & dedecori tali nota insigniri: Abiectio autem plebis illud dici potest, quod à vili etiam plebecula despicitur, & ita contemnitur, vt neq; pedibus cõculcari, neque oculis conspici dignum æstimetur.

Ad hanc extremum opprobriorum terminum deuenit Vnigenitus Dei homo factus, dum inter homines viueret, ijs contumelijs se tradidit despiciendum in passione sua vsque ad vltimum vitæ halitum. Verum illico atq; spiritum emisit, & corpus in cruce remansit vita humana nõ autem diuinitate priuatum, nihil deinceps in illud inimici potuerunt facere quod in opprobrium cederet. Cogitauerunt Iudæi ita Christum Dominum de terra viuentium eradicare, vt nomen eius amplius non memoraretur: quare Pilatum adierunt, postulantes vt illius, & Latronum crura frangerentur, corporaq; simul deponerentur, veluti maledicta, & ibi inter cætera damnatorum cadauera sepelirentur. At nihil efficere potuerunt, quia milites cum Christum mortuum vidissent, eius crura non fregerunt, ille vero miles, qui lancea latus percussit (siue id odio fecerit siue vt de morte certior fieret) id in maiorem gloriam sanctissimi corporis cessit: namque sanguis ille, & aqua, qui continuo per apertum latus exierunt, in terra testimonium dederunt, non solum de veritate humanitatis susceptæ, sed & potius de diuinitate cui corpus illud erat vnitum: vt sanctus ait Euangelista Ioannes: *Tres sunt qui testimonium*
Ioa. 5. *dant in terra spiritus, aqua, & sanguis.*] Neq; itidem potuerunt Iudei impedire quin Ioseph & Nicodemus palam, & tanto cum honore corpus Domini Iesu sepelirent. A morte igitur cœpit gloria, cultus, & veneratio illius corporis, super quod opprobria exprobrantium in vita magno impetu ceciderunt.

Ex ijs omnibus instruimur & edocemur, vanos & caducos huius vitæ honores parui pendere, ad illos autem

totis

totis viribus niti, qui post mortem possidentur, ad quos per opprobria, & contumelias pro Domini amore perpessas in hac vita recta ducimur. *Humiliauit semetipsum Dominus noster Iesus Christus* (dux noster, & exemplar nobis ad imitandum propositum) *factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum & donauit illi nomen, quod est super omne nomen.*] Ille igitur, qui vsque ad abiectissimam crucis mortem se humiliauit, corpus suum tot tradidit opprobrijs despiciẽdum, ab ipsa morte gloriosus cœpit apparere, gloria, & honore decorari, vt nobis hanc securam ad æternam vitam esse viam ostenderet, per quam ipse prius ambulauit; & de qua post resurrectionem dixit: *Nonne hæc oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriã suam.*] Quicunque igitur Dominum Iesum à vilissimis despectũ, opprobria, irrisiones, vituperia, & blasphemias vsque ad mortem tolerantem sequi studuerit, & quæ sibi fuerint iniuriæ illatæ, eius exemplo, & pro eius honore perferre non detrectauerit, summa confidentia ipsius gloriæ participationem poterit expectare. In exemplis sanctorum Patrum eremum incolentium continetur, fuisse senem quendam sanctitate insignem, qui discipulum habebat iuuenem: erat autem iuuenis ille in sanctum senem adeo austerus, iracundus, & insolens, vt non tantum verbis contumeliosis eum lacesseret, & opprobrijs afficeret, sed & alapis atque pugnis sæpe cæderet: quæ omnia senex ille patientissime tolerabat: cumque à multis admoneretur, vt iuuenem illum à se dimitteret, nequaquam acquieuit, sed vsque ad mortem secũ retinuit. Appropinquãte igitur sui exitus hora, cõuenerunt ad eum alij religiosi Patres, & monachi, in quorum præsentia discipulum illum ad se vocans strictissime est amplexatus, deinde manus eius sæpe sæpius deosculans dicebat: Benedictæ manus eæ, à quibus multis in facie sum alapis cæsus, quæ mihi modo securissimam præbẽt faciem Dei mei videndi: benedicta labia, quæ in me multa contumeliosa verba protulerunt, propter quæ fiducialiter expecto ad æternos gloriæ honores me fore vocandum: inter quæ verba spiritum Domino reddidit

Phil. 2.

Ecce

vnigenitum Dei pro ipsisſmet peccatis crucifixum, & mortuum oculos figere. Incidisti forte in via in occiſum hominem crudeliſsime ſauciatum, & multis vulneribus confoſſum, cogitas quænam fuerit cauſa, cum ab inimicis tā fœde extiterit vulneratus. Vides hominem Christum occiſum, & adeo vulneratum, vt à planta pedis vſque ad verticem capitis non ſit in eo ſanitas, ſed vulnus, & plaga tumens; ſi cauſam crudelis occiſionis inquiſieris, audies Pilatum iudicem dicentem: *Non inuenio in eo cauſam mortis.*] Quare te ipſum interroga, & in te omnium deformium vulnerum cauſam reperies. Namq; ob noſtram mentis vanam elationem ipſius caput fuit transfixum: propter iniquam, & iniuſtā dignitatem & officiorum adminiſtrationē humeri à pondere crucis fuerunt attriti: propter impia opera, greſſuſque deprauatos & diſtortos manus, & pedes ſunt cōfixæ: corpus vndiq; flagellis cæſum ob nimiam corporis curam, effrænataſq; voluptates: pectus deniq; apertum propter impias & occultas cordium noſtrorum cogitationes. Hæ fuerunt cauſæ, ob quas innocens Dominus fuit crudeliſsime occiſus: quas ſi peccator ſecum expenderit, ſatis duro erit corde, ſi inde non compungatur, & in odium peccatorum excitetur. Laudat Diuus Baſilius canum ſummam gratitudinem circa educatores & dominos, quorum aliqui adeo fideles, & grati dominis extitere, vt cum per inſidias noctu occiſos conſpicerent, occiſoreſq; veluti nullos haberent teſtes, palam, & ſecure ambulantes, eos perſequerentur quoadusq; à miniſtris iuſtitiæ comprehenſi morte multarentur. ſi igitur euidentiſsime nobis conſtat Creatorem noſtrum Dominum, & pijſsimum benefactorem Chriſtum Ieſum propter ſcelera noſtra fuiſſe percuſſum, vulneratum, atque occiſum, cur non perſequemur odio eadē ipſa peccata? cur illa non deflemus amariſsimè? cur hac myrrha pœnitentiæ & compunctionis corpus ipſum Domini eiuſque vulnera non perungimus? ne ingratitudinis infamiam ſubeamus?

Basil. in Hexam.

Acceperunt ergo corpus Ieſu, & ligauerunt illud linteis Ioa.

ſium

myrrha delibutum, linteaminibusque ligatum ad sepulturam deducendum inter eadem brachia atque vbera dolens, & amarissimè lugens amplecteris. Per hãc ergo amarissimam cordis tui myrrham, per lachrymas illas summosque dolores te Domina obsecramus, vt omnia hæc æterno Patri pro nobis offeras, nobisque ab ipso misericordiarum Patre impetres summam filij tui paupertatẽ diligere, & amplecti, honores perituros huius vitæ contemnere, probra,& contumelias patienter tolerare, pœnitentia, & cordis compunctione eumdem Christum Iesum excipere, & conscientia pura intra ipsa cordis penetralia recondere: ibiq; perpetuo retinere,& eius æterna gloria frui, Amen.

DE EADEM Passione.

SERMO DECIMVSNONVS.

Erat autem in loco vbi crucifixus est hortus, & in horto monumentum nouum, in quo nondum quisquam positus fuerat. Ibi ergo propter Parasceuem Iudæorum, quia iuxta erat monumentum, posuerunt Iesum, &c. Ioan. 19.

MOnumentum hoc ipsius erat Ioseph ab Arimathia, de quo supra egimus, vt S. Matthæus ait, quod sibi ipsi in petra exciderat: eius namq; erat hortus ille ad radicẽ collis Caluariæ seu rupis positus. Cùm enim iuxta antiquorũ cõsuetudinem defunctorum corpora extra oppida sepelirẽtur, Ioseph vir iustus in delitiarum horto mortis memoriam collocauit, & in illa rupe, supra quam erat Caluariç locus, monumentum excidit nobile. Cuius formã ex antiquorũ relatione describens Cardinalis Baronius ait fuisse in parte occidentali Caluariç montis speluncã in petra excisa, eamq; peramplam in modum vestibuli, quæ aliam intus contineret specum etiã in ipsa rupe ex- Matt. 27.

 cisam,

cisam, rursumq; intra eam excisum fuisse sepulchrum Domini in parte Aquilonari longitudinis septē pedum quod mensura palmorum trium a pauimento imminebat. Ostium huius speluncæ ab oriente erat, cui lapis ille maximus appositus est. Namq; vt idē sanctus Matthæus narrat, Ioseph postquam ib Dominum collocauit. *Aduoluit saxum magnū ad ostium monumenti.* [Omnia enim, vt ait Origenes quæ sunt circa corpus Iesu,
Orig. munda sunt, & noua, & omnia magna valde.]

Nec mirū si omnia ea, quæ ad corpus Domini Iesu honorifice sepeliendum, & summa cura custodiendum sunt adhibita, magna exstiterint, cum satis magnū fuerit. Deum mortuum præsentem cernere, & in corpore illo humana vita priuato Dei viui diuinitatē perfectissime contineri. Namq; cum iuxta illud celeberrimum fidei axioma, quod semel assumpsit nunquā dimiserit, certissima fide tenemus, quod illud corpus mortuū cū mixtura myrrhæ, & aloes linteaminibus obuolutum, & in sepulchro positum Dei corpus erat, diuinæ personæ verbi vnitum, quod verbum, cum sit ipsamet vita, & fons vitæ inde omnia viuificabat, inde mundum administrabat, inde humanam salutem operabatur. Mag-
Matt. 16. na quidem, & excellens fuit illa fidei confessio à D. Apostolorum Principe Petro, totius Ecclesiæ nomine explicata. Tu es Christus filius Dei viui, quā veluti magnam, summeq; necessariam ipse Dominus miris laudibus extulit, Petrumque ipsum magnis ob id honoribus cumulauit. Namque Deum viuum & credere & confiteri eum, quem mortalem esse oculis conspiciebat, ex præclara fidei illustratione proficiscebatur, qua ab ipso Patre luminum, sanctus Petrus interius fuerat illustratus. Verum (si dicere licet) D. Petrus cū Christo viuente loquebatur, qui quamuis mortalis esset, non tamen morti necessario, vt cæteri hominum, sed voluntate erat obnixius: cum enim ab omni labe peccati ex se ipso esset immunis, etiā mortis legi non subiacebat. At in corpore illo Domini Iesu mortuo nihil omnino apparebat, quod occultam filij Dei viui diuinitatem quoquo modo indicaret. Quamobrem inter omnia

ea, quæ iuxta fidei confesſionem de Deo poſt incarnati verbi myſterium per idiomatum communicationem (vt Theologi loquuntur) affirmantur (vtpote Deus eſt incarnatus, Deus eſt natus, Deus fleuit, & cætera huiuſmodi) præcipuum mihi locũ videtur habere, id quod cõfitemur, Deus eſt mortuus, Deus fuit ſepultus. Quod conſiderans Diuus Auguſtinus ait, Res vetus erat, vt homo moreretur: quod ne ſemper valeret in homine, res noua facta eſt, vt Deus moreretur, ſed quia in carne mortuus eſt, & non in diuinitate, per ſempiternam vitã diuinitatis non permiſit eſſe ſempiternum interitum carnis.] *Aug. ſer. 39. de temp.*

Vnde Diuus Bernardus in eo tractatu, quem ad exhortandos milites templi compoſuit, de ſanctis illis locis agens, ad ſanctum Domini ſepulchrum deueniens, ita ait, inter ſancta, ac deſiderabilia loca ſepulchrũ tenet quodãmodo principatũ, & deuotionis plus neſcio quid ſentitur, vbi mortuus requieuit, quam vbi viuens conuerſatus eſt, atq; amplius monet ad pietatem mortis quam vitæ recordatio.] ſicut enim maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis: ſic nihil eſt quod magis humana corda in amorem Domini Ieſu valeat accendere, quam illius mortem conſiderando ſe ſubdere voluit, & vt vere mortuus linteaminibus, & ligari, & ſepeliri. *Bern. ſer. ad milit.*

Cum igitur magnum, & valde magnum exiſteret, vitam ipſam mori, filiumque Dei viuũ mortuum in ſepulchro collocari, omnia ea quæ circa eundem Vnigenitum Dei filium Chriſtum Ieſum, tam in paſſione, & morte, quam ſepultura ſunt geſta, diuinitus multo ante non ſolum prædicta, ſed & præparata ſunt, ita vt ſingula quæquæ licet minutiſsima à diuino ſint ordine præſcripta, & taxata (liceat mihi hoc verbo vti) vt à Diuo Petro Apoſtolo Iudæis prædicante in ipſo die Penteçoſtes expoſitum fuit, qui de Chriſto loquens ita inter cætera, *Hunc*, inquit, *definito conſilio, & præſcientia Dei traditum, per manus iniquorum affigentes interemiſtis.*] Iudæi quidem tradiderunt gentibus *Act. 2.*

ad illudendum, flagellandum, & crucifigendum, quę & milites Romanorum iussu Pilati perfecerunt crucifigentes: sed omnia ludibria, flagella, sputa, omnes deniq; cruciatus vsq; ad mortem in cruce, & omnia quæ post mortem circa illud corpus contigerunt, à definito Dei Patris consilio, atq; præscientia sunt decreta, ita vt neq; plus, neq; minus quàm diuinitus erat præordinatum, effectū sit. Mirabiliter hoc fuit præfiguratū in illa percussione petræ Horeb ex qua Dominus sitienti, & murmuranti populo aquas prodire iussit. Cùm enim post transitum maris rubri desertum ingrederentur, & aquæ penuria laborantes contra Moysem insurgerent, ipsi ad Dominū confugienti dictum fuit vt sumeret in manibus virgā illā, qua mediante tot mirabilia in Ægypto fuerat operatus, & ad sibi ostensam petram pergeret sequentibus senioribus populi, *En ego stabo* (dixit Dominus) *ibi corā te supra petram Horeb. percutiesque petrā, & exibit ex ea aqua, vt bibat populus.*] Petram hanc Christum lapidem viuum ad viuum expressisse sæpe cū Paulo diximus, Moysi manus populum Iudaicum præfigurarunt, Virga autem potestatē iudicandi, & ad mortē condemnandi in præside Romanorū Pilato constitutā, sicut & ipsi Iudæi dixerunt. Nobis non licet interficere quemquā.] Cū ergo Dominus dixit, En, ego stabo ibi coram te supra petrā.] expresse declarauit, quod eo tēpore, in quo Iudaicus populus velut manus Moysi, per iudicem, ac ministros gentilium, in virga præfigratos, Christum Iesum petram viuam in cruce clauis affixisset, & lancea vulnerasset, Deus Pater omnipotens speciali prouidentia præsens aderat, vt Paulus docet. *Deus*, inquiens, *erat in Christo mundū reconcilians sibi.*] ibiq; impijs illis manibus odijs, & inuidiæ Iudæorū Virgam potestatis Romanæ, aduersus Christū excitantibus vtebatur, vt ex illa filij sui humanitate aquæ redēptionis, & sacramentorū fluuius erumperet, ita tamen, vt omnes percussiones, omnes cruciatus, omnia opprobria eā mensuram seruarent, quā Dominus ipse præscripserat, & taxauerat, neq; eis liceret, vel augere, vel diminuere quicquam ex eo numero & mensura.

Exo. 17. 2. Cor. 5.

Verum ô clementissime, atq; sapientissime misericordiarũ Pater, liceat mihi modo tecũ agere: Quid est quod tam copiosam præscripsisti mensuram dolorum, contumeliarũ, & cruciatuũ, vt vix numerari queat? sic amantissime Deus mundũ dilexisti, vt filium tuũ vnigenitũ traderes inimicis crudelibus cruciandũ, & despectui habendũ iuxta impiã eorum volũtatem? ô vere miserationũ Pater qui propter nimiam charitatẽ, qua nos dilexit, quia peccata nostra ita inundauerant, vt omnẽ mensuram videantur excedere, dilectum filiũ suum Christum Iesum immensis, & innumerabilibus ferè passionibus tradidit, vt copiosissimã redemptionem exhiberet, & pro cũctis hominũ peccatis abundantissimè satisfaceret. Cognita à Pilato Domini innocentia, & q Iudæi per inuidiam eum tradidissent, & multis clamoribus ad crucis necem postulassent. Non persequendo (vt ait S. Aug.) Dominum flagellauit, sed eorum furori satisfacere volens, vt vel sic iam mitescerent, & desinerent velle occidere, cum flagellatum viderẽt.] Sed cum diuinitus esset statutum vt deinde spinis coronaretur, crucem proprijs humeris baiularet, & in ea clauis confixus moreretur non quieuit persequentium furor (quo æternus Pater vsus est in bonum redemptionis nostræ) donec ad executionem procederet omniũ cruciatuum, quos vt Christus Dominus perferret, decretũ erat. Ipse Dominus Iesus de incomprehensibili passionis suę immensitate per Dauid loquens, eam Mari comparauit, dicens; *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* In qua comparatione per maris amaritudinẽ atq; tempestates dolorũ acerbitatem, & grauissimas animi afflictiones expressit. Et deinde per immensurabilem aquarum maris multitudinem dolorum, & afflictionũ innumerabilem multitudinem declarauit: sicut enim maris guttæ à nullo humano intellectu possunt cõprehendi, sic neq; multitudo eorum, quæ Redemptor noster in passione pertulit, numerari queunt. Verum infinita Dei sapientia, & potentia, quæ omnia in pondere, & mensura constituit, sicut mare terminis conclusit, sic etiam omnes eius guttas atq; fluctus solus dinumerat, &

Psal. 68.

cis modum præſcribit. Ad hunc igitur modum, quamuis menſura illa opprobriorum, cruciatuum, & dolorū, quæ Dominus Ieſus perpeſſus eſt, humanum captum excedat, omnia tamen atque ſingula diuinitus fuerunt præſcripta, & ſigillatim numerata. Prophetæ licet à Spiritu ſancto inſpirati de paſsione Domini multa prædixerint, non tamen numerum, ſeu menſuram perceperunt, quare & indefinite loquuntur, Iſaias Dominum Ieſum appellat Virum dolorum, quot autem dolores fuerint nō explicat. De opprobrijs ita in perſona ipſius
Iſa. 50. Domini loquitur, *Corpus meum dedi percutientibus. & genas meas vellentibus: faciem meam non auerti ab increpantibus, & cōſpuentibus in me.*] Et Ieremias: *Dabit per-*
Thren. 3
cutienti ſe maxillam, ſaturabitur opprobrijs.] ſed & Euangeliſtæ ipſi, qui præterita enarrarunt, incomprehenſibilem huius maris immenſitatē fuiſſe declarant, quando abſque vlla limitatione, & numero de ſingulis paſsionum generibus agunt. De falſis criminibus impoſitis referunt, quod accuſabant eum de multis: de ijs, quæ in domo Pontificis pertulit, ita loquūtur. *Expuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt, alij autem palmas in faciē eius dederunt, & alia multa blaſphemantes, dicebant in eum.*] De ijs quæ in domo Herodis pertulit, hoc dicunt, ſpreuit illum Herodes cum omni exercitu ſuo, & illuſit indutum veſte alba.] Ad flagellationem venientes, nihil aliud dixerunt quam fuiſſe iuſſu Pilati flagellatum, & flagellis cæſum Iudæis ad crucifigendum traditum, cum tamen in ſacra Domini Ieſu effigie gie in ſudario impreſſa ſigna flagellorum, per totū corpus diſperſa appareant. Quando ſpinis fuit à militibus coronatus, & chlamyde coccinea indutus, conuocantes totam cohortem illudebant ei. Ad Caluarium venientes, nihil aliud dicunt, quam crucifixerunt eum: & quod prætereuntes blaſphemabant eum, & deridebant eum. Quid aliud vobis in ijs ſignificatum eſt, quam incomprehenſibilem fuiſſe paſsionum Chriſti Domini multitudinem, quæ & maris immenſitatem exceſsit? At licet humani intellectus capacitatem hæc; quæ paſſus eſt ſuperarint, & tam Prophetæ quam Euangeliſtæ ſe eorum numerum non percepiſſe confiteantur, de ſinito

tamen atque præscripto Dei consilio omnia sunt peracta in numero pondere, & mensura: quem diuinum ordinem atque decretum peruertere nulli licebat. Cum ergo corpus Domini Iesu superatis amarissimis atque immensis passionum fluctibus ad mortis littus peruenit, contenderunt Iudæi præscriptum ordinem excedere, corpusque illud sanctissimum post crurifragium inter scceleratorum corpora infami tradere sepulturæ. Sed nihil efficere potuerũt, quia diuinitus gloriosum sepulcrum illi corpori erat præparatum: quod tunc diuina prouidentia preparauit, quando Ioseph in illo horto suo in petra monumentum exciderat. Ioseph namque sibi nobile sepulcrum construxit, sed nesciens Deo ita disponente Domini corpori sepulturam congruam preparabat, in qua illo breui tempore recõderetur. Hoc multo ante ab Isaia fuisse prædictum Doctissimus Forerius arbitratur, quando dixit,* *Dabit impios pro sepultura, & diuitem pro morte sua.* Quæ vulgata editio per Hebraicam ad literam explicatam optime intelligitur, sic enim interpretatur. Et posuit apud improbos sepulchrum eius, & apud diuitem excelsa ipsius.] Apud improbos namque fuit sepulchrum, quia iuxta montem Caluariæ (imo & in ipsa radice montis seu rupis) in quo impiorum corpora sepeliebantur excisum fuit monumentum. Et apud diuitem, Ioseph nimirum ab Arimathia excelsa siue excelsum ipsius, id est, sepulchrum: sepulchra namque, vt probat, sæpe in sacris literis excelsa dicuntur: quia ad similitudinem excelsorum erigebantur, & ornabãtur, sepulchrum vero huius diuitis (quem non sine mysterio Euangelistæ diuitem atque nobilem fuisse declararunt) erat in monte Caluariæ excelso excauatum, ad iuxta sacelli, splendidum, amplum, & magnificum: fuit saxum ostij ipsius magnum, ipsum monumentum duos Angelos, in virorum effigiem, & aliquot mulieres capere potuit, quare nõ vulgare fuit, sed nobile; & gloriosum. Quæ omnia sicut diuinitus erant præordinata & prædicta ita sunt peracta, neque vlla aut malitia aut vi præpediri potuerunt.

*Isai. 53. Forer.

Erat autem in loco vbi crucifixus est hortus: & in horto

.Th. in Ioan. *monumentum nouũ.*] Adnotauit D. Thomas, quod Christus in horto fuit captus, & in horto crucifixus, & in horto sepultus: crucifixum autem dicit in horto, quia iuxta locum Caluariæ erat hortus ille, ita vt Christus Dominus in summitate montis seu rupis illius in cruce suspẽsus ante oculos & in prospectu haberet hortum illum, in quo monumentum erat excisum. Hoc mysterijs non vacare idem ait angelicus Doctor. Et in primis designatum fuisse dicit quod per passionem Christi liberamur à peccato, quod Adam in horto delitiarum commisit. Cui considerationi si addas quod eodemmet anni tempore Christus Dominus in horto acerbissimam passionem inchoauit, & in horto perfecit, quo primi parentes in illo voluptatum paradiso seu horto, propter vetiti pomi inordinatam concupiscentiam diuinum præceptum sunt trãsgressi (nimirum in principio veris, vt verior tenet opinio quãdo arbores folijs & floribus ornãtur) inde inferes omnia hæc peculiari prouidentia fuisse ordinata, vt Redemptor noster pro nostris inordinatis voluptatibus acerbius cruciaretur. Prauas, & iniquas impiorum cogitationes describẽs Sapiens, eos intra semetipsos ita loquentes refert: *Venite, & fruamur bonis,* Sap. 2. *quæ sunt, & vtamur creatura tamquam in iuuentute celeriter. Vino pretioso, & vnguentis nos impleamus: & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis, antequam marcescant: nullum pratum sit, quod nõ pertranseat luxuria nostra.* Hæ igitur effrenatæ hominũ voluptates, quibus irretiti, Deum à se & à sua mente repellentes inter abominabiles iniquitates veluti inter amœna & virẽtia prata cõquiescunt, Christi Domini obtutibus in hortis illis amœnis se veluti præsentarunt, vnde illius dolores, & animi afflictiones mirum in modum sunt auitæ. Prudẽs illa & pulcherrima Regina Esther deprecatura Do- Esth 14. minum pro populo Israel, aduersum quem Assuerus rex ab impio Aman impulsus satis iniquam mortis sententiam tulerat, nouum pœnitentiæ genus adinuenit, vt & de suis atq; populi sui peccatis veniam ab ipso Domino & misericordiam impetraret. Postquam enim deposuit vestes regias, & fletibus luctuiq; apta indumenta suscepit,

pit,& pro vnguẽtis varijs cinere & stercore caput impleuit,corpusq́; ieiunijs humiliauit:ijs non contenta, omnia deinde loca,in quibus antea lætari consueuerat,crinium laceratione compleuit.] Percurrebat singulas palatij sui partes & vel domum vnguẽtorum ingressa, vel aliam vasorum aureorum, & argenteorum, & moniliũ, vel aliarum pretiosarum vestium,atq; in ijs & alijs locis regij palatij & hortus reuocans in memoriam quid circa ea se oblectãdo excesserat (licet leuisimè) ibi se peculiariter crucians, dilectos capitis crines conuellebat, & lacerabat. Ad hũc modũ Christus Dominus, secũdus Adam,(qui primi Adami,& posterorum scelera in se susceperat, vt chirographum decreti,quod nobis erat contrarium,deleret, iustissimamq́; mortis sententiam reuocaret,&primus Adã inter paradisi terrestris delitias pręceptum diuinum fuerit trãsgressus posteriq́; eius peccatores in huiusmodi exilio pro terrenis & apparentibus cœlestia contemnant)ante humanitatis suæ oculos hortos voluit habere, quando arbores folijs vestiuntur, & flores fructusq́; parturiunt: vt ijs cõspectis maiori cum afflictione pateretur. Inde effectũ est, vt in horto Gethsemani passionem inchoaturus, ad Patremq́; preces humiliter fundens, cùm ante oculos haberet omnia hominum peccata, quæ ipsi tanta cum voluptate,& facilitate committere non verentur, post lachrymarum abundãtiam etiam sanguinem desudauerit. Orauit igitur tertio vt si fieri posset, calix ille ab eo transiret. Quę oratio licet naturalem mortis timorẽ declaret, & calix ille futuram pasionem primo significet, nihilominus iuxta aliquorum pijssimam cõsiderationem significat etiam summã illam afflictionem,intimumq́; dolorem,quibus anima illa ob nimiam hominum acerbitatem acerbissimè cruciabatur,præuidẽs fore, vt quamplurima eorumdem hominum multitudo propter has vanas cupiditates,perituraśq; sęculi delitias redemptionis effectum nõ esset consecutura, cùm eius mors ad omnium peccata delenda ex se foret sufficientisima. Deinde consummaturus in cruce pasionem, etiam hortum illum vbi erat monumẽtum in quo sepultus est, ante oculos voluit ha-

bere, vt ex viridantiũ arborũ, florũq; aspectu spinarum punctiones dolorẽ augerent, & audito auiũ cantu, illum aut creatorẽ suum laudantiũ, irridentiũ, blasphemantiumq; voces molestiores fierent, & conspiciens deinde in horto illo aquã plãtas irrigãtem, ipso interim sitiẽte. & aceto atq; felle potato, grauius inde torqueretur. Oẽs has afflictionũ, & acerbitatũ varietates adinuenit amor ille Dñi Iesu, vt & ipsum amorẽ cordis sui nobis testatũ redderet, & nos deinde vehementissime admoneret, vt ad nos ipsos redeuntes cõsideremus in quãto periculo animarũ nostrarũ salus versetur inter huiusmodi delitias & inter eas sęculi voluptates quas tãta cũ solicitudine quęrimus, & in quibus securi oblectamur, & cõquiescimus.

Huic cõsiderationi aliam addit idem D. Th. sc. quod per Christum Ecclesia consecratur, quæ est sicut hortus cõclusus.] In Canticis enim Ecclesia dilecta Christi Domini sponsa Horto concluso comparatur per
Cant. 4. hæc verba: *Hortus cõclusus soror mea spõsa, hortus cõclusus.* Vt igitur significaret, quantum hanc sponsam diligeret, quantum pro hac Ecclesia in vnum congreganda, & intra firmissimum fidei murum concludenda laborauerit in horto passionem inchoauit & perfecit, &
Ephes. 5. in horto voluit sepeliri. D. Paul. audiamus viros exhortantem vt vxores diligant: *Viri*, inquit, *diligite vxores vestras sicut & Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum tradidit pro ea vt eam sanctificaret mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiã non habẽtem maculam aut rugam, aũt aliquid huiusmodi, sed vt sit sancta & immaculata.* Ecce quinam sit hortus delitiarum Dñi Iesu, quem vt plantaret sibi, & in perpetuum coleret, in horto acerbissimã pertulit passionem, & mortem: namq; ob nimium Ecclesiæ sponsæ suæ, hortiq; cõclusi amorem inter dolores, cruciatus, spinas, clauos & crucem veluti inter florum arborumve amœnitatem stetit, & ibi sepulturæ, id est, quietis locum quęsiuit.

Expendunt nonnulli quid fuerit in causa, cur Dñs Iesus in horto Gethsemani orauerit, *Procidens in terrã*: vt quid .n. terram illã attingebat, & veluti amplectebatur atq; deosculabatur, q̃ spinas ad caput ipsius pungẽdum pduxit, ferrũ ad clauos, arbores ad crucẽ, arundinẽ, lan-

ceam,

ceã, cæteraq; passionis instrumenta, procreauit. Resp. q hoc fecerit veluti ipsi terrę acceptũ referẽs ea sibi ministrasse instrumẽta, quib. sicuti tortores impij ad eũ cruciandũ vsi sunt, ita etiã ardenti illi dilectioni inseruierũt, qua Christus Dñs incensus dilectã sponsam suã ecclesiã sanctificauit, & sanguine suo acquisiuit. Hinc effectum est vt cũ aliquoties de passione sua verba faceret, eã ijs nominib. expresserit, q̃ simul, & summã redẽptionis efficaciã, & animi sui voluntatẽ & voluptatem declarẽt. Appellat eã exaltationem, & glorificationem, excessum, trãsitũ, horã suã, tempus suũ, calicẽ, baptisma. Ex quib. hoc vltimum liceat modo expendere, quo nomine de passione atq; morte loquẽs bis vsus est & primo quidẽ, vt duorum fratrũ Iacobi, & Ioannis inordinatę petitioni satis faceret quib. ait. *Potestis bibere calicẽ quẽ ego bibo, aut baptismo quo ego baptizor baptizari.* Et alibi ad populũ verba faciens inter cætera, *Baptismo aũt habeo baptizari: & quomodo coarctor, vsq; dũ perficiatur.*] Quib. locis iuxta cõmunem Dd. senten. per baptismũ passionẽ atq; mortem suã intelligit. Et quidẽ in pass. Dñi nobis salutis baptisma, balneũq; salutiferũ fuisse ꝑparatũ in quo à peccatis mũdamur S. docet Euang. Ioan. dicens: *Qui dilexit nos & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.*] Hoc est lauacrũ illud regenerationis in nos abunde effusum per Iesum Saluatorẽ nostrũ, ex quo & sacrũ baptismi sacramentum, cęteraq; sanctificationis sacramẽta virtutẽ & efficaciã sortiuntur. Merito igitur respectu nostri passio dñi baptisma dicitur. Verũ si de ipso saluatore nostro fit sermo, quomodo eiusdẽ baptisma dici poterat cũ ipse purificatione aut sanctificatione minime indigeret? sed si baptismatũ siue balneorũ officia vsũq; inuestigemus, reperiem⁹, sane nõ solũ ad purificãda, seu sanãda corpora adhiberi solita sed etiã ad ipsiusmet corporis recreationẽ imò & animi anxietatẽ minuendã. Vt. n. D. Aug. de seipso cõfitetur cũ de S. Monicæ matris morte grauissimè doleret, visũ ei fuit, vt lauatũ iret, quia sc. balnea anxietatẽ ex animo pellerẽt, quare & in hortis balnea cõstruebantur, vt patet in historia Susannæ. Amatissimus ergo hominũ saluator Christus cùm ex sanguine suo in passione effuso Eccles. sanctificationis & purificationis

Marc. 10.
Lucæ 12.
Apoc. 1.
Aug cõfess. 9. c. 12.
Dan. 13.

baptis-

baptiſma cõfeciſſet, illud ipſum baptiſma ſuum. & balneum delitiarum appellat, quia licet ſibi foret ſummis cruciatibus plenum nobis tamen erat ſalutiferũ, & hæc hominum vtilitas dolorum ſuorum, & anxietatum fuit leuamen. Quapropter in hortis hæc baptiſmata ſuſcepit, vt ſibi delectabilia eſſe oſtenderet. Et primo quidẽ in horto Gethſemani primũ perfecit ſui ſanguinis baptiſma, quando ſponte ſua pori ſunt aperti, & ſanguinis guttæ vſq; ad terram ex toto corpore emanarunt. Aliud deinde abundantius in cruce, quando corpus omnino exangue remanſit, & ſanguis etiã ille, qui intra cor latebat, per aperturam lateris continuo exiuit, ſecum ferens ſimul & aquã, vt hoc eſſe illud à ſe prædictũ baptiſma declararet apertius. Vltimum tandem quando in magna illa quantitate myrrhæ, & aloes fuit quodãmodo corpus immerſum, & in horto ſepultum. Quæ baptiſmata, quia ad noſtrum conducebant ſalutem, ea veluti delitiarum balnea æſtimabat.

Monumentum autem nouum ad ſepulturam elegit, vt mundum fore innouandum per mortem, & ſepulturam ſuam declararet: *Conſepulti enim ſumus*, ait Paulus, Heb. 6. *cum illo per baptiſmum in mortem: vt quomodo Chriſtus ſurrexit à mortuis per gloriã Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.*] Quæres fortaſſe quænam vtilitas ab illo corpore Dominico vita humana priuato, & ſepulturę mandato poterat prouenire ad noſtram ſalutẽ conducẽs, cum iam neq; merẽdi, neq; ſatisfaciendi tempus eſſet. Nãq; ſimulatq; anima à corpore ſeparatur, omnia ceſſant opera ſiue meritoria, ſiue demeritoria. & ſtatim recipit vnuſquiſq; prout geſsit in corpore, ſiue bonũ, ſiue malum. Vnde Sapiens dicit: *quodcumque poteſt facere manus tua, inſtanter operare: quia nec opus, nec ratio,* Eccl. 9. *nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos, quo tu properas.*] per inferos ſepulchra intelligit. Quare & Chriſtus ipſe eo tempore quo inter homines vixit, & viator fuit quoad corpus ipſum partemq; ſenſitiuã, tunc per omnia opera ſua infinitos meritorum, atq; ſatisfactionum theſauros acquiſiuit, quibus Eccleſiã Catholicam locupletauit; poſtquam vero anima à corpore fuit ſeparata,

omnia

omnia cessarunt opera meritoria. Verùm quia licet ab illo Christi corpore anima fuerit separata, non tamen fuit separata diuinitas, vt superius diximus, ideo (sicut angelicus ait Thomas) quicquid contigit circa carnem Christi etiã anima separata, nobis fuit salutiferum virtute diuinitatis, non quidem per modum meriti, sed solum per modum efficientię. Vnde sicut mors Christi efficienter operata est nostram salutem, ita & sepultura. In quo sensu Glossa interpretatur illud Isaiæ: Dabit impios pro sepultura, Gentes, inquiens, quæ sine pietatę erant, Deo Patri dabit, quia mortuus & sepultus eos acquisiuit. 3.p.q.50 & 51. Gloss.

Quod si etiam quæras, cur non propriã, sed alienam voluit sepulturam. Respondet D. Aug. Ideo in aliena sepultura ponitur, quia pro aliorũ salute moriebatur.] Namq; sicut mors non illi erat propria, sed quodãmodo aliena, quia mortis legibus nõ subiacebat mortemque luti hospitẽ & peregrinam per horas quadraginta, aut parum amplius in corpore suo suscepit, ita etiam sepulchrum proprium non habuit, sed in alieno quasi in hospitio, illo paruo tempore requieuit. Hominum sepulchra domus illorum sunt in æternum: vt ait Regius vates, quia eorum corpora naturali vi inde se excitare nequeunt. Sed Christus Dominus, qui inter mortuos erat liber, in sepulchro alieno paululum requieuit, & inde virtute propria exurrexit. August. Psal. 48

In quo nondum quisq; positus fuerat.] Multa de monumento Domini dicuntur ab Euangelistis, scilicet quod erat nouum, quod in petra excisum, quod in eo nõdum quisquam positus fuerat, quod ad eius ostium fuit aduolutum magnum saxũ. Quæ omnia, vt S. Patres adnotarunt, ad fidem resurrectionis confirmandã, malitiãq; Iudæorũ confundendã diuino ordine sunt disposita. Nã si nouũ nõ fuisset, & in eo aliud corpꝰ antea collocaretur, dicere Iudæi potuissẽt nõ Christũ, sed aliũ, qui eodẽ loco fuisset sepultus, resurrexisse. Si nõ in petra excisũ, sed diuersis structũ lapidibus, discipulos suffossis lapidibus Christũ fuisse furatos: si in terra, per subterraneos specꝰ extractũ: aduolutũ est saxum magnũ, quod à paucis nõ

poterat

poterat amoueri, præsertim cùm ibi adessent custodes. D. Hilarius mysticè hæc interpretās de lapide super posito ita ait: Et quia nil præter eum oporteat in pectora nostra penetrare, lapis ostio aduoluitur, vt quia nullus antea in nos diuinæ cognitionis auctor fuerat illatus, nullusque absq; eo postea inferatur.] Admonet igitur S. Doctor, vt quando diuina Spiritus S. vi & efficacia lapidea corda nostra fuerint emollita, & in eis apertum ostium, per quod Dñs Iesus intra cordis penetralia veluti in sepulchro recondatur, & quiescat, summa est adhibēda cura, vt ostium ita claudatur ne aliquid aliud intromittatur, & Dominus exire cogatur. Namq; Dñs Iesus, qui in seipso tot aperuit ostia quot vulnera ad nos intra cor suum recipiendos, vult vt quando ipse in cordibus nostris sibi præparat habitaculum, & in illud ingreditur, ostiū omnino claudatur, neq; aliquid sibi displicens illuc inferatur. Vnde admonet Sapiēs: *Omni custodia custodi cor tuum, quia ex ipso vita procedit*. Est nāq; cor vitæ principium vitaq; in corde, veluti in receptaculo cōtinetur, ea tamē lege, vt si vel minima punctione cor percussum fuerit, vel aliquid veneni cor attigerit vita illico discedat: quare vigilantissimè est custodiēdum. Ait enim Poeta: *Sanantur nulla vulnera cordis ope*. Quando igitur Christus Iesus vita ipsa omnia viuificans viuificauerit corda nostra, & in eis habitauerit: omni custodia custodiatur cor, ne ab aliquo lædatur, & Christus abscedat.

Aug. ser. 133. D. Aug. has Dominici sepulchri perfectiones considerans ad primum Christi Dñi in mundum ingressum mentem reuocans, inde sanctissimi corporis excellentiam colligit, dicens: Beatum ergo corpus Domini nostri Iesu Christi, q cùm nascitur, ex vtero Virginis gignitur, cùm recedit, iusti tumulo cōmendatur. Vbiq; beato corpori defertur sanctitas, vbiq; virginitas. Nouus illud venter cōcipit, nouus tumulus conclusit.] Quam considerationem latè persequens confert ad inuicem ea quæ in mysterio incarnationis sunt gesta cū ijs quæ in sepultura cōtigerunt. Quibus modo omissis ad virginem ipsam oculos mentis cōuertamus considerātes quantum

fuerit

fuerit discriminis inter ea quæ sanctissimæ Deiparæ animus sensit eo tempore, quo corpus illud pijssimum Verbi diuini in eius vtero fuit conceptum, atq; illa quę passa est, quando in sepulchro fuit reconditum. Nam eo tempore incarnationis omnia fuere loca, spiritualibus gaudijs repleta, diuinis consolationib. referta, tantoque diuini amoris igne ab Spiritu S. fuit accensum cor eius, vt necesse fuerit à virtute altissimi obūbrari (id est faueri, & corroborari) ne fragilitas humanę naturæ sub tanto feruore deficeret. Hic vero ante sepulchrum astās (licet de spe resurrectionis certissima) quando corpus intra monumentum inferri saxumq; magnum ad ostium aduolui conspexit non dubium quin supra tenerrimum pijssimæ Matris cor tantum tristitię pondus sit impositum, vt peculiari etiam auxilio indiguerit adferēdum. Corpore igitur à sepulchro discessit, mentem ibidem relinquens simul cum corpore dilecti filij reclusam & desiderijs atq; lacrymis ad eius resurrectionē anhelabat.

Fuisti quidem ô Deipara Virgo primum illud virginale purissimumq; habitaculum: in quo hospitio susceptum fuit sanctissimū corpus Iesu vnigeniti Dei, vnde licet exiuerit mortale & passibile, virginitatem tamen suam integram & illibatam custodiuit: illud verò idem corpus intra monumētum in petra excisum, & saxo magno cōclusum, sepultum reliquisti, vnde etiā exiuit, immortale tñ & impassibile eodēmet ostio clauso, & absq; vlla petræ læsione. Te igitur ô clementissima Virgo & Mater, humiliter deprecamur, propter summā illā tristitiā vehemēsq; animi desideriū à te perpessū in illo discessu à sepulchro, vt nobis verā animi cōtritionem, cordisq; compūctionem impetres quib. permoti ea defleamus scelera, quæ propter terrenas sæculi voluptates cōmisimus, pro quib. Christus filius tuus in horto captus, crucifixus, & sepultus est: vtq; hoc in intimo dolore lapideum & obduratum cor nostrum sæpe percussum habitaculum intra se sanctiss. corpori præpararet, ostium aperiat, saxum perseuerantiæ aduoluat, & eiusdem sanctissimi corporis virtute gratiam, & misericordiam, æternamque vitam assequamur. Amen.

FINIS.


IHS